15355

De Sacramento
Pœnitentiæ

P Deus

THEOLOGIA

AD USUM

SEMINARII MECHLINIENSIS.

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, INSTIT. SEMINARII, PART. 3, CAP. 1.

In signum authenticitatis.

DÉPOSÉ.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ,

OLIM EDITUS A REV. AC ERUD. D. P. DENS, SEMINARII MECHLINIENSIS PRÆSIDE, ECCL. METROP. CANONICO ET ARCHIPRESBYTERO,

NUNC VERO AD MELIOREM FORMAM REDACTUS, IN PLURIBUS EMENDATUS, POSTERIORIBUS SUMMORUM PONTIFICUM DECRETIS ET STATUTIS DIOECESANIS ACCOMMODATUS, AC RECENTIORUM AUCTORUM ANIMADVERSIONIBUS LOCUPLETATUS.

EDITIO TERTIA.

ALMA COLLEGE
236.4
LIBRARY
D434
Alma, California

MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
MDCCCLXXXIII.

4557

VICTOR AUGUSTUS ISIDORUS

TITULI S. BERNARDI IN THERMIS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS DECHAMPS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS, PRIMAS BELGII,

ALUMNIS SEMINARII NOSTRI ET UNIVERSO CLERO DIŒCESIS SALUTEM IN DOMINO.

Enixe vobis commendamus ut hanc novam editionem tractatus de Sacramento Pœnitentiæ summa cura elaborati, in quo de pœnitentia, qua virtute et qua Sacramento, agitur, studiose pervolvatis ac regulas in eo pro administratione illius Sacramenti propositas accurate servetis. Quæ enim in hac materia ad fidei catholicæ dogmata spectant, distincte hic proponuntur et ab hæreticorum objectionibus plene vindicantur; Sedis quoque Apostolicæ decisiones recentiores adferuntur; regulæ in praxi servandæ recte describuntur; ubi vero de quæstionibus controversis agitur, duce præsertim S. Doctore Alphonso de Ligorio, illorum theologorum sententia semper præfertur, qui, uti commendat Benedictus XIV, *De Syn.*, lib. 12, cap. 6, media via inter rigorem et laxitatem incedere norunt.

Quare hunc tractatum universo clero nostro maximæ utilitatis futurum minime dubitamus.

Datum Mechliniæ, 9 Augusti 1883.

VICT. AUG. CARDINALIS DECHAMPS,
ARCH. MECHLIN.

(L. S.)

De mandato Emi ac Rmi Dni Card. Arch.
L. GRIETENS, Secret.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PROOEMIUM.

Præter Sacramentum Pœnitentiæ, de quo in hoc tractatu agendum est, dantur actus ac virtus quæ nomine pœnitentiæ vocari solent, et cum ipso Sacramento intimam connexionem habent, siquidem ad illud constituendum et perficiendum concurrant et sine illo ejusve voto ad salutem perducere nequeant.

Ob istam connexionem S. Thomas de virtute pœnitentiæ non agit in 2ª parte Summæ theologicæ, ubi de reliquis virtutibus disputat, sed in 3ª, ubi de Sacramentis disserit. De ea enim ac ipso Sacramento Pœnitentiæ agit a quæstione 84ª usque ad finem quæstionis 90ª, post cujus elucubrationem præmatura morte ablatus est 7 Martii 1274, ætatis suæ anno 48° vel juxta alios 50°.

In Supplemento, ex aliis operibus ejus concinnato, discipuli tractatum prosecuti sunt a quæstione 1ª ad 28ªm.

Ex istis locis, atque ex illustrioribus Doctoris Angelici commentatoribus, aliisque præcipuis theologis ea tradimus, quæ de virtute et Sacramento Pœnitentiæ alumnis Seminarii nostri scitu necessaria visa sunt.

Illorum vero methodum prætulimus, qui ea separatim exhibent quæ ad virtutem pœnitentiæ pertinent : tum *quia,* ut ait Catechismus Romanus, part. II, *De Pœnitentiæ Sacramento,* n. 5, *hujus virtutis actiones tanquam materiam præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramentum versatur ; ac nisi prius, quæ sit pœnitentiæ virtus recte intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est;* tum

quia illa quæ Sacramentum concernunt, uno dein tractu commodius proponuntur.

Agemus igitur in hoc tractatu :

A N. 1 ad 23 inclusive, de virtute pœnitentiæ, de effectibus actuum pœnitentiæ, et imprimis de præcipuo pœnitentiæ actu, seu contritione.

A N. 24 ad 38, de Sacramento Pœnitentiæ, ejus materia et forma, necessitate, effectibus et cæremoniis.

A N. 39 ad 43, de contritione, ut est pars Sacramenti.

A N. 44 ad 64, de confessione et præcepto confitendi, tum de conditionibus sacramentalis confessionis, et de modo confitendi.

A N. 65 ad 82, de ministro Pœnitentiæ : ubi de jurisdictione et approbatione ; tum de dotibus et obligationibus confessarii, et de judicio ab eo ferendo circa dispositionem pœnitentis.

A N. 83 ad 103, de absolutione sacramentali danda aut neganda, ubi signanter de occasione proxima, recidiva, etc.

A N. 104 ad 114, de sigillo sacramentali.

A N. 115 ad 125 denique, de satisfactione.

Præmittimus pro more decretum Concilii Florentini et canones Concilii Tridentini de Sacramento Pœnitentiæ.

Summa doctrinæ catholicæ de Sacramento Pœnitentiæ, ex Conciliis Florentino et Tridentino.

Decretum Concilii Florentini.

Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit: Ego te absolvo, etc. Minister hujus Sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus Sacramenti est absolutio a peccatis.

Canones Concilii Tridentini. (Sess. XIV)

I. *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

II. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

III. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris:* Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,

non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit ; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium ; anathema sit.

IV. *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur ; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes ; terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

V. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem ; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

VI. *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino ; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum ; anathema sit.*

VII. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant ; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem ; et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam ; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum ; aut demum, non licere confiteri peccata venialia ; anathema sit.*

VIII. *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno : et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ ; anathema sit.*

IX. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum ; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat ; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit ; anathema sit.*

X. *Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum :* Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo ; *et :* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt : *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata : publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem ; anathema sit.*

XI. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat ; anathema sit.*

XII. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse ; anathema sit.*

XIII. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam ; anathema sit.*

XIV. *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes*

per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes ; anathema sit.

XV. *Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi ; et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat ; anathema sit.*

DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

N.° 1. De nomine et definitione virtutis pœnitentiæ.

S. Thomas, part. 3ª, quæst. 85.

Etymologia vocis pœnitentiæ,

Pœnitentiæ nomen, secundum etymologiam, alii derivant a *pœna* et *tenere*, ut idem sit pœnitere ac *pœnam tenere ;* alii consimiliter illud repetunt a voce *punitio*, quemadmodum S. Isidorus Hispalensis, *Originum*, lib. VI, cap. 19, ait : *Pœnitentia appellata, quasi punitentia, eo quod ipse homo in se puniat pœnitendo quod male admisit.*

quæ significat : 1.° virtutem vel actum, 2.° Sacramentum, 3.° pœnam.

SS. Patres et scriptores ecclesiastici pœnitentiæ vocabulo tria præcipue intelligunt : 1.° virtutem vel actum, quo injuria Deo peccatis illata reparatur ; 2.° quartum novæ Legis Sacramentum ; 3.° specialius pœnam seu satisfactionem in sacro tribunali Pœnitentiæ injunctam.

Pœnitentia etiam alio nomine *compunctio* vocatur, a verbo *compungo*, quo Scriptura sacra utitur ad significandum dolorem, quo cor quasi aculeo pungitur, ut Act. II, 37 : *His auditis, compuncti sunt corde ;* et Psalm. IV, 5 : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, id est, quæ per diem mala cogitastis, nocte cum dolore revolvite.

Sæpe etiam vocatur *contritio*, quia hæc est præcipuus actus pœnitentiæ.

Pro intelligentia eorum quæ de virtute pœnitentiæ dicenda sunt, oportet recolere ex tractatu *De virtutibus*, quid sit virtus, quomodo dividatur, quid intelligatur per ejus objectum et subjectum.

Quid est virtus pœnitentiæ ?

Definitio virtutis pœnitentiæ.

R. Est virtus moralis infusa inclinans hominem ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam.

Dicitur *virtus moralis ;* in quo distinguitur a virtutibus theologicis, quæ pro objecto habent Deum ; illa vero aliud objectum habet N. seq. assignandum.

Dicitur *infusa*, non naturalibus hominis viribus acquisita. Hinc S. Thomas, quæst. 85, art. 5, de habitu

pœnitentiæ dicit : *immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.*

Dicitur *inclinans*, etc., quatenus hominem movet ad dolorem ac detestationem peccati commissi, cum efficaci proposito non peccandi in posterum et justitiæ divinæ satisfaciendi.

Quandonam virtus pœnitentiæ nobis infunditur ?

Quandonam infundatur.

R. Virtus seu habitus pœnitentiæ nobis infunditur in justificatione cum cæteris virtutibus moralibus ; hinc etiam infantibus, licet dispositive per actus aliquos non cooperantibus, in Baptismo reipsa infunditur cum gratia sanctificante, cum qua habitus pœnitentiæ connexus est, et qua gravi peccato amissa, et ipse amittitur.

Definita fuit virtus pœnitentiæ rigorose sumpta pro habitu a Deo infuso.

Notandum autem 1.° Non in vanum hic habitus ponitur in homine, licet per Sacramentum susceptum, aut per pœnitentiam extra-sacramentalem peractam, cum Deo modo reconciliatus sit : inservit enim ille habitus tum ad præservandum a peccatis futuris, tum ad excitandum ad opera pœnalia, quibus reatus culpæ peccatorum venialium, et reatus pœnæ temporalis etiamnum luendæ penitus tollatur.

Notandum 2.° Virtus pœnitentiæ non semper tam rigorose sumitur, ut supra definita fuit. Hinc pœnitentia, in genere actus spectata, sæpe virtus pœnitentiæ vocatur, et varii pœnitentiæ actus, etiamsi ab habitu infuso non profluant, ut contingit in peccatore se ad justificationem præparante, nihilominus ad virtutem pœnitentiæ, minus scilicet rigorose sumptam, referuntur, quatenus actualia auxilia gratiæ supplere possunt vices habitus in ordine ad actus virtuosos eliciendos.

N.° 2. De objecto et subjecto virtutis pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 85, art. 4.

Quodnam est objectum materiale virtutis pœnitentiæ ?

Objectum materiale

R. Sunt peccata propria, prout sunt offensa Dei seu Deo injuriosa ; virtus enim pœnitentiæ inclinat ad illa

tollenda ac punienda, et ne in animam irrepant repellenda ; quod posterius continetur in proposito pœnitentis non peccandi in posterum. virtutis pœnitentiæ.

Dictum est : *peccata propria ;* neminem quippe proprie pœnitet nisi ejus quod male fecit. Quocirca dicit S. Thomas, quæst. 84, art. 2, ad 3 : *Proprie dicimur pœnitere de his quæ nostra voluntate commisimus.*

Nec obstat quod exemplis Sanctorum ex animo doleamus de peccatis proximorum : hic enim dolor non est proprie pœnitentiæ actus, sed charitatis, ut inquit Sylvius, quia debemus diligere proximum sicut nos ipsos, ac proinde dolere de ipsius malis.

An peccata remissa et imperfectiones morales possunt esse objectum materiale virtutis pœnitentiæ ?

R. ad 1um. Affirmative ; scilicet per actum dolorosæ detestationis et retractationis : item per actum abundantioris satisfactionis et vindicationis quoad reatum pœnæ restantis ; hac de causa Psalm. L, 4, oramus : *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.* An dici possint objectum materiale peccata remissa,

R. ad 2um. Simplices imperfectiones morales non sunt objectum materiale directum pœnitentiæ ; quia non sunt transgressiones alicujus legis sub culpa obligantis, adeoque nec culpæ aut offensæ Dei : virtus autem pœnitentiæ per se et directe versatur circa offensas divinas. Possunt tamen dici materia indirecta virtutis pœnitentiæ, quatenus aliquo modo disponunt ad culpam, impediendo uberiora Dei auxilia ; atque ita potest homo ex odio peccati et ex fine illud evitandi detestari ac retractare suas imperfectiones morales. et imperfectiones morales.

Quodnam est objectum formale seu motivum virtutis pœnitentiæ ?

R. Est debitum servandi jus Dei illæsum, et reparandi læsum. In peccato enim, quatenus est contra Deum, invenitur quædam propria ratio injuriæ, et quidem altioris ordinis quam sit omnis injuria in hominem commissa ; sicut jus divinum infinite altius et excellentius est omni hominum in se invicem jure. Multo magis igitur Deum offendit, ipsique injuriam facit, qui peccando ipsi denegat debitam subjectionem et obedientiam ac recognitionem primi principii et ultimi finis, quæ ex justitia Deo a creatura rationali debentur. Hujus itaque Objectum formale pœnitentiæ.

divini juris violationi sive injuriæ, quam peccator in Deum se commisisse agnoscit, resarciendæ dat operam virtus pœnitentiæ, cujus proinde motivum seu objectum formale dicitur debitum reparandi jus Dei læsum, firmoque proposito cavendi ne lædatur unquam.

Quodnam est subjectum virtutis pœnitentiæ?

Subjectum pœnitentiæ.

R. Subjectum proximum, seu animæ potentia in qua residet pœnitentia, est voluntas, seu appetitus rationalis; quandoquidem pœnitentia sit quædam species sive pars potentialis justitiæ. Quamvis igitur peccatum repræsentet memoria, et malitiam illius proponat intellectus, voluntatis tamen est actus pœnitentiæ elicere aut imperare.

Hinc sequitur dolorem pœnitentiæ essentialiter distingui a dolore sensibili, qui subjectatur in appetitu sensitivo, quique licet ex dolore spirituali de peccatis sæpe oriatur, non tamen necessario requiritur ad pœnitentiam; de quo plura suis locis.

An virtus pœnitentiæ est virtus specialis seu a cæteris virtutibus distincta?

Pœnitentia est virtus specialis.

R. Affirmative, ut colligitur ex dictis de speciali ejus objecto. Hoc dilucide tradit S. Thomas quæst. 85, art. 2, dicens: *Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* Ulterius id explicat S. Doctor ibidem, art. 3, ubi sic concludit: *Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiæ;* non est autem nisi pars potentialis illius, quia jus divinum violatum resarcire quidem conatur, sed ad æqualitatem resarcire non potest.

N.° 3. De actibus pœnitentiæ.

Pœnitentia quidem est virtus specialis, ab eaque plures actus immediate eliciuntur; attamen voluntas per ipsam etiam excitari potest ad aliarum virtutum exercitium. Sic quamvis pœnitentia simpliciter non sit prior fide, cum omnis actus pœnitentiæ aliquem actum fidei præsupponat, nihilominus tali actu supposito, plures

alii fidei actus, non secus ac cæterarum virtutum, a pœnitentia ad suum finem excitari et quadam ratione imperari possunt ; igitur

Quinam dicuntur actus virtutis pœnitentiæ ?

Actus pœnitentiæ :

R. Actus quos virtus pœnitentiæ immediate per seipsam producit, vel suo veluti imperio ab aliis virtutibus producendos adhibet ad reparandam et vindicandam injuriam Deo illatam per peccata ; priores vocantur *eliciti*, posteriores *imperati*.

Assigna aliquos actus elicitos virtutis pœnitentiæ.

eliciti,

R. 1.° Dolor seu afflictio animi quod peccatum commissum fuerit, qui exprimitur Psalm. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* 2.° Odium ac detestatio peccati, juxta Psalm. CXVIII, 163 : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum.* 3.° Propositum non amplius peccandi, reparandi injuriam Deo illatam, et peragendi ea quæ ad hoc conducere possunt ; quod exprimit filius prodigus, Luc. XV, 18 : *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei*, etc. 4.° Confessio culpæ, quam fecit David, II Reg. XII, 13, dicens : *Peccavi.* 5.° Petitio veniæ, ut fecit filius prodigus.

Assigna aliquos actus imperatos virtutis pœnitentiæ.

imperati,

R. Tales sunt oratio, sacrificium, jejunium, aliæque castigationes corporis, eleemosynæ, uno verbo, omnigenum pro conditione pœnitentis exercitium virtutum, quas pœnitentia multipliciter inclinans ac sollicitans evocat in actus, ad placandum Deum, compensandum peccata, et obtinendam remissionem peccatorum.

interni, vel externi.

Patet ex dictis, actus pœnitentiæ, seu elicitos seu imperatos, posse esse vel mere internos, vel internos et externos simul ; ac unum altero perfectiorem et efficaciorem esse : ita contritio si charitate perfecta sit, habet vim peccatorem Deo reconciliandi, quod non potest solus dolor de peccatis, jejunium, etc.

Contra novatorum errores,

Opportune hoc loco refutantur novatores, qui cum Luthero in graves circa actus pœnitentiæ errores prolapsi sunt, contendentes, pœnitentiam non importare peccati detestationem ac dolorem, sed consistere in simplici resipiscentia et vitæ novæ proposito. Et, ut dicit Liebermann, si qui videntur dolorem aliquem admittere

et peccati detestationem, omnes tamen vindictam et pœnas de peccatis sumendas quam maxime perhorrescunt. Hinc a Leone X, in Bulla *Exurge Domine*, hæc Lutheri propositio, n. 7, proscripta fuit : *Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius : de cætero non facere, summa pœnitentia : optima pœnitentia, nova vita.*

Errorem istum Scripturæ sacræ usui, et omnium Sanctorum consensui oppositum, paucis refutare hic satis erit, cum de eodem agatur adhuc aliis in locis, quantum spectat pœnam temporalem, dimissa culpa, adhuc luendam, et necessitatem satisfactionis.

Proba veram pœnitentiam non consistere in sola resipiscentia seu in sola vitæ novitate.

probatur doctrina catholica.

R. Probatur 1.° auctoritate Scripturæ sacræ simul et Concilii Tridentini, in quo, sess. XIV, cap. IV, de præcipuo actu pœnitentiæ hæc leguntur : *Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis ; et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ ; et alios hujus generis : facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio et ingenti peccatorum detestatione manasse.* Expressam ejusdem Concilii definitionem vide ibidem, can. 13.

Præter exempla a Tridentinis Patribus ex sacris Litteris allegata, alia in hanc rem fere innumera in iis occurrunt loca. Hic unum proferimus ipsius Christi testimonium, Matth. XI, 21 : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.*

Probatur 2.° ex SS. Patribus : ita S. Augustinus, *Serm. 351*, n. 12, dicit : *Non enim sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem.* In hoc sermone, necnon in sequenti multa in hanc rem præclara habet Augustinus, sicut etiam habent cæteri Patres, quorum

verba, uti et alia argumenta, brevitatis causa, omittimus.

Objiciunt novatores 1.° Pro *pœnitentiæ* vocabulo, a latino interprete usurpato, in græco fonte legitur μετάνοια ; hæc autem vox non significat pœnam aut dolorem, sed sententiæ tantum aut consilii mutationem : μετανοεῖν enim idem est ac resipiscere aut in mentem redire ; ergo, etc. Objectiones.

R. Vanam esse argumentationem, præsertim in re tanta, meræ compositioni seu etymologiæ vocis innixam. Cum enim sæpissime contingat, voces latius aut contractius usurpari, quam sinat mera ratio etymologica, ideo vocum significatio potissimum ex usu atque sermonis consuetudine repetenda est. Manifestum est autem, in Scripturis et ecclesiasticis scriptoribus μετάνοιαν idem significare, quod nos per *pœnitentiam* significari ostendimus, resipiscentiam nempe cum dolore animi et vindicta peccatorum conjunctam, ut liquet ex adjunctis, qualia sunt : recogitatio in amaritudine animæ, labor in gemitu, conversio in fletu et planctu, etc.

Quinimo profanos scriptores, etiam ethnicos, nomen græcum, quod novatores in vanum urgent, accepisse pro dolore et errati punitione, demonstrarunt inter alios Morinus, lib. I, cap. 1, et Bellarminus, *De Pœnitentia*, lib. I, cap. 7.

Obj. 2.° Commune effatum SS. Patrum est : *Optima pœnitentia, nova vita ;* ergo, etc.

R. Dum SS. Patres dicunt, quod nova vita sit optima pœnitentia, nihil aliud innuunt, nisi quod nova vita sit optimum indicium animæ vere pœnitentis ; idque patet ex eo quod simul requirant dolorem et detestationem peccati, ac ipsam Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem vel votum.

N.° 4. De gradibus quibus ad pœnitentiam pervenitur.

S. Thom., quæst. 85, art. 5 et 6.

Quibus gradibus peccatores ad pœnitentiam perducuntur ?

R. Ordinarie per sex, quos S. Thomas, art. 5, sic explicat : *De pœnitentia loqui possumus dupliciter. Uno* Gradus ad pœnitentiam.

modo quantum ad habitum, et sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive coöperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur ; quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult., 21 : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur ; *secundus actus est motus fidei ; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur ; quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi; quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter supplicia ; sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.*

Hæc doctoris Angelici doctrina eodem fere modo traditur a Catechismo Romano, *De Pœnit. Sacram.*, n. 11, qui quintum et sextum gradum, a S. Thoma distinctos, contrahit in unum, quem quintum et postremum ponit hisce verbis : *Postremo charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis et ingenuis filiis dignus oritur : atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus.* Tum immediate subjicit : *Hisce igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur, quæ prorsus divina et cœlestis virtus existimanda est, cui scilicet regnum cœlorum sacræ Litteræ pollicentur.* Porro cum regnum cœlorum in sacris Litteris promittatur pœnitentiæ ultimo completæ, colligitur, Catechismum Romanum, adeoque et S. Thomam, quem presse secutus est, hic agere de gradibus ad pœnitentiam etiam perfectam, quæ scilicet, præter actus a se ut speciali virtute elicitos, plures alios complectitur, et notanter actum charitatis, ex quo filialis timor connaturaliter oritur, sive in quo liberalis ille timor, probis et ingenuis filiis dignus, saltem virtualiter continetur.

An omnes et singuli motus præfati ita necessarii sunt, ut formaliter et explicite pœnitentiæ virtuti præmitti debeant ?

R. Negative ; nam, ut divinæ gratiæ liberæ hominis

voluntatis vigorem excitantis, efficacia, nulli temporis moræ alligata, atque inde etiam aliqua subitanearum conversionum exempla persuadent, potest homo subito converti et uno instanti ad perfectam pœnitentiam pervenire, quæ sit cum gratiæ sanctificantis infusione conjuncta. Idque confirmat S. Thomas 1ª 2æ, quæst. 112, art. 2, ad 2, exemplo S. Pauli Apostoli, qui statim atque audivit hanc vocem Act. IX, 4 et seqq. : *Saule, Saule, quid me persequeris ?*.... ad pœnitentiam est adductus, et *subito*, ut ait Angelicus, *est gratiam consecutus*. Igitur præfata doctrina de sex vel quinque motibus, ita intelligenda est, ut, excepto prævenientis gratiæ motu, qui semper est formaliter necessarius, reliqui possint in unico formali actu virtualiter comprehendi. Quoad motum timoris servilis, docet Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. VI, illum utiliter concurrere, adeoque non necessario.

N.° 5. De motivis pœnitentiæ.

Motiva pœnitentiæ,

Prout varii sunt actus, quibus tanquam totidem gradibus perducuntur peccatores ad pœnitentiam, ita varia sunt motiva quibus pœnitentiæ affectus excitantur : alia directe ingerunt timorem divini judicii, alia spem fovent et fiduciam, alia ad divinum amorem alliciunt, alia tandem ad detestationem et dolorem de peccatis commissis impellunt.

quæ confessarii in promptu habere debent :

Concionatores et confessarii hæc motiva in promptu habere debent, ut valeant eadem proponere peccatoribus, secundum necessitatem et capacitatem singulorum, eosque, adjuvante Dei gratia, ad sinceram conversionem perducere.

Quæ motiva peccatoribus proponi debent, ut ad timorem excitentur ?

alia excitant ad timorem,

R. 1.° Deum cognoscere omnia eorum peccata cum omnibus circumstantiis, ipsumque esse infinitę justum et vindicem malorum.

2.° Pœnas æternas, tum damni, tum sensus, vel ob unum peccatum mortale infligi ; adeoque horrendum esse incidere in manus Dei viventis.

3.° Supplicia illa continue peccatori imminere ; plures subito mori, usu rationis privari, in peccatis obdurari.

Hæc confirmari possunt exemplis Angelorum ob unum peccatum de cœlo deturbatorum et in æternum damnatorum, et Adami e paradiso ejecti ; maxime vero ex amarissima et ignominiosissima passione Filii Dei, ad cujus attentam considerationem quis peccator non contremiscat? Nam si in viridi ligno hæc facta sunt, in arido quid fiet ?

Quomodo ad fiduciam sunt adhortandi ?

alia ad fiduciam,

R. In hunc finem proponi possunt parabolæ Evangelicæ *boni pastoris et filii prodigi,* quibus benignissimus Salvator noster pathetice expressit tenerrima misericordiæ suæ viscera, quibus non solum peccatores ad ipsum revertentes in gratiam recipere consuevit, sed ultro etiam quærere et ad se trahere dignatur.

Expediens quoque erit ob oculos ponere exemplum plurium Sanctorum, e pessima vita ad summam sanctitatem per misericordiam divinam evectorum, puta SS. Matthæi, Pauli, Mariæ Magdalenæ, Augustini, etc.

His adde sententias Scripturæ sacræ, quæ misericordiam Dei potissimum commendant ut I Joan. II, 1 et 2: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Quibus motivis alliciendi sunt ad amorem Dei ?

alia ad amorem Dei,

R. Maxime duobus : 1.° Consideratione bonitatis Dei erga nos, quæ elucet in immensis ejus beneficiis, sive ordinis naturæ, sive ordinis gratiæ ; nam quidquid sumus, quidquid habemus, ex gratuita Dei bonitate accepimus et continue accipimus. Ipse a morte æterna nos redemit per sanguinem proprii Filii : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ;* Joan. III, 16. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ;* Rom. VIII, 32. Ipse gratuito nos vocavit, elegit et sanctificavit in Spiritu sancto; ipse nos glorificabit in cœlis, ubi seipsum et infinitas divitias gloriæ suæ Sanctis communicat. Considerandæ sunt etiam circumstantiæ hujus amoris Dei erga nos : vilitas eorum quos Deus sic amat, præstantia et summa

dignitas ejus qui nos amat ; summa utilitas ejus qui amatur, nulla utilitas ejus qui amat, etc.

2.° Consideratione summæ bonitatis Dei in se, sive quod Deus sit ipsa justitia, sapientia, pulchritudo, summum et omne bonum, a quo omnia pulchra suam pulchritudinem, bona bonitatem trahunt, omnis denique perfectionis plenitudo et radix ; ut ideo peccator exclamet cum S. Augustino, *Confessionum*, lib. 10, cap. 27: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova! sero te amavi!*

Quomodo ad detestationem peccatorum impelli poterunt?

alia ad detestationem peccatorum.

R. Ex consideratione infinitæ malitiæ peccati mortalis, quod ipsius peccantis occidit animam, privans eam vita spirituali gratiæ et omni jure ad cœlestem hæreditatem, mancipium facit diaboli, et æterna meretur inferni supplicia ; quod, quantum est in ipso, mortem Christo infert, quatenus novam mortis ejus ponit causam, et sanguinem divinum reddit infructuosum ; quod tandem summa est ingratitudo et injuria contra Deum et contemptus divinæ majestatis, quam rebus vilissimis postponit, ut in his finem ultimum constituat. Hæc et similia paterno affectu proponantur, peccatorum etiam circumstantiæ perpendantur, ut magis appareat eorum malitia, et discant pœnitentes ea detestari et odio habere tanquam summum malum, atque ex toto corde dolere, quod Deum super omnia dilectum tam graviter offenderint.

Patheticam hujusmodi exhortationem videre est apud S. Alphonsum, in *Praxi confessarii*, n. 5.

N.° 6. De effectibus actuum pœnitentiæ in generali.

S. Thom., quæst. 86.

Permulti fructus et effectus virtutis pœnitentiæ recensentur a Patribus et theologis : hic præcipui tantum breviter indicandi sunt, in decursu explicandi.

Quinam sunt effectus actuum pœnitentiæ?

Effectus actuum pœnitentiæ.

R. Sunt sequentes: 1.° remissio peccatorum, etiam mortalium, utpote incompossibilium cum gratia habituali,

quæ in justificatione infunditur ; 2.° remissio pœnarum, seu æternarum, seu temporalium ; 3.° reviviscentia meritorum et recuperatio virtutum supernaturalium.

Id vero non ita intelligendum est, quasi quilibet etiam minimus actus pœnitentiæ ad quemlibet effectum plene sufficiat ; requiritur enim ut actus effectui proportionatus sit : sic peccata mortalia, extra Sacramentum vel martyrium, non remittuntur nisi per actum pœnitentiæ perfectum, seu contritionem charitate perfectam.

Notandum etiam, quod pœnitentia extra-sacramentalis producat præfatos effectus ex opere operantis dumtaxat, et per modum dispositionis ; eosdem vero ex opere operato conferat Pœnitentia prout est Sacramentum, quod isto modo, præter gratiam habitualem, confert etiam gratias actuales, quæ suo tempore dantur ad finem Sacramenti obtinendum.

Liquet itaque plures effectus communes esse pœnitentiæ ut virtuti, et Pœnitentiæ ut Sacramento ; dispari tamen modo eos producendi, ut jam observatum est ; dispari quoque efficacia, quatenus Pœnitentia ut Sacramentum, confert, cæteris paribus, majorem quantitatem gratiæ sanctificantis, et majorem quantitatem pœnæ temporalis remittit.

N.° 7. De primo effectu pœnitentiæ seu remissione peccatorum : an omnia peccata, quantumcunque gravia, remitti possint per pœnitentiam.

S. Thom., quæst. 86, art. 1.

De remissione peccatorum præ-notanda.

Nota 1.° Quæstio proposita commode tractari potest cum respectu ad pœnitentiam, tum sacramentalem, tum extra-sacramentalem.

Nota 2.° Duobus modis intelligi seu fingi potest, peccata per pœnitentiam remitti non posse : uno modo, quia aliquis de peccato vere, et ut ad salutem requiritur, pœnitere non possit, defectu auxilii divini ad pœnitendum necessarii ; secundo modo, quia ipsa pœnitentia, quamvis ex parte peccatoris vera, ad delenda peccata non sit sufficiens, vel propter eorum enormitatem, vel propter multitudinem. In utroque sensu quæstionem

hic sumimus, sed potissimum in posteriori ; itaque

An datur tam enorme peccatum vel tam ingens peccatorum multitudo, ut per pœnitentiam deleri nequeat ?

Omne peccatum remitti potest.

R. 1.° Nullus est peccator, qui quamdiu vivit et sui compos est, non possit agere veram pœnitentiam. Hinc S. Thomas, quæst. 86, art. 1, ait : *Dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est.*

Probatur ex Scriptura sacra, in qua Deus generatim et indefinite omnes omnino peccatores ad pœnitentiam invitat, ut Ezech. XVIII, 30 : *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas ;* et ℣. 31 et 32 : *Quare moriemini domus Israel ? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite;* Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ;* Apoc. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso.* Atqui frustra Deus ita universaliter absque exceptione omnes ad conversionem et pœnitentiam invitaret, si non omnes possent pœnitere, sive si non omnibus daret auxilia sufficientia, quibus id possent. Hæc doctrina latius exponitur in tractatu *De gratia.*

R. 2.° Nullum est peccatum tam enorme, aut peccatorum numerus tantus, ut in hac vita, juxta præsentem Dei legem, per veram pœnitentiam deleri nequeat. Est de fide.

Probatur 1.° ex Scriptura sacra : sic Ezech. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam.... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor ;* Isai. I, 18 : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ;* Matth. XVI, 19 : *Quodcunque solveris,* etc.; Joan. XX, 23: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* In istis locis non limitatur tempus, non persona, non qualitas, quantitas aut numerus peccatorum.

Huc pertinent plurima alia Scripturæ loca, in quibus celebrantur divina misericordia et Christi merita, quæ sunt virtutis et valoris infiniti. Unde I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Probatur 2.° ex Patrum ac universæ Ecclesiæ consensu et praxi. Cum enim quidam antiqui hæretici, præsertim

Montanistæ et Novatiani, illimitatam Ecclesiæ facultatem quantacunque peccata remittendi negarent, crudelis hæc hæresis, tanquam Evangelio Christi, traditioni et praxi Ecclesiæ catholicæ aperte contraria, illico communi omnium ecclesiarum consensu proscripta fuit, quemadmodum præter scriptores ecclesiasticos testatur Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. I; et nihilominus non pauci Sociniani, ut refert Perrone, n. 156, crudeli huic hæresi, saltem ex parte, subscripserunt, omnino inficiantes, quod, qui sub extrema vitæ periodo pœnitentiam agunt, veniam possint obtinere.

SS. Patres catholicum dogma uno ore tradiderunt, tum contra hæreticos, tum contra desperationis mortiferum venenum. Ex illis S. Cyprianus, *Serm. de Cœn. Dom*, asserit : *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas... excludit a venia.* S. Ambrosius, *De Pœnitentia*, lib. I, cap. 3, contra Novatianos sic arguit : *Distinctionem peccatorum facitis... sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Idque ibidem confirmat facto Pauli, II Cor. II, incestuosum Corinthium absolventis, et verbis S. Petri, Act. VIII, 22, Simonem Magum, ipsum omnium hæreticorum parentem, ad pœnitentiam exhortantis : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Objectiones. Objicitur 1.° Ipsa Scriptura testatur quædam peccata in hac providentia a Deo non remitti ; nam

1.° Prov. I, 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam.*

2.° Hebr. XII, 17 : Esau *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eum.*

3.° I Reg. II, 25, dicit Heli filiis suis : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ?*

4.° II Machab. IX, 13 : *Orabat autem hic scelestus* (Antiochus) *Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo, etc.

R. Neg. anteced. — Dein ad singula :

Ad 1um. In hoc textu aliisque similibus non est sermo de vere et rite pœnitentibus, sed de illis qui inutilem post hanc vitam pœnitentiam agunt ; aut etiam de iis

qui in hac vita absque sincera cordis conversione clamant ad Dominum, vel eo tantum fine, ut ab afflictionibus quibusdam temporariis liberentur.

Ad 2um. Textus non est ad rem, quia non loquitur de pœnitentia ipsius Esau, sed de patris ejus Isaac, ita ut sensus litteralis sit : non potuit Esau, profusis etiam lacrymis, efficere ut pœniteret patrem suum sui facti, et retractaret benedictionem fratri minori per errorem datam. Alias responderi posset cum S. Thoma, quæst. 86, art. 1, ad 1 : *Dicendum, quod Esau non vere pœnituit ; quod patet ex hoc, quod dixit :* Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.

Ad 3um. Sensus obvius ex circumstantiis videtur esse, quod, si sacerdos ipse, qualis erat uterque filius Heli, peccaverit in Dominum, polluendo Tabernaculum et homines retrahendo a sacrificiis, jam nullus supersit, qui per visibile sacrificium pro illo exoret veniam. Cæterum S. Ambrosius, *De Pœnitentia*, lib. I, cap. 9, inter plura in hunc locum notat : *Non scriptum est :* Nullus orabit pro eo, *sed* quis orabit ? *hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur.*

Ad 4um. Dicendum cum S. Thoma, loc. cit. : *Nec Antiochus vere pœnituit : dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur.*

Obj. 2.° Christus ipse et Apostoli dixerunt ea, ex quibus colligitur quædam peccata esse irremissibilia. Etenim

1.° Marc. III, 29, Christus ait : *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Cfr. Matth. XII, 31.

2.° Apostolus Paulus, Hebr. VI, 4 et 6 : *Impossibile est,* inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

3.° Idem Apostolus, Hebr. X, 26, asserit : *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

4.° S. Joannes, Epist. 1^a^, V, 16, dicit : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis.* Ergo, etc.

R. Neg. anteced. — Dein ad singula :

Ad 1um. Verba : *non habebit remissionem in æternum,*

non significant absolutam irremissibilitatem istius blasphemiæ, sed summam difficultatem, seu moralem quamdam impossibilitatem obtinendæ remissionis ex defectu dispositionis in iis, qui hujusmodi criminis rei sunt. Utique inter eos, quibus Apostoli, et signanter S. Petrus, Act. II, pœnitentiam prædicarunt, erant, qui in Spiritum sanctum blasphemaverant, quibus tamen neque Petrus, neque alii Apostoli januam indulgentiæ occluserunt; quinimo ex illis conversi sunt non pauci. Hinc S. Chrysostomus, *Hom. 42 in Matthæum*, scribit: *Quicunque vero dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quid ergo dicitur?.... Blasphemia Spiritus non dimittitur ne pœnitentibus quidem. At qua ratione stare possit hoc dictum? Etenim et illa ipsa pœnitentibus remissa fuit. Nam multi eorum qui in Spiritum sanctum blasphemaverant, crediderunt postea, omniaque ipsis remissa sunt. Quid igitur est quod dicit? Quod minus cæteris istud ipsum peccatum est ignoscibile.* Ubi videmus blasphemiam in Spiritum sanctum non esse absolute irremissibilem, sed multo minus cæteris ignoscibilem.

Varii varie sentiunt quid in textu objecto sit blasphemia in Spiritum sanctum. Probabilior nobis videtur illorum sententia qui dicunt, esse eam qua quis cognitam et manifestam fidei veritatem ex malitia oppugnat, et tanquam dæmoniacam et detestabilem calumniatur; quale erat peccatum illorum Judæorum, qui manifesta miracula, quibus Salvator suam doctrinam confirmabat, arti magicæ adscribebant, et clamabant, Christum *diabolum habere, et in Beelzebub ejicere dæmonia;* quale itidem est peccatum complurium modernorum, qui veritates fidei sibi cognitas aperte impugnant, easque ex sola animi perversitate adoriuntur.

Non desunt, qui per blasphemiam hic intelligunt finalem impœnitentiam; et sic nulla difficultas.

Ad 2um. Disting. Impossibile est eos..... renovari ad pœnitentiam baptismalem, conc.; ad pœnitentiam quæ in Sacramento Pœnitentiæ, vel extra illud cum ejus voto agitur, neg.

Ob contextum et plures circumstantias multis videtur Apostolus agere de Baptismo; hocque videtur insinuari

inter alia illis verbis : *qui semel sunt illuminati ;* nam apud veteres illuminari est baptizari ; et illis : *rursus renovari ;* nam Apostolus, Tit. III, Baptismum vocat *lavacrum regenerationis et renovationis.* Sensus itaque esset : impossibile est eos, qui post Baptismum lapsi sunt, per Baptismum denuo susceptum restitui in plenam illam perfectamque ex omni parte renovationem, quam amiserunt ; quia iterari non potest Baptismus.

Alii putant Apostolum de crimine apostasiæ ibidem locutum esse, et impossibile dixisse, quod non nisi ingenti difficultate fieri potest. Sæpe enim S. Scriptura imitatur vulgarem modum loquendi, dicens impossibile, et nunquam fieri, quod non nisi difficillime et rarissime fit.

Ad 3um. In textu objecto loquitur Apostolus de Judæis apostatis, negatque illis in tali statu superesse hostiam et sacrificium, quo expiari possint, cum Christum deseruerint, qui sola est hostia peccata expians, et sacrificia legis Mosaicæ, utpote abrogata, ipsis non prosint amplius. Cæterum apostatis vere pœnitentibus non negat patere locum indulgentiæ et remissioni peccatorum.

Ad 4um. Peccatum ad mortem, ut dicit S. Augustinus, *De corrept. et gratia,* cap. 12, est fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Pro hujusmodi peccato seu finali impœnitentia utique orandum non est, cum remitti tale peccatum amplius non possit.

Alii ab Apostolo Joanne intellectum putant peccatum in Spiritum sanctum, vel aliud enorme ex obstinata malitia, pro quo non audet consulere ut oret quis cum tanta fiducia, cum quanta orat pro aliis. Non vero prohibet orare, quasi esset inutile, aut desperanda esset salus eorum, qui hujusmodi peccati rei sunt.

N.° 8. De necessitate actus pœnitentiæ pro remissione peccatorum mortalium.

Non quæritur hic an de potentia absoluta possit Deus remittere peccata mortalia sine actu pœnitentiæ ; sed agitur de ordinaria Dei lege, quam hominibus manifestavit super remissione peccatorum.

An actus pœnitentiæ necessarius est ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium ?

Pœnitentia necessaria est ad remissionem peccati mortalis.

R. Affirmative. Probatur 1.° ex variis locis Scripturæ sacræ, ut Eccl. II, 22 : *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini;* Luc XIII, 5 : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis;* Act. II, 38 : *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Scilicet nequidem Baptismus vel aliud Sacramentum sufficit sine pœnitentia.

Probatur 2.° ex traditione ; etenim necessitatem pœnitentiæ inculcant unanimiter SS. Patres, inter quos S. Ambrosius, *Epist. 28,* alias *51,* dicit : *Peccatum non tollitur nisi lacrymis et pœnitentia.* Unde Conc. Trid., sess. XIV, cap. I, docet : *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria.*

Probatur 3.° ratione theologica, quam sic breviter indicat sanctus Thomas, quæst. 86, art. 2 : *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendandi.*

An pro remissione peccatorum mortalium requiritur actus pœnitentiæ formalis seu explicita peccati detestatio ?

Per se requiritur explicita.

R. 1.° Ad remissionem peccati mortalis consequendam per se loquendo requiritur actus formalis pœnitentiæ ; talem enim actum important nomina pœnitentiæ, contritionis, doloris, tristitiæ, gemitus, aliaque in Scripturis, Patribus et Conciliis usitata. Unde saltem per se et regulariter loquendo, talis actus necessarius est.

Per accidens sufficit virtualis.

R. 2.° Ad remissionem peccati mortalis consequendam per accidens sufficit pœnitentia virtualis. Casus sit : si quis inculpabili oblivione, aut naturali inadvertentia vel inconsideratione, non recordetur sui peccati mortalis, et tunc formalem perfectæ dilectionis Dei actum eliciat sine formali actu contritionis. Actus ille charitatis virtualiter et eminenter continet pœnitentiam, aversionem

a peccato propositumque Deo placendi in omnibus ; estque adeo perfecta animæ ad Deum conversio, secum trahens infallibiliter Dei conversionem et amicitiam ad ipsam. Alium casum describunt alii in eo, qui, non relicto sibi spatio cogitandi de peccatis, totus in amore Christi defixus rapitur ad martyrium.

An igitur actus pœnitentiæ necessarius est etiam necessitate medii ad salutem ?

R. Affirmative ; scilicet si quis peccatum mortale commiserit : ratio est, quod salvari nequeat quin obtinuerit remissionem istius peccati ; hæc autem, juxta dicta, obtineri nequeat sine actu pœnitentiæ formalis aut virtualis. Pœnitentia necessaria necessitate medii.

Quis actus pœnitentiæ requiritur pro remissione peccati mortalis ?

R. Requiritur actus contritionis perfectæ cum voto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, vel si Sacramentum ipsum recipiatur, actus contritionis imperfectæ, ut dicetur infra suo loco. Qualis actus requiratur.

N.° 9. De necessitate actus pœnitentiæ pro remissione peccatorum venialium, et de mediis quibus eorum remissio obtineri potest.

S. Thom., quæst. 87.

Post peccatum veniale commissum non solum manet reatus pœnæ, sed etiam moralis culpa ac macula proportionata. Hic agitur de remissione venialium quoad culpam ac maculam.

An peccata venialia remitti possunt sine pœnitentia ?

R. Nullum peccatum veniale remittitur sine pœnitentia. Id colligitur ex Scriptura sacra generatim requirente pœnitentiam ad remissionem peccatorum. Id etiam suadet ratio : quia peccatum veniale est aliqua voluntaria Dei offensa ; ergo conveniens erat, ut non remitteretur absque voluntaria ejus retractatione, quæ est actus pœnitentiæ. Hinc S. Augustinus, *Epist. 93*, n. 53, ait : *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Peccatum veniale non remittitur sine pœnitentia,

Qualis pœnitentia requiritur ad remissionem venialium?

sed sufficit virtualis.

R. Ad remissionem peccatorum venialium per se non requiritur pœnitentia formalis, sed sufficit virtualis.

Id breviter suaderi potest hac ratione : plus requiritur ad remissionem peccati mortalis, quam ad remissionem venialis : sed ad remissionem peccati mortalis per se quidem requiritur pœnitentia formalis, sed per accidens sufficit virtualis; ergo ad remissionem peccati venialis per se et ex natura rei sufficit pœnitentia virtualis.

Pœnitentia formalis et explicita per se certe excellit et præstat efficacia sua : at interim non est dubium, quin in pluribus justorum actibus contineatur virtualis pœnitentia seu retractatio peccatorum suorum venialium, cum quibus nempe illi actus specialem habent repugnantiam. Dicimus igitur universim, pœnitentiam virtualem contineri in actibus virtutum, qui ita determinant voluntatem, ut haberet actualem displicentiam de venialibus contra illas virtutes commissis, si memoriæ occurrerent. Quinimo si actus dilectionis Dei seu motus charitatis in aliquo ita esset insignis, ut statim detestaretur quodcunque veniale, si occurreret, deleret omnia simul; idque conforme putamus doctrinæ S. Thomæ, qui quæst. 87, art. 1, in corp., sic loquitur : *Sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret.*

Equidem non sufficit ad remissionem venialium quivis actus supernaturalis hominis justi, licet alioquin meritorius : ratio est, quod non quivis actus supernaturalis, cæteroquin meritorius, repugnantiam habeat cum quovis veniali, nec adeo contineat virtualem illius retractationem. Ita homo justus potest dare eleemosynam sine virtuali peccatorum venialium retractatione, quinimo cum affectu perseverante ad venialia, quibus obnoxius erat. Hinc patet, quod status gratiæ quocum habitus virtutis pœnitentiæ indivulse connexus est, stare possit cum peccatis venialibus eorumque affectu : quo sensu intelligendus est S. Thomas, dum, loco cit., dicit : *Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel pœnitentiæ virtutis.*

Ex doctrina de sufficientia pœnitentiæ virtualis, non sequitur quod homo justus frustra ad Sacramentum Pœnitentiæ recurrat ad remissionem venialium per absolutionem sacramentalem obtinendam, utpote quæ modo sint remissa per pœnitentiam virtualem, aut certe remittantur per contritionem formalem, quæ absolutioni sacramentali præmittitur. Non id sequitur, inquam; tum quia in Sacramento gratia ex opere operato confertur et plus de pœna tollitur; tum quia extra Sacramentum Pœnitentiæ non quævis attritio seu imperfecta contritio illico sufficit ad delenda omnia aut quæcunque venialia, sed ad pauciora vel plura, prout videlicet pœnitentia vel contritio procedit ex meliori motivo, cum majore intensione, duratione, aut aliis bonis operibus vestitur. Unde stat doctrina Concilii Tridentini, sess. XIV, cap. V dicentis, venialia non solum per Sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam multis aliis remediis expiari posse.

Quibus mediis peccata venialia expiari possunt?

Media quibus expiari possunt venialia.

R. S. Thomas, quæst. 87, art. 3, reducit illa ad tria genera.

Primi generis sunt Sacramenta: hæc ex opere operato remittunt venialia, modo aliqua detestatio eorum explicita vel implicita non desit; etiamsi non adsit ea animi dispositio, quæ per se sufficiat ad ea delenda; dicit enim S. Doctor ibidem: *Per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.*

Id suadet ratio theologica: nam Sacramenta mortuorum, vi primariæ institutionis, et Sacramenta vivorum, vi secundariæ institutionis, habent virtutem remittendi peccata mortalia, ut in tractatu *De Sacram. in genere* ostenditur; ergo cum venialia facilius remittantur, Sacramenta simpliciter dici possunt ex opere operato remittere venialia, eaque maxime quæ speciali cujusque fini magis opponuntur.

Imprimis quidem certum est, peccata venialia ex opere operato remitti per Sacramenta Pœnitentiæ, Baptismi et Extremæ Unctionis, ut etiam indicant verba: *Absolvo te, Baptizo te, Indulgeat tibi Dominus.* De Sacramento Eucharistiæ, ut in ejus tractatu, N. 46, exponitur, etiam datur specialis ratio idipsum affirmandi: de reliquis

autem Sacramentis idem communius admittitur a theologis, tum propter laudata Angelici Doctoris verba, tum propter rationem supra datam.

Secundi generis sunt omnes actus pœnitentiæ eliciti et imperati, sive, ut S. Thomas dicit, ea quæ sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et hoc modo, inquit, confessio generalis, tunsio pectoris, et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum.

Tertii generis sunt ea, quæ fiunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum et res divinas : et hoc modo usus rituum sacramentalium, benedictio præsertim episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, oratio in ecclesia dedicata, et si qua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem peccatorum venialium : valent autem non ex opere operato, sed quatenus, si rite usurpentur, nos excitant ad detestationem peccatorum, vel ob preces et reverentiam Ecclesiæ nobis a Deo impetrant gratiam pœnitendi. Atque ita pie utens aqua benedicta gratiam pœnitendi a Deo impetrare potest, ob preces quæ in benedictione ejusdem nomine Ecclesiæ recitatæ sunt, quæque in acceptatione divina perseverant, et illi homini applicantur, ac si pro ipso recitatæ fuissent.

Quomodo remittuntur peccata venialia in quibus justi moriuntur sine pœnitentia etiam virtuali, ut dum repentina morte præveniuntur ?

R. Culpæ illæ veniales, juxta communiorem sententiam, absterguntur primo momento, quo anima corpore soluta est, per formalem pœnitentiam, ex perfecta dilectione manantem ; quamvis nondum sit satisfactum pro reatu pœnæ, quæ proinde remanet luenda in purgatorio.

N.° 10. De differentia inter pœnitentiam de peccatis mortalibus et pœnitentiam de venialibus.

Quæ est differentia inter pœnitentiam de peccatis mortalibus, et de peccatis venialibus ?

Differentia pœnitentiæ de mortalibus et de venialibus prima,

R. Differentia est multiplex ob infinitam distantiam inter peccatum mortale et veniale. Hinc

1.° Major debet esse dolor ac detestatio de mortali quam de veniali ; unde firmius quoque et efficacius debet esse propositum vitandi mortalia, quam venialia.

2.° Pro remissione mortalium per se requiritur pœni- secunda,
tentia formalis seu explicita ; pro remissione vero venialium per se sufficit implicita seu virtualis, ut constat ex ante dictis. Quod autem pro directa absolutione super peccato veniali requiratur formalis contritio, constabit ex dicendis, ubi de Sacramento.

3.° Vera pœnitentia de mortalibus se extendit ad tertia,
omnia ; quia motivum pœnitendi de uno militat pro omnibus, nec adeo potest quis recte ac debite pœnitere de uno mortali, quin simul pœniteat de aliis a se commissis ; e contra potest quis vere pœnitere de uno veniali, quin pœniteat de altero diversæ saltem speciei aut conditionis. Unde etiam ad veram pœnitentiam requiritur propositum vitandi omnia et singula mortalia ; non vero requiritur propositum vitandi omnia venialia, sed sufficit propositum vitandi illa, de quibus elicitur contritio.

4.° Unum mortale non potest remitti sine alio ; bene quarta,
vero unum veniale sine altero diversæ speciei aut conditionis.

5.° In nova Lege vera pœnitentia de mortalibus debet quinta.
esse conjuncta cum susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, aut ejusdem suscipiendi voto, ob præceptum subjiciendi peccata mortalia clavibus Ecclesiæ ; non vero pœnitentia de venialibus, cum hæc non debeant necessario in confessione exponi, sed aliis mediis expiari possint.

N.° 11. De connexione peccatorum in ordine ad remissionem.

Ut discernatur an et quæ peccata in ordine ad remissionem connexa sint, quatuor quæstiones resolvendæ sunt.

I. *An unum peccatum mortale potest remitti sine alio peccato mortali ?*

R. Negative ; nam 1.° non potest haberi vera pœni- Unum mortale non remittitur sine alio.
tentia de uno peccato mortali, si simul non habeatur de altero, siquidem motivum formale pœnitendi de uno peccato mortali necessario inducat ad pœnitendum de omnibus.

2.° Juxta præsentem Dei legem nullum peccatum mortale remittitur nisi infundatur gratia sanctificans, et

homo assumatur ad amicitiam Dei: atqui gratia sanctificans non potest in anima consistere simul cum reatu illius peccati mortalis, nec amicitia Dei stare potest cum ejus offensa gravi habitualiter permanente ; ergo, etc.

Hinc sequitur vanam fore absolutionem illius, quem vel de uno peccato mortali vere non pœnitet, licet de aliis acriter dolere videatur.

II. *An unum peccatum veniale remitti potest sine alio peccato veniali ?*

Unum veniale remittitur sine alio.

R. Per se loquendo affirmative ; ratio est, quod possit quis pœnitentiam agere de uno veniali, et non de altero; cum enim peccata venialia non avertant a summo bono et ultimo fine, ideo connexa non sunt, ut mortalia, quæ, ut loquitur S. Thomas, quæst. 86, art. 3, ad 3, sunt connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili. Constat insuper ex praxi Ecclesiæ, quæ in Sacramento Pœnitentiæ absolvit pœnitentem a certis venialibus, quin aliorum quorumdam venialium displicentiam exigat aut supponat.

Dictum est : *per se loquendo ;* quia si agatur de venialibus ejusdem speciei et conditionis, dum deest dolor de uno, deest quoque de alio, adeoque nec unum sine alio ejusdem speciei et conditionis remitti potest.

III. *An peccatum mortale remitti potest, quin simul remittatur peccatum veniale, cujus idem pœnitens reus est ?*

Mortale remitti potest sine veniali;

R. Affirmative ; nam potest haberi vera contritio de peccato mortali, quin simul ea habeatur de veniali, et potest gratia sanctificans infundi, manente culpa veniali, quandoquidem non sunt incompatibiles.

Unde absolvi potest pœnitens, qui sincere dolet de commisso peccato mortali et adhuc retinet affectum ad unum vel plura peccata venialia.

IV. *An peccatum veniale remitti potest, quin simul remittatur mortale ei connexum ?*

sed non veniale sine mortali ei connexo.

R. Responsio negativa S. Thomæ, quæst. 87, art. 4, est communior et probabilior. Dicit autem S. Doctor ibid., ad 3 : *Peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur.* Et ratio suadet, indignum esse venia qui, gravi peccato neglecto, deprecatur pro remissione peccati venialis, et veniam petit ab eo, cujus vult manere inimicus.

Interim certum est, quod nullus possit absolvi sacramentaliter ab ullo peccato veniali, manente culpa mortali : quia absolutio sacramentalis rite et legitime data importat collationem gratiæ ; hæc autem incompatibilis est cum reatu cujusvis peccati mortalis.

N.° 12. De secundo effectu pœnitentiæ seu remissione pœnarum pro peccatis debitarum.

S. Thom., quæst. 86, art. 4.

Una cum culpa semper remittitur pœna æterna peccato mortali debita, ut tradit Conc. Trid., sess. VI, cap. XIV, et hoc omnes concedunt.

In Baptismo etiam omnis pœna temporalis simul cum culpa deletur, prout traditur in tractatu *De Baptismo*, N. 29. Sed lapsis post Baptismum non tota semper pœna temporalis cum culpa dimittitur, ut docet Conc. Trid., loco cit., tum sess. XIV, ubi can. 12, ita definit : *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo....; anathema sit.* Est contra novatores dicentes, Deum nullam exigere pœnam a justis in vindictam præcedentium delictorum. Contra illos

Proba, remissa culpa, non semper remitti omnem pœnam temporalem.

Remissa culpa, non semper remittitur omnis pœna temporalis.

R. Probatur 1.° ex Scriptura sacra, ubi plura occurrunt exempla, in quibus post remissam culpam equidem Deus pœnas temporales inflixit pœnitentibus in vindictam peccatorum. Ita Moyses et Aaron, Num. XXVII, 13, ab ingressu terræ promissæ excluduntur, quia increduli fuerant ad aquas contradictionis, cum tamen peccatum illud Deus ipsis condonasset. Illustre vero præ cæteris est exemplum Davidis, qui IIReg. XII, morte filii sui mulctatus legitur in pœnam adulterii et homicidii, postquam culpæ remissionem obtinuerat, et a Propheta Nathan audiverat : *Dominus transtulit peccatum tuum ;* ibid. ℣. 13. Neque ideo cessavit rex pœnitens misericordiam Dei deprecari, cum multis lacrymis orans : *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.*

Probatur 2.° ex traditione. S. Augustinus, *Tract. 124 in Joan.*, n. 5, verba orationis Dominicæ : *Dimitte nobis*

debita nostra, de culpæ remissione interpretans, quæ autem sequuntur : *Libera nos a malo,* de pœnæ condonatione, addit : *Cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis ; quamvis ut in eam venerit miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna.*

Probatur ulterius ex perpetua Ecclesiæ fide et unanimi doctrina Patrum de necessitate satisfaciendi pro peccatis propriis, de utilitate orationis pro defunctis, de existentia purgatorii in quo post hanc vitam animæ justorum plenius purgantur : hæc enim omnia supponunt, dimissa culpa, non semper deleri reatum totius pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro.

Quare cum culpa non semper remittitur omnis pœna temporalis ?

Rationes. R. Ratio principalis est positiva voluntas Dei ; aliquatenus autem hoc exigere videntur justitia et ipsa clementia Dei, dicente Concilio Trid., sess. XIV, cap. VIII: *Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint ; aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

Attamen potest aliquando tanta esse contritio pœnitentis, tam ardens ipsius charitas, ut Deus omnem etiam pœnam temporalem ei remittat, prout communiter tradunt auctores cum S. Thoma, *Suppl.,* quæst. 5, art. 2 ; atque ideo supra non dicebatur *nunquam,* sed *non semper* omnem pœnam remitti.

Contra præfatum dogma

Objectiones. Objicitur 1.° Ezech. XVIII, 21 et 22, dicitur : *Si impius egerit pœnitentiam.... omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor :* atqui hoc non esset verum, si ob peccata remissa Deus pœnas temporales infligeret ; ergo, etc.

R. Neg. min. Deus enim dicitur oblivisci, seu non recordari iniquitatum nostrarum, ideo quod culpam et pœnam æternam pœnitentibus condonat, nec de nobis tanquam de inimicis suis supplicia sumit, sed castigat tantum ut filios.

Obj. 2.° Quotiescunque in novo Testamento legimus Christum remisisse peccata, de nulla pœna temporali remanente fit mentio, nulla imponitur satisfactio. Unde de S. Petro scribit S. Ambrosius, *Exposit. Evang. secundum Lucam*, l. 10, n. 88 : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ;* ergo, etc.

R. Ex illis exemplis nihil posse inferri contra dogma catholicum. Nam et hoc admisimus, quandoque contingere, ut cum culpa omnis pœna temporalis expungatur, ut cum vehemens admodum dolor est et charitas valde intensa : quod utique locum habuisse videtur in muliere peccatrice, de qua ipse Salvator dixit : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* De cæteris vero minus constat, omnem pœnam temporalem cum culpa eis fuisse remissam ; hoc enim ex solo silentio Scripturæ sacræ concludi non potest. Quod si tamen ita contigerit, ut probabiliter sustinetur, attribuendum est præcellenti et absolutæ auctoritati Christi Domini, vel etiam eximiis pœnitentium dispositionibus.

Quoad textum S. Ambrosii, ex orationis serie patet, ipsum nomine satisfactionis uti pro defensione seu excusatione ; nam ibidem sic loquitur : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ; sed quod defendi non potest, ablui potest.*

Obj. 3.° Sublata causa, tollitur effectus ; ergo remissa culpa, non manet pœna luenda.

R. Dist. antec. Sublata causa sine qua effectus conservari nequit, tollitur effectus, conc. antec. : sublata causa sine qua effectus conservari potest, neg. antec. Ita, sublato artifice domus, manet domus, et simili modo, remissa culpa, potest manere reatus pœnæ temporalis, qui ex culpa quidem contrahitur, sed sine culpa subsistere potest.

Obj. 4.° Doctrina hæc catholicorum magnam infert injuriam satisfactionibus Christi, quasi illæ non essent sufficientes ad satisfaciendum pro omnibus pœnis debitis,

sed a propria hominis satisfactione pœnarum remissio esset speranda. Ergo, etc.

R. Neg. assertum. Non enim propter insufficientiam satisfactionum Christi, quas superabundantes fuisse sustinemus, contingit non omnem pœnam deleri ; sed quia virtus passionis Christi, Deo sic disponente, non semper applicatur omnibus pœnitentibus ad deletionem omnium pœnarum simul cum culpis. Neque satisfactiones nostras aliquid valere dicimus, independenter a meritis et satisfactionibus Christi, sed cum Conc. Trid., sess. XIV, cap. VIII, profitemur : *Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.*

Per quæ igitur media in hac vita liberari possumus a reatu pœnarum pro culpis remissis debitarum ?

Media quibus pœnæ temporales remittuntur in hac vita.

R. 1.° Per Sacrificium Missæ et per satisfactionem sacramentalem : hæc duo valent etiam ex opere operato ad delendas pœnas. Cfr. tract. *De Sacrif. Missæ*, N. 8.

2.° Per martyrium, quod omnes pœnas delet ex privilegio. Cfr. tract. *De Baptismo*, N. 15.

3.° Per indulgentias, quibus satisfactiones Christi et Sanctorum, vi potestatis clavium, applicantur rite illas lucrantibus.

4.° Per propria opera satisfactoria, qualia sunt omnia opera bona et supernaturalia in statu gratiæ facta, in quantum nimirum sunt pœnalia seu difficultatem aliquam habent, et ponuntur ex aliqua intentione satisfaciendi. Reduci solent ad tria : orationem, jejunium, eleemosynam, quæ in lato sensu sumpta comprehendunt cætera. Cfr. Catech. Conc. Trid., *De Pœnit. Sacram.*, n. 105.

Opera illa justorum non tantum valent per modum impetrationis, nec sunt simplex conditio, qua posita, applicentur nobis merita Christi, sed ipsa vere sunt satisfactoria et possunt expiare etiam de condigno pœnam luendam. In hanc rem damnata fuit hæc propositio 77ª

Baii : *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

Satisfacimus autem non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis. Cfr. Conc. Trid., sess. XIV, cap. IX.

5.° Per intercessiones Sanctorum in cœlo, per orationes Ecclesiæ et justorum in terra, imo etiam per ipsorum satisfactiones, si nobis illas applicent : nam vi communionis Sanctorum unus pro alio satisfacere potest. Cfr. Catech. Conc. Trid., *De Pœnit. Sacram.*, n. 119.

Multis igitur modis justi in hac vita liberari possunt a reatu pœnarum temporalium, cui solvendo magno zelo incumbent, si comparaverint hæc media tam facilia cum acerbis purgatorii suppliciis, quibus satisfacere debebunt pro reatu pœnarum post mortem remanente. Interim animabus purgatorii variis etiam modis succurrere possunt viventes, ut explicatur in tractatu *De Quatuor Novissimis.*

N.° 13. De reliquiis peccatorum et mediis quibus ab iis liberamur.

S. Thom., quæst. 86, art. 5.

Reliquiæ peccatorum

Inter effectus peccatorum numerantur quæ ipsorum *reliquiæ* dicuntur. Eo nomine intelliguntur pravæ quædam dispositiones, aut habitus vitiosi ex præcedentibus peccatis causati, quales sunt : corruptio appetitus, phantasiæ, humorum, inclinatio quædam voluntatis ad peccatum ex consuetudine remanens, cæcitas mentis, torpor animi ad spiritualia, etc. De his quæritur

An, remissa culpa per pœnitentiam, etiam tolluntur reliquiæ peccatorum ?

non semper tolluntur, remissa culpa ;

R. Quum pravæ hujusmodi dispositiones acquisitæ formaliter non repugnent gratiæ sanctificanti, non statim, remisso peccato, tolluntur omnes ipsius reliquiæ, quamvis ita per gratiam debilitatæ sint, ut homini non dominentur. Simili modo, remisso peccato originali, remanent tamen quatuor animæ vulnera, quæ illius reliquiæ

sunt. Ita docent communiter theologi, et ostendit experientia, præsertim in consuetudinariis, quibus reliquiæ peccatorum post conversionem sæpe sunt fontes multarum tentationum. Interdum tamen Deus ex singulari misericordia ita perfecte aliquem sanat, ut simul tollat omnes peccati reliquias, quod in Maria Magdalena contigisse docet S. Thomas, art. cit., ad 1.

sed interdum ex singulari Dei misericordia.

Quibus mediis tolluntur reliquiæ peccatorum ?

Media quibus tolluntur.

R. 1.° Per gratiam Dei ; qualis specialiter confertur in Sacramentis Eucharistiæ, Pœnitentiæ atque Extremæ Unctionis, et oratione etiam impetrari potest.

2.° Per actus virtutum contrarios : unde Concilium Tridentinum, de pœnis satisfactoriis loquens, sess. XIV, cap. VIII dicit : *Medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.*

N.° 14. De reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum.

S. Thom., quæst. 88.

Ex iis quæ de reditu peccatorum hic explicanda sunt, agnoscetur perfectio remissionis eorum per pœnitentiam.

An peccata per pœnitentiam sic remittuntur, ut non redeant, seu denuo non imputentur, si peccator post obtentam remissionem incidat in novum peccatum mortale ?

Peccata remissa proprie non redeunt ;

R. 1.° In præsenti providentia peccata semel remissa proprie loquendo per subsequens peccatum non redeunt nec quoad culpam, nec quoad pœnam, sive æternam, sive temporalem, quæ remissa fuit. Est sententia communis et certa, cum S. Thoma, quæst. 88, art. 1, contra nonnullos antiquos.

Ratio prima est, quod Deus, dum peccata quoad culpam et pœnas remittit, ea simpliciter et absolute remittat, non vero sub conditione ut in casu relapsus censeantur non remissa.

Ubicunque Scriptura sacra agit de remissione peccatorum, significat eam fieri absolute. Sic Psalm. L, 3, peccata dicuntur *deleri ;* Isai. I, 18, *dealbari ut nix ;*

Mich. VII, 17, *projici in profundum maris;* Joan. I, 29, *tolli* a Christo, et XX, 23, *remitti* ab Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus: quæ omnia significant absolutam peccatorum remissionem, qualem etiam significat forma absolutionis sacramentalis; et ideo sacerdotes sine ulla futuri effectus conditione pœnitentes absolvunt.

Ratio secunda est, quod applicatione meritorum Christi injuria, Deo per peccatum illata, reparata sit, et debita satisfactio exhibita, adeoque peccatum totaliter sit destructum, nec proinde ullum maneat fundamentum reviviscentiæ.

Difficultates, quæ ex quibusdam locis Scripturæ et Patrum concipiuntur et nonnunquam objiciuntur, facile solvi possunt ex iis quæ statim dicenda sunt.

R. 2.° Quamvis peccata semel remissa proprie non redeant, ut probatum est, tamen improprie vel secundum quid redire possunt, præsertim ratione ingratitudinis. Est sententia pariformiter communis et certa, cum S. Thoma, quæst. cit., art. 1 et seqq. sed tantum secundum quid,

Quadruplici modo peccata remissa improprie vel secundum quid redire dicuntur.

1.° Ratione similitudinis peccati remissi et peccati subsequentis: præsertim quatenus subsequens peccatum est ejusdem speciei ac illud quod remissum fuit, quodque ob istam offensæ, privationis gratiæ, ac reatus similitudinem redire dicitur; sicut febris dicitur redire, dum quis sanatus rursus in febrim incidit. quadruplici potissimum modo.

2.° Ratione pœnarum temporalium, quas Deus, mensura per subsequentia peccata impleta, infligit, secus non inflicturus. Quo modo peccatorum recordari dicitur, quæ ante videbatur oblitus esse.

3.° Ratione subtractionis auxiliorum abundantium, quæ Deus novis peccatis offensus subtrahit: ita ut homo relabatur in peccata prius remissis similia aut graviora, imo et in obduratione sua voluntaria impœnitens aliquando moriatur.

4.° Ratione ingratitudinis, ob quam sequêntia peccata aggravantur: ingratitudo enim subesse intelligitur, quando post acceptum maximum justificationis beneficium ad priora peccata reditur.

Illa autem ingratitudo præcipue occurrit, dum post remissionem obtentam quis incidit in unum ex quatuor peccatis, quæ veteres theologi hoc disticho relato a S. Thoma designarunt :

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Ratio est, quod hæc accepto beneficio remissionis specialiter opponuntur : scilicet odium fraternum, quo venia fratri denegatur, adversatur Dei misericordiæ a qua remissio profluxit ; apostasia a fide adversatur motui fidei quo ad pœnitentiam pervenitur ; contemptus confessionis et dolor de peracta pœnitentia adversantur illis ipsis mediis quibus remissio obtenta fuit.

An ille, qui post obtentum beneficium remissionis peccati mortalis iterum mortaliter peccat, aliquando reus est specialis peccati ingratitudinis, quod in confessione exprimere debeat ?

Raro in relapsu est ingratitudo mortalis.

R. Aliquando, sed raro. Est autem speciale peccatum, quando adest expressa voluntas contemnendi beneficium Dei in priore remissione acceptum, et ideo istud, si contigerit, in confessione exprimendum esset. Alias ingratitudo hominis post remissum peccatum iterum peccantis, non est speciale peccatum, sed tantum communis circumstantia istius peccati subsequentis, malitiam ejus intra eamdem speciem aggravans, quæ etiam in rigidiore sententia ordinarie non est in confessione exprimenda, eo quod vel non sit notabiliter aggravans, vel sub peccatis expositis facile intelligatur.

N.° 15. De tertio effectu pœnitentiæ, qui est reviviscentia meritorum et recuperatio gratiæ ac virtutum.

S. Thom., quæst. 89.

Ad elucidandam quæstionem de reviviscentia meritorum quædam prænotanda sunt :

Circa meritorum reviviscentiam

Meritum est opus bonum præmio vitæ æternæ dignum ; consideratum veluti in abstracto indicat vim et efficaciam, sive jus ex illo bono opere ad præmium vitæ seu gloriæ æternæ. Hinc, quo plura aut majora sunt

merita, eo major est gloria, quæ tanquam præmium illis proportionatum correspondet. Lumen affert, quantum ad præsens institutum, sequens operum distinctio. quadruplicis generis opera distinguenda sunt :

Quadruplicis generis opera distinguenda sunt :

1.° *Opera mortua :* hæc sunt opera bona facta ab homine constituto in statu peccati mortalis, quod est mors spiritualis animæ, ideoque non habent vim perducendi ad vitam æternam. 1.° Opera mortua,

Opera mortua reviviscere non possunt, cum nunquam fuerint viva seu præmio vitæ æternæ digna ; minime tamen a peccatore negligenda sunt, quia dum fiunt cum auxilio gratiæ actualis, salutaria sunt et de congruo mereri possunt ulteriores gratias, quibus ad conversionem et perfectam pœnitentiam perveniat. Sic eleemosynæ ex motu gratiæ actualis a peccatore factæ, salutares sunt, et ad salutem conducunt, licet in vitam æternam non perducant.

2.° *Opera mortifera,* seu peccaminosa : de horum reviviscentia per pœnitentiam cogitari non potest, cum per pœnitentiam deleantur. 2.° mortifera,

3.° *Opera viva :* hæc sunt opera quæ a justis ex gratia fiunt et meritoria sunt, v. g., oratio hominis existentis in gratia sanctificante. Hujusmodi opera vocantur viva, quia præmio æternæ vitæ digna sunt. De illorum reviviscentia non cogitatur, nisi prius mortificata supponantur. 3.° viva,

4.° *Opera mortificata :* ea sunt quæ fuerunt viva, utpote facta ab homine justo, sed per peccatum mortale, in quod homo ille incidit, amiserunt efficaciam perducendi illum ad vitam æternam. De his petitur : 4.° mortificata.

An opera bona peccato mortali mortificata reviviscunt per pœnitentiam ?

R. Affirmative cum sententia communi et certa, quamvis non sit de fide. Hinc S. Thomas, quæst. 89, art. 5, in corp., dicit : *Opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam.* Opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt.

Atque ita per reviviscentiam meritorum intelligitur, quod merita ab homine in statu gratiæ acquisita, sed per peccatum mortale mortificata, seu quasi consopita, per subsequentem pœnitentiam justificativam resuscitentur,

sive, ut S. Doctor ait, vim recuperent perducendi ad vitam æternam.

Probatur responsum ex Scriptura sacra, accedente SS. Patrum interpretatione, et favente Concilio Tridentino.

Apostolus, Hebr. VI, fideles lapsos excitans ad pœnitentiam consolatur eos, quod Deus bona eorum opera præcedentia sit compensaturus æternæ vitæ præmio, ideoque ait, ℣. 10 : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis illos erigit in spem æternæ mercedis a Deo accipiendæ intuitu bonorum operum, quæ ante lapsum in statu gratiæ fecerant. Hoc sensu istum locum explicant Chrysostomus, *Homilia 10 ;* Athanasius, *Orat. de blasphemia in S. Spiritum;* Epiphanius, *Hæresi 59;* Augustinus, *De fide et operibus,* cap. 14. Similiter alii Patres, sive in hunc sive in alios Scripturæ textus.

Favent Patres Tridentini, sess. VI, cap. XVI, ubi dicunt : *Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino ; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis loquuntur etiam de meritis mortificatis et reviviscentibus, cum dicant : *sive amissam recuperaverint.*

Confirmatur. Reviviscentiam priorum meritorum suadet bonitas liberalissimi Remuneratoris, qui magis propensus est ad miserandum, quam ad puniendum, et modus agendi hominum, apud quos, condonatis absolute offensis, restitui solent jura prius impedita.

Objectiones. Dices 1.° Ezech. XVIII, 24, legitur : *Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem.... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur ;* ergo non reviviscent per pœnitentiam.

R. Neg. conseq. ; nam Scriptura non de peccatore pœnitentiam agente, sed de peccatore in iniquitate sua persistente loquitur, immediate subjiciens : *In prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

Dices 2.° Peccata non redeunt ; ergo nec bona opera redeunt.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quod peccata remissa penitus aboleantur: verum opera bona non penitus abolentur , sed manent in acceptatione Dei, ut, sublato impedimento, præmium iis redeat; unde efficacia eorum solum impeditur pro tempore status peccati.

In quo gradu per pœnitentiam reviviscunt merita bonorum operum ?

In quo gradu reviviscant.

R. Cum Ecclesia nihil hic definiat, variæ sunt theologorum sententiæ, ex quibus duæ præcipuæ recensendæ sunt, omissis opinionibus aliquorum, qui reviviscentiam meritorum magis quoad nomen, quam quoad rem ipsam admittunt.

Prima sententia tenet, merita mortificata reviviscere in majori vel minori quantitate, prout major vel minor est præsens dispositio illius, qui nunc justificatur. In hac igitur sententia merita aliquando reviviscunt integre, id est, ad totum præmium ad quod ante peccatum erant acceptata, aliquando non integre reviviscunt, sed ad partem tantum, secundum proportionem dispositionis præsentis.

Secunda sententia, quæ videtur probabilior, tenet merita mortificata integre reviviscere, quæcunque sit præsens dispositio illius qui nunc justificatur; quia, remoto impedimento, scilicet peccato, non videtur amplius esse obstaculum integræ meritorum reviviscentiæ. Accedit, quod textus supra citati loquantur indistincte, nulla facta limitatione ad hunc vel illum gradum ; unde colligitur, merita reviviscere ad totum præmium, quod ipsis prius respondebat.

An pristina gratia per peccatum amissa etiam restituitur per pœnitentiam ?

Restituitur pristina gratia per peccatum amissa ;

Sensus quæstionis est, an qui per contritionem perfectam, aut per attritionem cum Sacramento nunc justificatur, præter hanc gratiam quam nunc recipit, secundum mensuram et proportionem præsentis dispositionis, insuper recuperet totam gratiam per peccatum mortale amissam, quæ antea per propria merita aut aliter obtenta fuerat.

R. 1.° Affirmative, quoad gratiam quæ propriis meritis

acquisita fuerat : qualis est gratia secunda, seu gratiæ augmentum justorum operibus meritoriis correspondens. Si enim merita reviviscunt cum sua efficacia et jure ad gloriam iis antea debitam, etiam reviviscere debent ad gratiam per ea antea acquisitam ; quia gloria debita est meritis, mediante gratia, et datur juxta mensuram gratiæ.

2.° Affirmative, saltem probabilius, etiam quoad gratiam quæ aliter quam ex propriis meritis acquisita fuerat : qualis est gratia prima per contritionem extra Sacramentum obtenta ; item omnis gratia ex opere operato virtute Sacramenti accepta. Porro recuperationi hujusmodi gratiæ correspondet recuperatio gloriæ, quæ isti gratiæ commensurata erat.

Rationes hujus sententiæ inter alias sunt : 1.° merita Christi independenter a nostris meritis applicata, puta ex opere operato in Sacramentis, non sunt minus efficacia, nec minus manent in acceptione Dei, quam nostra ; ergo, quod meritis nostris conceditur, illis negandum non est.

2.° *Impietas impii,* ut dicitur Ezech. XXXIII, 12, *non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua :* atqui si præfata gratia cum commensurato gloriæ gradu per peccatum amissa, per pœnitentiam non restitueretur, multum et quidem per æternitatem peccatori converso nocerent iniquitates ; ergo etc.

Hæc sententia etiam maximam consolationem potest afferre homini diligenter in pietatis operibus se exercenti et Sacramenta frequentanti, dum considerat, quod licet forte ex fragilitate per peccatum ex Dei gratia exciderit, per pœnitentiam tamen totam pristinam gratiam sit recuperaturus.

An virtutes infusæ, quæ per peccatum mortale amissæ fuerant, per pœnitentiam restituuntur ?

etiam virtutes infusæ.

R. Affirmative ; etenim per pœnitentiam remittuntur peccata mortalia, hæcque remissio fit per infusionem gratiæ sanctificantis ; atqui gratiam sanctificantem virtutes infusæ tanquam comites subsequuntur ; ergo, recuperata per pœnitentiam gratia, virtutes, ejus comites, recuperari necesse est.

Imo dici potest, quod pœnitens illas virtutes secundum earum intrinsecam perfectionem integre recipiat, sicut eas amiserat. Nec obest, quod justificatus

interdum magnam difficultatem sentiat in exercitio virtutum, quia cum virtutibus supernaturalibus possunt manere habitus vitiosi nostris actibus comparati, quos non illico tollunt virtutes supernaturales, quæ nostris actibus non gignuntur, sed a Deo nobis infunduntur.

N.° 16. De præcipuo pœnitentiæ actu seu contritione.

S. Thom., Supplem., quæst. 1.

Contritio præcipuum inter actus pœnitentiæ locum occupat, tum quia in materiam Sacramenti a Christo assumpta est, tum quia, si perfecta sit, singulari prærogativa gaudet peccatorem per se et stata lege justificandi. De ea igitur specialiter agere operæ pretium est; hoc autem ut præstetur, deinceps utendum est Supplemento 3æ partis S. Thomæ. Quocirca notandum, quod sanctus Doctor circa finem vitæ elaboraverit Summam, cui immortuus est, post 3æ part. quæst. 90am, ante quæstionem de contritione. Verum ne opus illud dignissimum relinqueretur imperfectum, ejus discipuli singulari industria et fide ex scriptis ejusdem in lib. IV Sent. illud compleverunt, et vocarunt Supplementum 3æ partis S. Thomæ : verumtamen hoc non tantæ auctoritatis habetur, quantam merentur ea quæ ipse Angelicus Doctor in Summa ruminando elaboravit. Contritio est præcipuus actus pœnitentiæ.

Vox *contritio* a rebus corporalibus ad effectum spiritualem significandum translata est, quod S. Thomas, *Suppl.*, quæst. 1, art. 2, ad 2, ita explicat : *In corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta : sed contrita dicuntur, quando partes tritæ sunt simul, per divisionem ad minima : et ideo significat attritio in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam ; contritio autem perfectam.* Contritionis etymologia,

Usus vocabuli *contritio* antiquissimus est, et in Scriptura sacra fundatus, ut patet ex Psalm. L, 19, ubi dicitur : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Vox vero *attritio* tantum a sæculo XIII adhiberi cœpit, et etiamnum adhibetur sæpissime ad indicandum

imperfectum pœnitentiæ actum, seu contritionem imperfectam.

Hic primo agendum est de contritione generatim sumpta, prout abstrahitur a perfecta et imperfecta.

Quomodo definitur contritio generatim sumpta ?

et definitio, quæ explicatur.

R. A Concilio Tridentino, sess. XIV, cap. IV, sic definitur : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur : *animi dolor,* id est, tristitia quædam animi seu voluntatis ; ut insinuetur, ad contritionem non sufficere, nec etiam necessarium esse dolorem sensibilem, qui nempe sit actus partis sensitivæ, sed debere esse dolorem spiritualem, procedentem a voluntate.

Dicitur : *detestatio,* id est, odium peccati et anteactæ vitæ : ideo enim dolemus et tristamur de peccatis commissis, quia ea detestamur per odium abominationis.

Dicitur : *de peccato commisso,* ut designetur objectum contritionis ; pro quo sufficit recolere, quæ N. 2 dicta sunt de objecto pœnitentiæ. Verumtamen ex S. Thom., *Suppl.,* quæst. 2, annotamus sequentia :

1.° Quod contritio proprie non habeatur de pœnis, cum non sint Deo injuriosæ.

2.° Quod contritio proprie non cadat in peccatum originale, sed displicentia tantum vel dolor ; quia nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum, ut ait S. Doctor.

3.° Quod contritio directe eliciatur de peccatis præteritis ; nam indirecte tantum respicit futura, quatenus continet propositum non amplius peccandi.

4.° Quod unus non possit habere contritionem proprie dictam de peccato alterius ; licet dolere de peccatis aliorum et pro his satisfacere possimus.

5.° Addi potest, quod rigorose loquendo non sit actus contritionis, dum quis dolet, quod non doleat de peccatis ; quia istius doloris objectum non est peccatum commissum, seu offensa Dei, sed ipse defectus doloris. Ordinarie tamen, dum quis dicit se tristari quod non doleat de peccatis, id signum est veræ contritionis ; non enim id dici solet nisi a timoratis, qui sic loquuntur, vel quia dolorem non sentiunt, quod non est necessarium, vel quia sine ratione timent, se non satis aut non debite dolere.

Dicitur : *cum proposito non peccandi de cætero ;* quia sincera et vera pœnitentia peccatum abominari ejusque affectum seu voluntatem peccandi excludere debet.

Quot sunt partes contritionis ?

Tres partes contritionis,

R. Cum ex data definitione constet, tria ad contritionem concurrere, hinc tres veluti partes ejus sunt : dolor de peccato commisso, detestatio ejus, et propositum non peccandi de cætero.

Si unum ex istis tribus nullatenus adesset, non esset vera et sincera contritio. Hinc orta est quæstio inter auctores, in quonam horum trium contritio essentialiter consistat. In hoc ut plurimum conveniunt, quod propositum non pertineat ad essentiam contritionis, licet omnes dicant illud esse necessarium, atque sua sponte ex dolore ac detestatione profluere. Quæstio igitur superest de dolore ac detestatione, eamque S. Alphonsus, n. 435, proponit in hunc modum :

An contritio consistit in dolore, vel in detestatione ?

quæ juxta alios consistit in dolore ;

R. Alii dicunt, ut ibi refert S. Alphonsus, eam consistere in dolore, qui præsupponat detestationem, ut Gonet, etc.

juxta alios in detestatione.

Alii vero dicunt, eam consistere in detestatione, quam sequitur dolor ; et hæc sententia est satis communis, et verior videtur ; ita Suarez, etc. Ratio, quia non quidem dolor est causa detestationis, sed detestatio est causa doloris ; et ideo dolor est utilis, quia procedit a peccati detestatione, quæ principaliter est abolitio culpæ, cum sit velle non peccasse. Cæterum, ut addit, non dubitandum, quin in contritione utrumque requiratur, tam dolor quam detestatio, et quod revera in uno alterum exercite contineatur ; qui enim suum detestatur peccatum, necessario de ipso dolet ; et contra, qui de peccato dolet, illud necessario detestatur.

N.° 17. De proposito non peccandi de cætero.

Quid intelligitur per propositum non peccandi de cætero ?

Propositum non peccandi de cætero

R. Intelligitur deliberata et firma voluntas, qua quis statuit peccata in posterum evitare.

Non sufficit igitur velleitas vel simplex desiderium

vitandi peccata ; neque contra requiritur promissio aut votum non amplius peccandi. Hinc confessarius quidem caveat, ne cum firmo proposito confundat velleitates, quales in consuetudinariis et recidivis quandoque occurrunt ; sed nec exigat promissionem aut votum ; præterquam enim quod hæc ad veram contritionem non sunt necessaria, facile possent etiam præbere occasionem duplicis peccati.

necessarium est ad contritionem ;

Necessitas propositi patet ex Conc. Trid., quod loco cit., illud in definitione contritionis ponit æque ac dolorem et detestationem de peccato commisso. Accedit ratio quod dolor ille ac detestatio sine illo proposito subsistere non possint ; nemo enim potest dici vere dolere de peccato idque detestari, nisi ex odio peccati proponat non amplius peccare.

An ad contritionem requiritur propositum formale seu explicitum ?

sed an debeat esse formale.

R. Tres sunt sententiæ, etiam in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Prima sententia,

Prima sententia, secundum Gury, n. 345, communior et valde probabilior, negat : quia in dolore includitur propositum, quod, licet tantum implicitum, nihilominus sufficientem habet efficaciam ad excludendum affectum peccati, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali, ubi agitur de mortalibus.

secunda sententia,

Secunda sententia affirmat cum Bellarmino, *De Pœnitentia,* lib. II, cap. 6 ; quia licet dolor includat necessario propositum, Tridentinum tamen videtur requirere propositum explicitum seu formale, dum in definitione dicit : *cum proposito non peccandi de cætero ;* frustra enim illud addidisset, nisi voluisset significare propositum debere esse explicitum, cum implicitum contineatur in præcedentibus verbis definitionis. Hinc laudandi sunt confessarii, qui rudiores pœnitentes monent ut faciant propositum, antequam eos absolvunt.

tertia sententia.

Tertia sententia distinguit cum Sylvio et Billuart, atque ita resolvit :

1.° Propositum explicitum requiritur per se loquendo, scilicet si pœnitens, ut plerumque contingit, cogitet de vita futura ; id saltem evincit ratio supra adducta pro secunda sententia.

Idem fere tradit Lacroix, n. 897 : « Si quis dum contritionem elicit, cogitet de proposito, et hoc omittat, communiter signum est, quod habeat dolorem parum efficacem; si enim esset efficax, per se loquendo determinaret ad formale odium peccati etiam pro futuro. Quod si positive excluderet propositum, certum est dolorem non fore efficacem, uti etiam non est in illo, qui non vult deserere occasionem proximam peccandi. Similiter non est in illo verum et sincerum propositum, qui non vult adhibere media, quæ ipsi suggeruntur pro emendatione peccatorum. Et propter unum horum sæpe neganda aut differenda est absolutio pœnitentis. » Sed de his plura opportuniori loco.

2.° Propositum implicitum sufficit per accidens, scilicet si pœnitens nihil cogitet de futuro, puta si quis inadvertentia aut angustia temporis præpeditus, vel doloris de peccatis aut amoris Dei eliciendi fervore totus occupatus, non cogitaret de proposito explicite eliciendo. Durum namque videtur dicere, in tali casu ad veram contritionem non sufficere implicitum propositum, cum tamen propositi taciti et expressi eadem sit efficacia ad affectum seu voluntatem peccandi excludendum.

Conclusio.

S. Alphonsus, postquam n. 450 triplicem sententiam allegavit, *primam,* quæ negat necessitatem propositi expliciti, et *tertiam,* quæ prædicto modo distinguit, dicit esse quidem probabiliores; sed quia *secundam,* quæ absolute requirit propositum explicitum, judicat non carere sua probabilitate, ideo dicit in praxi ante factum tutius esse eam sequi. Imo addit, se non posse acquiescere sententiæ illorum, qui dicunt quod si quis bona fide cum vero dolore confessus fuerit sine proposito formali, non teneatur confessionem repetere; ratio ob quam acquiescere non valet, hæc est : quia, ut ait, cum opinio requirens explicitum propositum sit sufficienter probabilis, pœnitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter sed etiam certe validam. In altero tamen opere, cui titulus : *Homo apostolicus,* tract. 16, n. 26, censet confessionem in prædicto casu non esse repetendam. Gury similiter, recitata triplici sententia, resolvit in praxi tutiorem sententiam sequendam esse, ob auctoritatem

theologorum, qui necessitatem propositi expliciti adstruunt, quamvis speculative loquendo id parum probabile videatur. Cæterum, ut sapienter addit, rarissime eveniet, ut pœnitentes rite contriti propositum etiam explicitum omittant. Quod quidem eo securius et verius asseri existimamus, quia nulla concepta cogitationum aut verborum formula ad hoc est necessaria.

N.° 18. Reflexiones practicæ circa propositum.

Quotuplici conditione gaudere debet propositum?

Propositum debet esse firmum et efficax,

R. Triplici : scilicet, debet esse firmum, efficax et universale.

Firmum et *efficax,* ita ut peccator absoluto voluntatis suæ decreto velit non amplius peccare, paratus adhibere omnia media necessaria ad vitanda peccata.

universale.

Universale, ita ut se extendat ad omnia peccata mortalia, et non solum ad ea cujusmodi patrata fuere. Nam in phrasi Tridentina : *non peccandi de cætero,* particula *non* est universalis, et exclusiva omnis peccati mortalis, eo quod unum non possit remitti sine altero, et ad amicitiam cum Deo perpetuam, quæ est finis pœnitentiæ, requiritur exclusio omnis peccati lethalis.

An ex eo quod quis in idem peccatum relabitur, continuo colligi potest insufficientia propositi præcedentis?

Firmitati et efficaciæ non obstat relapsus,

R. Negative; quia iste relapsus provenire potest ex eo quod voluntas ejus postea mutata fuerit. Certe ad firmum et efficax propositum præsens sufficit firmitas et efficacia voluntatis præsentis, quicunque demum futurus sit eventus. Unde cum S. Thomas, part. 3, quæst. 84, art. 10, ad 4, dixisset : *Irrisor est et non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati;* subdit : *Quod autem aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit.... Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere pœnituit, qui postea peccat.*

An potest homo firmum et efficax habere propositum, quamvis timeat ne forte relabatur?

nec timor relapsus.

R. Affirmative; quia iste timor solum provenit ex nota inconstantia et infirmitate humanæ voluntatis, et

optime stare potest cum firmo et efficaci proposito. Qui talem timorem ostendunt, monendi sunt ut non desperent vel diffidant peccata vitare, sed Dei gratiam implorent, qua roborati tentationibus valeant obsistere, concupiscentiam frænare, crimina effugere et vitare peccata. Qui vero dicunt : *Vitabo si possim,* instruendi sunt quod revera possint, si serio velint et gratiæ cooperari satagant.

An prudenter credi potest, quod firmum et efficax habeat propositum, qui asserit se nolle amplius peccare, sed addit, quod certo credat se relapsurum ?

Quid si pœnitens certo credat se relapsurum.

R. 1.° Si ex indole et genio istius hominis deprehendatur, ut non raro accidit, illud dictum nihil aliud significare quam timorem relapsus, per se prudenter credi potest sufficiens adesse propositum, quia iste timor firmitati et efficaciæ propositi non obstat, ut antea dictum est.

2.° Si autem deprehendatur, quod revera certo credat se relapsurum, et non solum timeat ; speculative loquendo adhuc affirmari potest, sufficiens esse ipsius propositum, quia propositum requisitum est actus voluntatis præsentis ; cognitio vero, qua futurus existimatur relapsus, est simplex actus intellectus independens a præsenti voluntate. Sed practice loquendo negandum videtur, sufficiens tum adesse propositum ; licet enim utcunque sincerum sit , nihilominus morali diffidentia vitiatur, adeoque iste peccator in spem et fiduciam in divinæ gratiæ auxilio reponendam erigendus est. Cfr. S. Alph., n. 451.

Hæc de proposito respectu peccatorum mortalium. Ad venialia quod attinet, sufficiens haberi potest propositum respectu aliquorum, licet nullum habeatur respectu aliorum, ut facile colligitur ex dictis N. 11. Sed petitur :

An in praxi elici potest propositum cavendi omnia venialia, non obstante quod Concilium Trid., sess. VI, can. 23, dicat, omnia caveri haud posse nisi ex speciali privilegio ?

Quid de proposito cavendi omnia venialia.

R. Potest elici : quia ad hoc sufficit propositum abstinendi a quibuslibet venialibus quæ in particulari occurrere possunt ; atque ita illud propositum, veluti quoddam perfectionis exoptatissimæ compendium, tale

est, ut nullum veniale determinate assignari possit, a quo animus saltem virtualiter non abhorreat.

N.° 19. De qualitatibus contritionis.

Quas qualitates seu dotes debet habere contritio generatim sumpta ?

Contritio debet esse :

R. Sequentes : 1.° debet esse *interna* seu *vera*, 2.° *supernaturalis*, 3.° *summa*, 4.° *universalis*.

Istæ qualitates totidem quæstionibus explicandæ, sicque plura aliis locis dicta breviter recolligenda sunt.

Quæst. I. *Quid significatur, dum dicitur quod contritio debeat esse interna seu vera ?*

1.° interna seu vera,

R. Quod debeat esse corde et animo vere concepta, tum quoad dolorem de peccatis commissis, tum quoad propositum, quale N. præced. explicatum est. Hinc fallax et fucata est contritio, quæ nihil immutat in corde, nec affectum ejus alio trahit, quam quo ferebatur antea ; uti et illa, quæ non nisi in lectione alicujus formulæ in libello conscriptæ consistit.

Quæst. II. *Quomodo contritio debet esse supernaturalis ?*

2.° supernaturalis,

R. Debet esse supernaturalis : 1.° *ex parte principii*, seu elicita, non per solas naturæ vires, sed per auxilium gratiæ voluntatem elevantis et corroborantis ; 2.° *ex parte motivi*, seu elicita ex motivo supernaturali, sive cognito per lumen fidei et spectante ad salutem.

Probatur 1ª pars : 1.° ex Concilio Trid., sess. VI, can. 3, ubi definit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur ; anathema sit.*

Probatur 1ª pars 2.° simul cum 2ª parte ex hac propositione damnata ab Innocentio XI : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Hinc si quis solum doleat de peccato ob jacturam bonorum temporalium, indignationem parentum etc., non est dolor supernaturalis, nec sufficiens.

Confirmatur responsum ex eo quod contritio christiana, de qua hic agitur, debeat esse salutaris seu conducens ad salutem : talis autem esse non potest, nisi sit

supernaturalis, cum actus naturalis non habeat debitam proportionem ad ordinem supernaturalem.

Plura autem sunt motiva supernaturalia propter quæ de peccatis supernaturaliter dolere eaque detestari possumus. Unum nobilissimum et perfectissimum, contritionem perficiens seu perfectam contritionem inducens, est infinita bonitas Dei super omnia dilecti ; alia minus perfecta et contritionem non perficientia, reducuntur ad amorem et spem vitæ æternæ, timorem inferni, turpitudinem peccati etc., ex quibus, fide cognitis et cum spe veniæ a Deo impetrandæ conjunctis, quisquis movetur, supernaturaliter movetur.

Quæst. III. *Quomodo contritio debet esse summa ?*

R. 1.° Contritio debet esse summa appretiative, ita nempe ut peccator appretiatione seu æstimatione seria detestetur crimen suum, plus quam omne aliud malum, et malit omnia perdere et pati, quam peccatum patrare. Etenim, ut arguit Gury, n. 449, conversio ad Deum debet esse totalis, cum peccatum sit aversio totalis ; sed non esset totalis, nisi esset summa : imo nulla foret, nam homo adhæreret adhuc creaturæ, cum eam adhuc Deo anteponeret ; ergo, etc. 3.° summa appretiative,

Observandum : etsi contritus ita debeat esse affectus, ut malit subire quodvis malum, quam peccare, merito tamen monent auctores, non esse necessarium, imo nec consultum hominibus imperfectioribus, ut faciant collationes malorum in particulari cum peccato ; v. g. mallem vivus comburi, quam peccare ; posset enim talibus contingere, ut magis moverentur horrore illius supplicii quam terrore peccati, adeoque hac ratione non tantum impediretur contritio, sed novum peccatum mortale committeretur, dum eligeretur peccatum præ illo supplicio. Itaque sufficit talibus absolute detestari peccatum ut gravissimum malum, ita ut voluntas sic sit disposita, ut, quantum est ex vi hujus actus, sive præsentis dispositionis, mallent quidvis pati, quam peccare mortaliter, etiamsi forte, data tali vel tali occasione, propter humanam imbecillitatem volùntas ab hoc suo proposito esset dimovenda. Perfectioribus tamen utiles esse possunt tales comparationes, quia sic expresse peccatum summe detestantur, suum quoque affectum

erga Deum ostendunt, et voluntatem ad casus tales, si quando evenirent, magis paratam reddunt. Hoc monitum confessariis sedulo inculcat S. Thomas, *Suppl.*, quæst. 3, art. 1, ad 4, et *Quodlib. 1,* ad 9.

non intensive, 2.° Contritio non debet esse summa intensive, seu, ut exponit Billuart, dolor ac detestatio voluntatis de peccatis non debet necessario esse maximus omnium dolorum intensive. Ita ille, Tournely, Collet, aliique contra paucos.

Probatur cum Tournely in hunc modum. Intensio voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis : atqui objectum sensibile naturaliter vehementius movet et afficit voluntatem quam spirituale non sensibile ; unde sicut amor bonorum sensibilium potest intensior esse quam spiritualium ; ita et dolor, qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest illo, qui concipitur propter mala spiritualia, cujusmodi sunt peccata, absque ulla hominis culpa ; quia scilicet ita homo factus est, ut magis afficiatur et moveatur sensibilibus seu bonis seu malis ; tametsi ea absolute non plus diligat aut detestetur modo appretiativo ; quod quidem exemplo sanctorum virorum comprobatur. Jacob, Gen. XXXVII, et David, II Reg. XIX, longe acrioris et vehementioris doloris signa dedere pro morte filiorum quam pro peccatis suis.

Confirmatur cum Billuart ab absurdo. Si enim omnium dolorum maximus intensive requireretur, inde sequeretur, quod ex duobus qui æque intense dolerent de peccato, unus justificaretur, alter non ; pone enim casum, quod unus intense doleat de peccato, sed intensius de morte patris ; alter æque intense doleat de peccato, sed minus intense de morte patris ; hic justificabitur, non ille : atqui absurdum consequens ; ergo et antecedens.

Concludit Billuart : Hinc non statim culpandi sunt, qui de amissione amicorum, bonorum etc., intensius dolent, etiam dolore voluntatis, quam de peccato ; id enim sequitur naturam rerum. Convenit tamen, ut saltem conentur intensius dolere de peccatis quam de alia re mundi ; imo inordinatum esset et illicitum, si eligerent intensius dolere de alio malo, quam de peccato, quia

hoc esset judicare, esse aliquod majus malum quam peccatum, ideoque hoc esset de ipso magis appretiative dolere ; secus autem quando major intensio doloris sequitur ex conditione naturæ.

Quæst. IV. *Quomodo contritio debet esse universalis ?*

4.° universalis, id est, ad omnia mortalia

R. Debet esse ita universalis, ut ex motivo universali ad omnia peccata gravia se extendat, saltem implicite, sive ratione doloris quoad commissa, sive ratione propositi quoad futura.

Ratio est, quia cum nullum peccatum actuale remittatur sine debita contritione, nec unum mortale remitti possit sine aliis mortalibus, debet contritio se extendere ad omnia, et consequenter esse universalis.

ex motivo universali

Dictum est : *ex motivo universali,* quod omni peccato mortali commune sit : puta quia infinitæ Dei bonitati repugnat, quia Deo displicet, quia a cœlo excludit, quia in communi omne peccatum mortale enormem turpitudinem christiano homine indignam continet, etc.; quæ sunt motiva universalia ; quorum si nullum adesset, contritio non esset universalis.

Hinc, si quis reus homicidii et peccatorum impudicitiæ, formaliter detestetur solum peccatum homicidii propter specificam suam turpitudinem, eo solo non censetur habere contritionem universalem : nam per illud particulare motivum non satis avertitur ab aliis peccatis.

saltem implicite se extendens.

Dictum est : *saltem implicite :* quo modo contritio ex motivo universali etiam se extendit ad mortalia ignota aut memoriæ non occurrentia ; quia motivum universale, ob quod elicitur, implicite se extendit ad illa, quemadmodum etiam excludit affectum respectu omnium in futurum, licet de singulis non excitetur cogitatio.

Nota 1.° Contritio de mortalibus non debet esse ita universalis, ut etiam se extendat ad venialia ; quia potest quis vere dolere de mortalibus, quin doleat de venialibus. Contritio vero de venialibus debet saltem se extendere ad omnia illa quæ sunt ejusdem specici et conditionis, quia idem motivum pro illis militat. Cfr. N.N. 10 et 11.

Nota 2.° Licet unum peccatum sit alio majus ob majorem offensam Dei, et consequenter detestatio appretiative major esse debeat de uno peccato quam de alio,

cum in peccato graviori major sit ratio detestationis quam in leviori ; tamen ut sic unum magis quam aliud detestemur, non est necessarium ut id fiat explicite, seu actualiter diversa peccata inter se comparando, sed sufficit id fieri implicite, omnia detestando quatenus sunt offensa Dei ; talis enim detestatio fertur implicite super singula secundum gradum et ordinem cujusque, atque ita veluti sponte et intrinsece in ipsa contritione includitur. Hoc illustratur hisce verbis S. Thomæ, *Suppl.*, quæst. 3, art. 3, ad 2 : *Sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit, plus et minus secundum eorum ordinem in bono communi.... Similiter qui dolet de hoc quod Deum offendit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus vel minus per ea Deum offendit.*

N.° 20. De modo quo contritio circa singula peccata elicienda est.

Triplex modus, quo contritio circa singula peccata elici potest :

Cum juxta dicta contritio debeat esse universalis, adeoque ad omnia peccata mortalia se extendere, inquirunt theologi in modum, quo id fieri potest aut debet. Tres autem præcipue modos statuunt : 1.° eliciendo tot actus contritionis quot sunt peccata ; 2.° eliciendo unum actum se extendentem ad singula peccata in memoriam reducta ; 3.° eliciendo unum actum generalem, quin singula peccata in memoriam reducantur. Hinc petitur :

I. *An ad remissionem peccatorum obtinendam necessarium est, ut sint tot numero contritionis actus, quot sunt numero peccata mortalia?*

1us modus ;

R. Negative, contra quosdam ex antiquioribus qui docuerunt regulariter et per se requiri singulos contritionis actus pro singulis peccatis.

Ratio responsi negativi manifesta est ex eo quod imprimis moraliter impossibile sit peccatori innumeris peccatis onusto tot contritiones elicere ; et ordinariis peccatoribus illud onus sine fundamento imponeretur.

Dicit quidem Catechismus Romanus, *De Pœnit. Sacram.*, n. 39 : *Maxime hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant ;* sed non dicit hoc esse præcepti aut

necessitatis ad justificationem, sed tantum consilii et dispositionis utilis pro Sacramento, de quo ibi agit. Et patet hunc esse sensum ; nam subdit, Deum, quamprimum quis conteritur, scilicet perfecte, remittere universa *quæ*, inquit, *deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat ;* quando nempe confitendum erit, ut interpretatur Lacroix, n. 737, et S. Alphonsus, n. 438.

II. *An ad remissionem peccatorum obtinendam satis est, ut qui plura peccata mortalia commisit, eliciat unum actum contritionis extendentem se ad omnia et singula in memoriam reducta ?*

R. Affirmative ; cum enim non requirantur contritiones singulæ pro singulis peccatis, facile colligitur sufficere unam illam contritionem, quæ sufficienter, imo explicite terminatur ad singula ob revocationem singulorum in memoriam. 2us modus ;

III. *An, ut obtineatur remissio peccatorum cum uno actu contritionis, requiritur distincta eorum recordatio, revocando singula in memoriam ?*

R. Negative, cum communi sententia contra paucos, qui opinati sunt necessarium esse, ut peccator de singulis conteratur hoc modo, ut scilicet quantum reminisci potest, et brevitas temporis non obstat, revocet singula in memoriam, et deinde de omnibus conteratur. 3us modus.

Responsum negativum probatur : 1.° Ad remissionem peccatorum obtinendam aliquando sufficit pœnitentia virtualis contenta in actu perfectæ charitatis elicito a peccatore non cogitante de suis peccatis, ut dictum est N. 8 ; ergo, habito tali actu amoris Dei, a fortiori sufficit pœnitentia seu contritio formalis elicita de peccatis in confuso repræsentatis.

Probatur 2.° Nulla potest assignari ratio, cur peccator cogitans solum de uno aut altero peccato, non possit statim ex perfecto amore Dei perfecte conteri explicite de illo, et cum motivum sit universale, implicite de aliis non distincte recogitatis : quod dum facit, accipit gratiam utique remissivam omnium peccatorum mortalium, cum gratia sanctificans consistere non possit cum ullo peccato mortali ; ergo, etc.

Confirmat S. Alph., loc. cit., communem sententiam

hac ratione : quia alias magnis peccatoribus, qui habitualiter per multum temporis versati fuissent in peccatis, impossibile esset statim converti ad Deum, cum impossibile sit brevissimo tempore singula peccata detestari, aut singula in memoriam revocare : sed oppositum constat ex Scripturis ; nam plures peccatores, etsi multis peccatis gravati, tamen subito justificati fuerunt ; ita accidit Magdalenæ, Latroni, Paulo, et præsertim Davidi, cui statim ac dixit : *Peccavi Domino,* respondit Propheta : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum ;* II Reg. XII, 13.

Monitum. Nota. Distincta recogitatio de singulis peccatis, præsertim specie distinctis, per se utilissima est, et quandoque aliquo modo necessaria : 1.° ut perfectius et certius omnia peccata detestemur ; quia quando tantum in confuso peccata detestamur, facilius accidere potest, ut falso nobis persuadeamus nos omnia vere detestari, cum circa aliqua maneat in nobis occultus affectus, atque ita deficiat vera contritio ; 2.° ut pro pœna temporali satisfaciamus et Dei vindictam a nobis avertamus ; quia singularis et exacta peccatorum omniumque circumstantiarum perpensio multum incitat animum, ut homo per congruam satisfactionem avertat pœnas temporales, alioquin a Deo in hac vel in altera vita infligendas ; 3.° ut obligationes ex peccatis contractas et necessario adimplendas detegamus ; ut peccatorum occasiones et radices investigemus et evellamus, etc. ; 4.° distincta commemoratio peccatorum requiritur ad faciendam confessionem sacramentalem, quæ jam peccanti mortaliter post Baptismum necessaria est. Sed de hoc ex professo agetur, ubi de Pœnitentiæ Sacramento.

N.° 21. De divisione contritionis.

Quæst. I. *Quomodo dividitur contritio ?*

Contritio dividitur in perfectam et imperfectam.

R. Secundum communem theologorum et fidelium sensum, ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. IV, contritio dividitur in perfectam et imperfectam. Prior antonomastice *contritio,* altera cum addito *imperfecta,* vel alio nomine *attritio* vocatur. Ex circumstantiis aut subjecta materia aliquando dignoscendum est, an de perfecta vel imperfecta sermo sit.

Quæst. II. *Quid est contritio perfecta ?*

Contritio perfecta

R. Est illa quæ charitate perficitur : talis est detestatio ac dolor animi de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ortus ex amore perfectæ charitatis. Definitio data innititur Concilio Tridentino, quod, postquam generatim dixit, contritionem esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, addidit : *Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur.*

Quæst. III. *Dum Concilium Tridentinum dicit contritionem aliquando charitate perfectam esse, intelligitne charitatem actualem, qua contritio perficiatur ?*

perficitur charitate actuali.

R. Affirmative : ibi enim loquitur Concilium de contritione tanquam dispositione sive causa proxima, et ante Sacramentum reipsa susceptum per se sufficiente, ad obtinendam gratiam et habitum charitatis ; ergo intelligit contritionem charitate actuali perfectam priusquam cum gratia infundatur habitus charitatis, ne Concilio tribuatur hic sensus, scilicet, quod contritio charitate habituali perfecta, sit dispositio ad charitatem habitualem : sic enim habitus charitatis esset prior seipso.

Quæst. IV. *Ex quo motivo elici debet perfecta contritio ?*

Ex quo motivo elici de beat.

R. Duplex potissimum commemoranda est sententia : Prima sententia, quam tenent plures, quamque S. Alphonsus, n. 435, probabilem vocat, docet actum perfectæ contritionis posse elici ex motivo cujuscunque attributi divini, v. g. justitiæ, sapientiæ, misericordiæ : ratio est, quia qui attributum divinum, etiam seorsum consideratum, diligit, Deum ipsum jam diligit, cum quodlibet attributum divinum non sit aliud præter ipsum Deum.

Secunda sententia, quam ut communiorem et probabiliorem tenet S. Alphonsus loc. cit., docet contritionem perfectam debere omnino procedere ex motivo charitatis seu divinæ bonitatis offensæ, quatenus hæc complectitur omnes divinas perfectiones : ratio est, quia ex Conc. Trid. requiritur, ut contritio, de qua loquímur, sit *charitate* perfecta ; objectum autem charitatis est Deus, quatenus infinita bonitas, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum, ut ibidem dicit S. Auctor.

Hæc sententia fundatur in Scriptura sacra, quæ omnem vim, quam habet pœnitentia ad delenda peccata, charitati fere tribuit. Ideo, quamvis Magdalena et dilexerit et doluerit, nihilominus charitati ejus tribuitur remissio peccatorum, Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ;* et I Joan. III, 14 : *Qui non diligit, manet in morte,* et IV, 14 : *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Sic etiam I Petr. IV, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ubi quod charitati tribuitur, alibi pœnitentiæ seu contritioni tribui non censetur, nisi quatenus ex proprio charitatis motivo procedit, vimque suam a dilectione charitatis mutuatur.

Nota. Nonnulli theologi, præsertim antiqui, docuerunt, quod vera contritio de se sufficiens ad justificationem, sit etiam illa, quæ concipitur ex motivo alterius virtutis a charitate distinctæ, dummodo Deum respiciat, ut si quis ex motivo gratitudinis doleat de peccato, ut offensa Dei benefactoris ; vel ex motivo obedientiæ doleat de peccato, ut offensa Dei supremi legislatoris ; vel ex motivo religionis aut justitiæ doleat de peccato, quatenus offensa Dei summe adorabilis, aut summum jus habentis ne offendatur.

De hac sententia plura tradit Card. De Lugo, disp. 5, sect. 1, ubi illam vindicat a censura P. Vasquez ipsam dicentis erroneam ; et quamvis istius sententiæ rationes amplificet, petitas tum ex auctoritate, tum etiam ex humana fragilitate, quæ raro, ait, trahetur motivo illo dilectionis super omnia, monet tamen omnino dicendum cum communi sententia, contritionem sufficientem ad justificationem debere oriri ex peculiari motivo charitatis. Cfr. etiam Suarez, disp. 4, sect. 2, n. 13, quantum attinet ad detestationem peccatorum, quæ est ex proprio motivo justitiæ, de quo inter alia supra facta est mentio.

Quæst. V. *An ut contritio sit charitate perfecta, requiritur formalis amor Dei ?*

Ut contritio sit charitate perfecta, requiritur amor Dei,

Nota. Adest formalis amor Dei, si peccati detestatio oriatur ex amore Dei reipsa elicito et directe tendente in Deum, atque ita habente Deum pro objecto materiali simul et formali. Adest saltem virtualis amor Dei, si peccati detestatio simpliciter oriatur ex motivo charitatis seu summæ Dei bonitatis, id est, si contritio detestans

peccatum ut infinitæ Dei bonitati repugnans, ratione hujus motivi habeat dumtaxat Deum pro objecto formali, seu pro formali ratione detestandi peccatum. Hinc

R. 1.° Inter theologos non convenit, an, ut contritio perfecta sit, absolute requiratur formalis amor Dei super omnia, an vero sufficiat virtualis : ex Scripturæ sacræ extibus supra ad quæst. IV citatis equidem constat saltem alterutrum requiri, id est, contritionem perfectam debere aliquo modo esse ex amore Dei super omnia, sive formali vel explicito, sive virtuali vel implicito, incluso in contritione.

Testimoniis Scripturæ sacræ supra indicatis adjicimus verba Deut. IV, 29 : *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde tuo quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ :* ubi in prioribus verbis significari videtur dilectio ; in posterioribus pœnitentia, quæ ex amore habet valorem suum, et quod sit simpliciter super omnia.

Quoad reliquum, quod præsertim in quæstione versatur, eligimus sequentem exponendi rationem ad mentem Suarezii.

2.° Formalis amor, *per se loquendo,* ad justificationem necessarius est, tanquam medium a Deo requisitum. Nam Scripturæ interpretandæ sunt in sensu proprio et obvio, si commode fieri possit ; adeoque cum hic nihil obstet, intelligendæ sunt de actu amoris formalis et expliciti, qualem sensus proprius et obvius textuum supra citatorum importat. per se loquendo formalis,

Dictum est : *per se loquendo ;* unde

3.° Potest aliquando dari contritio perfecta absque formali amore Dei, per detestationem perfectam peccati, quæ ratione motivi charitatis virtualem Dei amorem super omnia includat. Cfr. Suarez, disp. 4, sect. 2, et Viva, qui quæst. 3, art. 1, de contritione perfecta ait : « Non est improbabilis sententia docens veram contritionem, continentem solum virtualiter amorem Dei super omnia, juxta sententiam Suarezii, sufficere ad justificationem. » sed aliquando sufficit virtualis.

Quoad sententiam Suarezii notamus sequentia :

1.° Agit de detestatione peccati, quatenus id est contra bonum Dei, ejusque amicitiam dissolvit, adeoque de

peccati detestatione, quæ procedit ex proprio motivo charitatis.

2.° Postquam prius asseruerat amorem formalem et explicitum per se loquendo esse necessarium, deinde supponit accidere posse sine culpa, ut homo ex naturali inconsideratione actu talem amorem non adhibeat, quando convertitur, detestando suum peccatum ex præstantissimo motivo charitatis.

3.° Cum vero ista peccati detestatio, utpote ex motivo charitatis orta, ratione hujus motivi contineat virtualiter amorem Dei super omnia, existimat sic etiam satisfieri posse omnibus testimoniis probantibus necessitatem amoris. Et alioquin, ait, hæc sententia est valde conformis suavitati divinæ providentiæ et humanæ conditioni.

4.° Cum igitur supponat contritionem perfectam esse posse sine formali amore, demum concludit hunc formalem amorem non esse de essentia contritionis.

Contritio perfecta communiter includit amorem formalem.

Circa ante dicta adhuc notamus : quamvis contritio perfecta non sit ita connexa cum formali amore, ut in nullo casu sine eo dari non possit ; propter summam tamen horum actuum affinitatem ita connexa est, ut illum communiter includat, ita ut formalis amor præcedat et determinet ad detestationem peccati. Hic modus a S. Thoma, quæst. 85, art. 6, in corp., insinuatus est, et humano agendi modo videtur maxime accommodatus; unde mirum non est, quod plures ad perfectam contritionem videantur absolute requirere et talem amorem et talem modum.

Sunt qui perfectam contritionem cum formali amore connexam exhibent uno ex his modis: 1.° ita, ut uterque actus simul eliciatur; 2.° ita, ut detestatio peccati et formalis amor Dei sint unus simplex et indivisibilis actus. Quo sensu dicit La Croix, n. 726 : « Contritio est simul formalis amor Dei, » et n. seq. : « Ad contritionem necesse non est, ut præsupponatur formalis amor Dei, qui contritionem imperet, sed satis est cum indivisibilem actum esse amorem Dei et odium peccati. »

Quod duos posteriores modos attinet, neutrum esse impossibilem, suaderi potest hac ratione : quia potest utrumque objectum simul esse propositum, nempe et

Deus ut dignus amore, propter se, et peccatum ut odio dignum propter Deum : qua cognitione prælucente, proclive omnino est, ut voluntas vel duobus actibus simultaneis, vel uno simplici et indivisibili actu, et Deum amet propter se, et peccatum detestetur propter Deum.

Quæst. VI. *An ut contritio perfecta sit, requiritur amor Dei super omnia non tantum* affectu, *sed etiam* effectu ?

Sententia requirens amorem Dei super omnia non tantum affectu, sed etiam effectu.

Antequam respondeatur, quædam legenda damus in extenso, ut ejusmodi terminologiæ, pluribus usitatæ et satis ambiguæ, sensus utcunque innotescat, et planiori responsioni nostræ via et ratio præparetur.

Perin in hac re ita loquitur : « Maxime disputatur utrum omnis dolor ortus ex amore Dei benevolo super omnia sit contritio perfecta : quamvis multi partem teneant affirmativam, negativa tamen nobis videtur probabilior. Ut autem melius hæc intelligantur, distinguimus duplicem amorem Dei super omnia ; alium quem vocamus *affectu super omnia,* et alium quem dicimus *effectu super omnia.* Amor Dei super omnia *affectu,* est ille quo Deus in corde quidem præfertur omnibus bonis creatis, sed qui adhuc ita debilis est, ut si ad tentationes veniretur, facile Deus relinqueretur..... Amor Dei super omnia *effectu* est ille, quo Deus præfertur omnibus bonis creatis non tantum affectu, sed etiam effectu, id est, qui tam potens et efficax est, ut si ad tentationes saltem ordinarias veniretur, cupiditates ordinarie vincerentur et mandata Dei adimplerentur. Dicitur : *ordinarie,* ut ostendatur quod ille amor non debeat ita esse potens, ut nunquam careat suo effectu vel nunquam deficiat ; non enim requiritur ut amor ille nunquam perdatur, sed satis est, quod ita sit vehemens, ut in ordinariis tentationibus cupiditates vincerentur et mandata Dei observarentur. Ex his sequitur quod illi duo amores non differant specie, sed tantum penes majorem et minorem intensionem : quam vero intensus debeat esse amor, ut contritio inde orta sit perfecta, incertum est : debet quidem esse tam intensus, ut contritio inde orta cum scelerum gravitate æquari possit, ut dicit Catech. Rom. Sed quænam intensio præcise ad hoc requiratur, incertum ; pendet enim ab hoc quam multum gravia sint peccata de quibus habetur contritio, quod etiam incertum est : scitur quidem alia

mortalia aliis esse graviora, sed quantum in se gravia sint, soli Deo notum est. »

Minus explicate locutos fuisse nonnullos, colligitur ex Billuart, qui, diss. 4, de contrit., art. 7, § 3, incidenter loquens de amore *affectivo*, ait : « Quem nonnulli amorem Dei super omnia non *effectivum* sed *affectivum* vocant, qui cum non de facto, sed solum in voto et proposito, Deum præferat omnibus, non videtur adhuc excludere affectum peccati, sed solum illius faciendi habere desiderium et propositum. » Et addit : « Fallor tamen si omnes per amorem affectivum intelligant tantum propositum amandi ; quidam enim videntur, saltem quantum conjicio ex eorum lectione, per amorem affectivum intelligere amorem actualem sed debilem et remissum, et per effectivum, amorem roboratum et efficacem ad impletionem legis. »

Auctor mox nominandus plura huc pertinentia tradit, et ex propria sua opinione commendare nititur.

Scilicet Illustr. Le Drou in opere infra citando, diss. 4, refert scholam Lovaniensem, anno 1677 palmares doctrinæ suæ articulos censuræ Romanæ Sedis subjecisse per suos deputatos, seque, aliud Romæ tunc agentem, iis adjunctum fuisse et ejusdem scholæ doctrinam de contritione his propositionibus comprehensam exhibet :

« Prima : Servilis gehennarum metus nequaquam in sua substantia malus est, sed bonus et utilis ; attamen ipsi soli insistens attritio, etiam cum Sacramento non sufficit ad justificationem, quia ad accipiendam hanc gratiam oportet credere, sperare, ac Deum propter se diligere. »

« Secunda : Vera attritio debet esse dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, excludens voluntatem peccandi ; attamen non debet includere perfectam charitatem, quæ hominem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur. »

« Tertia : Nihilominus esse debet, licet imperfecta, vera tamen charitas, qua pœnitens Dominum Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligat, ideoque peccata sua detestetur et oderit. Eam aliqui appellant charitatem *affectu* super omnia. »

Tum sic pergit et advertit Le Drou : « Ubi vides manifeste contineri quod detur imperfecta Dei charitas *affectu super omnia,* hominem Deo non reconcilians priusquam Sacramentum actu suscipiatur : quæ est ipsissima thesis, de qua nunc agitur. Ita vero illam charitatem expresserunt Lovanienses, ut eam distinguerent a perfecta charitate, quæ *affectu simul et effectu* est super omnia, idque juxta notionem utriusque, his verbis a Bellarmino traditam, *De grat. et lib. arb.*, lib. 6, cap. 7 : *Alia denique est* (charitas) *perfecta, quoniam non modo Deum super omnia diligit unico aliquo actu voluntatis, dum eum cogitat summum esse, atque infinitum bonum, sed etiam perseverat in dilectione usque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur super omnia quoad affectum et effectum. Alia est imperfecta, quoniam afficitur quidem* (sive est affectu) *in Deum super omnia, dum eum cogitat summum esse bonum, et nulla occurrit tentationis occasio ; tamen occurrente objecto aliquo alliciente, facile deficit et extinguitur :* ideoque non est super omnia effectu. Cujus discriminis summa est, quod charitas *affectu et effectu* super omnia, sit adeo robusta, ut pulsante gravi tentatione, in observantia mandatorum Dei actu seu *effectu* hominem contineat, ipsamque tentationem vincat : qualis v. g. fuit in D. Petro martyrium patiente ; quæ vero dumtaxat est *affectu super omnia,* sit debilior, et ita imbecillis, ut in gravi tentatione facile deficiat : qualis erat in D. Petro, dum ante tentationem ancillæ, dixit Christo Domino : *Animam meam pro te ponam,* Joan. XIII; ubi enim ad tentationem ventum est, mox succubuit. »

« Porro hi articuli, iterum iterumque a selectis per antefatum Innocentium qualificatoribus, et ab Eminentissimis S. Officii Patribus quam diligentissime expensi, prorsus incolumes dimissi fuere : quod profecto abunde sufficit, ut donec Apostolica Sedes aliter statuerit, deinceps defendi, et doceri possint. »

« Hinc ipsa Roma, quod ad præfatam thesim attinet, non solum impune fert libros, qui illam tuentur, sed ut suis etiam prælis excudi possint, licentiam concedit. » Allatis quibusdam hujus licentiæ exemplis, pergit laud. auctor : « Pari quoque indies libertate dictam thesim propugnari in publicis congressibus *Academiæ dogmaticæ*

erectæ sub auspiciis Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Laurentii de Alteriis in archigymnasio pontificio Almæ Urbis, vulgo *Sapientia Romana*, toti Urbi notissimum est. » Ita ille in opere Clementi XI Summo Pontifici nuncupato, cum hoc titulo : *De contritione et attritione dissertationes quatuor*, etc. authore F. Petro Lamberto Le Drou, Huyensi, ex Ordine Erem. S. Augustini, Episcopo Porphyriensi, Sacrarii Apostolici præfecto, etc.

His præmissis, ad quæstionem supra positam : an, ut contritio sit perfecta, requiratur amor Dei super omnia non tantum *affectu*, sed etiam *effectu* ?

Ad perfectam contritionem sufficit amor Dei propter se

R. Abstrahentes a præfata terminologia, simpliciter dicimus : ad perfectam contritionem, hominis cum Deo per se reconciliativam, sufficit amor Dei propter se, seu ex motivo charitatis super omnia dilecti. Hinc contritio ex amore Dei super omnia dilecti procedens, perfecta est.

appretiativus super omnia,

Per amorem autem Dei propter se, seu ex motivo charitatis super omnia dilecti, intelligimus amorem Dei appretiativum super omnia, qui non tantum ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis adjunctam habet talem æstimationem bonitatis Dei, ut hanc absolute et vere præferat omni bonitati creatæ, ideoque homo sit paratus potius carere omni bono creato et quodvis malum perpeti, quam facere aliquid graviter oppositum infinitæ Dei bonitati.

qui non est amor simplicis complacentiæ,

Talis amor non est amor simplicis complacentiæ quo homo simpliciter afficitur erga Deum, aut etiam gaudet Deum esse talem, qualis est, summe bonus, infinite perfectus, omnipotens, sanctus, etc. ; sed et amor *obedientialis*,

sed obedientialis,

ut vocant Scholastici, quo homo tanto affectu Deo conjungitur, ut cor suum non dividat Deum inter et creaturam, sed paratus sit potius carere omni bono creato et quodvis malum perpeti, quam violare legem divinæ amicitiæ. Talem amorem intelligimus, dum simpliciter appellamus amorem Dei super omnia.

et de se efficax.

Talis amor dicit actum, qui, ex natura sua, implacabili odio persequitur peccatum divinæ amicitiæ oppositum, adeoque de se efficax est, in simplici complacentia non hærens, sed ita incensus erga Deum, ut inordinatum omnium creaturarum amorem, quantumcunque antea vehementem, superet ac vincat.

Talis amor consistere non potest cum affectu seu voluntate peccandi, quippe quam homo, tali amore præditus, abjicit pro omni casu possibili secundum rei veritatem et ordinem rerum a Deo statutum. Potest igitur homo ille dicere cum Apostolo : *Omnia possum in eo qui me confortat,* atque adeo cum auxilio Dei, qui prius hominem non deserit, omnes tentationes, ordinarias et extraordinarias, præsentes et instantes, vincere potest, et victurus est, nisi ab amore Dei ejusque amicitia excidat, lapsu utique voluntario. Dum vero tentationibus impugnatus, postea deficit et cadit, id proprie non est ex eo, quod in ipso Dei amor non fuerit perfectus et absolute de se efficax : sed lapsus ille refundendus est in culpabilem liberi arbitrii et gratiæ Dei abusum. Omnis namque justus qui nunc stat in Dei amicitia et amore etiam intensissimo, cadere potest ; unde videat ne cadat! S. Petrum, dum Christo in ultima cœna spondebat se propter eum in carcerem et mortem iturum, actum amoris Dei super omnia intensissimum elicuisse non dubitamus, et tamen paulo post ad vocem unius ancillæ illum cecidisse in Evangelio legimus, utique contra propositum charitatis, quod in præfato actu et generosa sponsione includebatur. Huc referimus sequentia ex S. Thom., 2^a $2^æ$, quæst. 24, art. 11, ad 2, 3 et 4.

Dicendum, quod charitas, quæ deficere potest ex ipsa ratione charitatis, vera charitas non est. Hoc enim esset si hoc in suo amore haberet, quod ad tempus amaret, et postea amare desineret : quod non esset veræ dilectionis. Sed si charitas amittatur ex mutabilitate subjecti contra propositum charitatis, quod in suo actu includitur, hoc non repugnat veritati charitatis.

Dicendum, quod amor Dei semper magna operatur in proposito : quod pertinet ad rationem charitatis ; non tamen semper magna operatur in actu propter conditionem subjecti.

Dicendum, quod charitas secundum rationem sui actus excludit omne motivum ad peccandum, sed quandoque contingit, quod charitas actu non agit : et tunc potest intervenire aliquod motivum ad peccandum cui si consentiatur, charitas amittitur.

Ex dictis satis patet, cur præfata terminologia non utamur, atque etiam cur, dum præcise de charitate et

contritione perfecta agitur, non necesse sit inquirere, quanta intensione amoris aut contritionis opus sit, ut charitas aut contritio perfecta sit, modo adsit amor supra descriptus, cum descripta appretiatione et efficacia. Profecto qui Deum sic diligit aliquo actu veræ et sinceræ dilectionis super omnia, cum ex toto corde diligit, et peccata, de quibus ex tali amore dolet, ex toto corde detestatur. Unde dicimus cum Bellarmino, *De justificat.*, lib. 2, c. 16 : « Actus dilectionis super omnia opponitur peccato habituali... et expellit illud efficienter, sive dispositive per modum ultimæ dispositionis, ita ut ex natura rei et infallibiliter sequatur ad illum actum infusio gratiæ, et deletio peccati habitualis... itaque sine miraculo non potest post actum peccati manere gratia, nec post actum dilectionis super omnia manere peccatum. »

Quæst. VII. *An requiritur certus gradus intensionis in amore Dei super omnia, ut contritio ei annexa perfecta sit?*

Non requiritur certus gradus intensionis in hoc Dei amore super omnia.

R. Negative, cum communiori sententia, et secundum ea quæ immediate supra et N. 19 dicta sunt. Scilicet : eo ipso quo peccator se ad Deum convertens, tam intense Deum amat, ut eum ex proprio charitatis motivo super omnia diligat, hæc dilectio seu charitas perfecta, et contritio ex ea procedens quoque perfecta est, quia, ut dicit Catechismus Rom., *De Pœnit. Sacram.*, part. 2, n. 35 : *Cum perfecta contritio sit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur, patet eumdem charitatis et contritionis modum statuendum esse.*

Probatur autem responsio ex iis Scripturæ locis in quibus diligenti Deum, absque ulla restrictione ad certam intensionem, diversam ab illa qua diligitur super omnia, simpliciter promittitur reciproca Dei dilectio : Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Joan. XIV, 21 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Ita etiam simpliciter venia promittitur peccatori veram pœnitentiam agenti, nulla facta mentione intensionis pœnitentiæ, ut Ezech. XVIII, 21 : *Si impius egerit pœnitentiam,* etc.

Probatur.

Confirm. 1.° Dum Conc. Trid. dicit contritionem aliquando *charitate* perfectam esse, non dicit charitate *intensa* perfectam.

Confirm. 2.° S. Thomas, *Suppl.*, quæst. 5, art. 3, dicit :

Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

Itaque ut eliciatur contritio perfecta, nec in dilectione Dei super omnia, nec in contritione requiritur certa intensio, diversa ab illa animi firmitate, qua voluntas Deo appretiative super omnia modo inhæret, sicque peccatum amicitiæ divinæ oppositum super omnia detestatur, nullamque diabolo, mundo aut carni cordis partem relinquit.

Utilitas gradualis intensionis.

Equidem optanda est et commendanda magna dilectionis quoad gradus intensio; quo namque major est gradualis intensio dilectionis ultra illam cordis firmitatem qua Deus vere super omnia modo diligitur, eo quoque major, quoad intensionem, est dolor ac detestatio peccati, atque etiam eo copiosior gratia in justificatione infunditur, eoque plus pœnæ temporalis tollitur. Huc respiciunt, ea, quæ a patronis *intensionis* objiciuntur Scripturæ et Patrum testimonia, dum hæc ultra amorem appretiative summum, et contritionem eadem ratione summam, amorem aut dolorem maxime intensum pœnitentibus inculcant : utique ob maximam utilitatem, plenamque remissionem pœnæ temporalis quæ luenda restat. In eodem sensu, omissis aliis interpretationibus, intelligere possumus hæc Catechismi Rom. verba, *De Pœnit. Sacram.*, part. 2,n.46 : *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit?*

Quæst. VIII. *An ad veritatem contritionis perfectæ requiritur aliqua temporis duratio ?*

Ad veritatem contritionis perfectæ, non requiritur aliqua duratio.

Nota. Quamvis, secundum sensum principaliter in quæstione intentum, simpliciter ad eam responderi possit, actum contritionis, ut sit perfecta contritio, nulla indigere mora temporis, sed simul ac fit, esse veram contritionem ; nihilominus secundum plures quæstionis respectus, claritatis et utilitatis causa, paulo explicatius respondendum est. Pro quo cfr. Suarez, disput. 4, sect. 5. Hinc

R. 1.° Humano et ordinario modo loquendi requiritur aliquod tempus ut homo excitetur, et consideret ac judicet de omnibus quæ necessaria sunt ad eliciendam

contritionem : qua in re veluti per discursum, et ab imperfecto ad perfectum procedit.

Id maxime verum est de homine infideli, qui a statu infidelitatis usque ad statum justitiæ transmutandus est, ut sumi potest ex Tridentino, sess. VI et VII. Potest autem Deus per influxum gratiæ suæ, quæ nescit tarda molimina, supplere has temporis moras, et subito hominem illuminare et convertere.

2.° Positis omnibus in intellectu et voluntate prævie requisitis ad eliciendum actum contritionis, voluntas in eodem instanti in quo elicit actum, qui est contritio, perficit ipsum, ita ut statim habeat et esse, et statum, et causalitatem contritionis.

Igitur actus contritionis statim atque existit, sine ulla mora adjunctam habet gratiam et remissionem peccatorum ; et licet talis contritio aliquo tempore duret, non expectatur illa duratio, ut esse contritionis habeat, neque ut gratia infundatur, sed a primo instanti utrumque habet, licet postea duret, et merito allaboretur ut duret, ad gratiæ augmentum, ad pœnæ temporalis redemptionem, atque etiam ad uberiorem collectionem fructuum pœnitentiæ. Hinc ut fundamento et probabilitate carens rejicitur sententia aliquorum, qui cum Scoto, apud Suarez ubi supra, docuerunt, actum, qui est contritio, non habere rationem contritionis, nisi prius aliquo tempore duret : quod tempus a Deo taxatum esse dicunt.

Probatur. Probatur 2um responsionis membrum, hic maxime intentum :

1.° Ab auctoritate. In S. Scriptura, Ezech. XXXIII, 12, dicitur : *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua ;* ubi hoc : *in quacunque die,* idem valet ac in quocunque tempore vel momento, ut passim exponunt Patres et Scripturæ S. interpretes. Isai. XXX, 19 : *Miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

Inter Patres S. Augustinus, *Enchirid.*, cap. 65, ait : *Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris : cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit ;* et S. Leo Papa, *Epist. 91,* al. *83,* ad Theod. : *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Cfr. N. 7.

2.° A ratione. Si requireretur certa temporis mora in

contritione, contingere posset aliquem vere contritum damnari; hoc autem est absurdum : ergo etc. Sequela prob. : si aliquis in ultimo vitæ instanti vere doleret de suis peccatis ex debito contritionis motivo, talis non posset continuare suum dolorem, quia nulla temporis mora restaret pro ipso : si ergo talis contritio non justificaret, deberet necessario pœnitens cum sua contritione perire.

Quæst. IX. *An contritio perfecta remissionem peccatorum meretur ?*

Contritio perfecta non meretur remissionem peccatorum de condigno,

R. 1.° Contritio perfecta remissionem peccatorum proprie et stricte non meretur, merito scilicet de condigno, quod fundatur in justitia et præmium exigit a Deo ut justo remuneratore.

Prob. Meritum de condigno supponit gratiam sanctificantem, in eaque fundatur, ut docetur in tract. *De gratia et merito :* atqui contritio, qua quis peccatorum remissionem consequitur, auxiliante Dei gratia, elicitur ab homine nondum gratia sanctificante donato, sed eam jam solummodo impetrante ; ergo etc.

sed de congruo.

2.° Perfecta contritio remissionem peccatorum quodammodo meretur, merito scilicet late dicto seu de congruo, quod fundatur in Dei misericordia et præstat convenientiam et congruitatem, ut miserator et misericors Dominus bonitatem et clementiam suam exerceat.

Prob. Constat ex Scriptura sacra Deum cor contritum et humiliatum nunquam despicere, et peccatorum remissionem peccatoribus contritionis intuitu semper conferre: atqui hoc aliquam meriti rationem importat ; ergo etc.

Igitur perfecta contritio est causa remissionis peccatorum, proxime et adæquate ad eam disponens, eamque infallibiliter impetrans : causa etiam meritoria, non quidem de condigno, sed de congruo, ut dictum est. Ex quo patet, quam perperam Lutherus et Kemnitius, et etiam Calvinus, *Institut.*, lib. 3, cap. 4, omnem causæ rationem contritioni ademerint relate ad peccatorum remissionem.

Quæst. X. *Quid est contritio imperfecta ?*

Contritio imperfecta.

R. Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ex amore Dei imperfecto, vel alio motivo supernaturali, cum charitate perfecta non conjuncto.

Dicitur : *ex amore Dei imperfecto :* si enim esset amor Dei ex motivo charitatis super omnia dilecti, qualis paulo ante descriptus est, contritio perfecta esset.

Dicitur : *vel alio motivo supernaturali :* qualia motiva plura et varia esse possunt, petita v. g. ex virtute religionis, obedientiæ, gratitudinis, etc. Concilium Trid., loc. sæpius cit., loquens de imperfecta contritione, quæ attritio dicitur, ait quod vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipiatur.

Plura de hac contritione dicenda sunt, ubi de Pœnitentiæ Sacramento.

N.° 22. De efficacia contritionis perfectæ et imperfectæ.

Sententiæ erroneæ de efficacia contritionis perfectæ.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt, intelligitur quidem quæ sit contritionis perfectæ efficacia : quia tamen aliqui errores specialiter confutandi sunt, de illa ulterius agere convenit.

Baius et Jansenius negarunt contritionem perfectam justificare extra usum Sacramenti, nisi in certis casibus, puta mortis vel martyrii, si desit copia confessarii.

In errorem pariter incidit Estius, *In Sent.*, lib. IV, dist. 17, § 2, docens, nec semper nec frequenter contingere, contritionem licet perfectam peccatorem cum Deo reconciliare. Hinc certos casus, in quibus id contingere concedit, ita describit, scilicet : dum urget articulus mortis, et sacerdos haberi non potest ; quando occurrit casus scandali, aut alterius peccati incurrendi, si absolutio petatur ; item quando quis omnino non potest, aut certe difficillime potest, opportuno tempore adire sacerdotem a quo absolvatur, velut si habitet inter infideles, aut teneatur in vinculis, aut simili quopiam impedimento prohibeatur. Tum et illud addit : « An autem sit certus aliquis gradus intensionis, ad quem cum pertigerit contritio vel dilectio Dei in catechumeno vel pœnitente, perpetua lege conjunctam habeat remissionem peccatorum, incertum est, imo non apparet. »

Illis erroribus opponimus communem theologorum

doctrinam, quam Perrone, cap. 2, de contrit., n. 71, dicit esse fidei proximam, quæ nunc probanda est.

Proba contritionem perfectam stata lege justificare.

R. Probatur 1.° ex Scriptura et Patribus ; illa enim et isti charitati Dei et contritioni perfectæ simpliciter, et sine ulla restrictione ad certos casus, tribuunt vim justificandi hominem, ut patet expendenti textus NN. præced. et 7 adductos. Contritio perfecta stata lege justificat. Probatur.

Prob. 2.° ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. IV, docente quod *contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur ; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Ubi Concilium hæc duo: *contritionem charitate perfectam esse,* et : *hominem Deo reconciliare,* inter se conjungit tanquam duo inseparabilia, sicque indefinite et universaliter istam reconciliationem contritioni perfectæ tribuit.

Nec obstat vox *aliquando :* non enim sancta Synodus illam addidit ad significandum, quod contritio perfecta aliquando justificet, aliquando non, ut putavit Estius ; sed illam addidit, quia cum initio capitis accepta esset contritio generaliter prout abstrahit a perfecta et imperfecta, jam indicare voluit contritionem *hanc aliquando* charitate perfectam esse, et quoties illud contingit, eam hominem Deo reconciliare, etiam ante Sacramenti usum.

Refert Card. Pallavicinus, *Hist. Conc. Trid.*, lib. 12, cap. 10, adeo persuasum fuisse Tridentinis Patribus virtutem illam semper inesse contritioni perfectæ, ut jam paratus fuerit canon, quo definiretur, hanc veritatem fide divina credendam esse, nisi Archiepiscopus Calaritanus opposuisset sententiam Cajetani et Adriani.

Prob. 3.° ex damnatione propositionum Baii per Pium V, Gregorium XIII et Urbanum VIII ; quarum 31ª sic fert : *Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum ;* et 71ª : *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

Ex damnatione istarum aliarumque similium Baii propositionum sequitur, contritionem charitate perfectam perpetuo et stata lege justificare.

Dici non potest quod in istis propositionibus non agatur de charitate actuali, sed tantum de habituali, ideoque tantum a Pontificibus fuisse damnatas; nam ex ipsis quarumdam propositionum verbis evidenter patet, in illis agi de charitate actuali : huic enim, et non habituali, manifeste conveniunt, inter alia, ista verba de charitate sincera *quæ est ex corde puro*, etc.; etenim charitas habitualis non est ex corde, sed in corde : actualis autem procedit ex corde.

Obj. 1.° ex Scriptura sacra :

Objectiones. Perfecte contrita erat peccatrix, Luc. VII, quæ ad Jesum accessit, ejus pedes lavit et capillis suis extersit : atqui tamen veniam peccatorum non prius consecuta est, quam Christus demum ℣. 47 dixerit : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, et rursus ℣. 48 : *Remittuntur tibi peccata ;* ergo etc.

R. 1.° Si non prius obtinuerit veniam peccatorum, dicendum est quod nec prius perfecte dilexerit, nec perfecte contrita fuerit. Quod autem dilexit multum, ut Christus declarat, id significat magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ. Nec obstant verba *remittuntur* in præsenti, et *dilexit* in præterito, quasi perfecte diligenti non statim, sed post intervallum remissio peccatorum concessa fuerit ; quia dilectio ordine et natura prior est remissione peccatorum, licet ipso tempore, quo dilectio perficitur, ipsa etiam remissio fiat.

R. 2.° Cum communi sententia neg. min. Dicendum igitur, quod antea modo justificata et peccatorum remissionem consecuta fuerit per eximiam charitatem suam et contritionem ex ea ortam. Nec propterea falsa reddunturverba : *remittuntur ei*, et *remittuntur tibi peccata*, quia quod paulo ante factum fuerat, poterat exprimi in præsenti, utpote moraliter præsens. Adde quod textus græcus habeat : *remissa sunt*. Recte ergo dicitur, verba Christi fuisse iteratam condonationem seu confirmationem prioris remissionis, tum ad majorem mulieris consolationem et securitatem, tum ad accumbentium, qui ipsam adhuc peccatricem habebant, instructionem.

Similem modum ostendit Christus, Marc. V, dum hæmorrhoissæ, quam a profluxu sanguinis jam modo sanaverat, ℣. 34 adhuc dicit : *Esto sana a plaga tua ;* ut palam declaret et confirmet sanitatem, quam mulieri propter suam fidem jam antea concesserat.

Nec contrarium docet S. Augustinus, *Hom. 25*, de Magdalena aiens : *Accessit immunda, ut rediret munda ;* quia dicere poterat eam accessisse immundam, cum paulo ante esset talis, et palam haberetur adhuc ut peccatrix. Cæterum Augustinus non denegat veniam Magdalenæ dilectioni relatæ ad illud tempus, quandocunque illud fuerit, quo dilexit multum ; unde ex Augustini verbis, aliorumque Patrum similibus dictis, nihil erui potest contra communem et certam doctrinam, qua perfectæ contritioni vis tribuitur statim et in omni casu justificandi.

Obj. 2.° Paulum, qui jam perfecte contritus, quinimo vas electionis erat, sic allocutus est Ananias, Act. XXII, 16 : *Quid moraris ? Exurge et baptizare, et ablue peccata tua ;* ergo etc.

R. Neg. conseq. Communis enim est Patrum sententia, Paulum perfecte conversum et gratia justificante donatum fuisse eo momento, quo potentissima Dei voce prostratus in via Damasci, erupit in hæc verba : *Domine, quid me vis facere ?*

Non obstant ista Ananiæ verba : *Baptizare, et ablue peccata tua ;* quia Paulum ad suscipiendum Baptismum gravissima urgebat ratio, nempe obligatio exequendi votum Baptismi in perfecta ejus contritione inclusum, atque etiam obtinendi signum gratiæ, et speciales istius Sacramenti effectus cum juribus et prærogativis annexis. Nec obstat illud, quod sub nomine Augustini citari solet ex *Serm. 1* et *25*, de Sanctis : *Ananias baptizavit Paulum, et fecit de lupo agnum ;* tum quia Paulus paulo ante erat persecutor Ecclesiæ et ab ignorantibus ejus conversionem ut talis etiamnum habebatur ; tum quia Sermones illi, in quibus extant præfata verba, a doctissimis monachis Benedictinis in appendicem rejecti sunt tanquam supposititii. Quid vere senserit Augustinus, liquet ex iis quæ dicit *Serm. 175*, n. 8 : *Quare trepidas ire, Anania, ad eum qui jam non est lupus ? Lupum timebas ; sed respondet tibi Dominus Deus tuus : De lupo ovem feci.*

Obj. 5.° S. Aug. *Tract. 13 in Joan.*, n. 7, docet catechumenos, licet charitate flagrantes, non justificari ante actualem Baptismi susceptionem ; ait enim : *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum ;* ergo etc.

R. Neg. ant. In verbis objectis aliisque similibus non loquitur Augustinus de catechumenis perfecte contritis aut charitate flagrantibus, sed de iis qui suis bonis operibus confidentes Baptismum suscipere negligebant, quorum proinde nec vera charitas nec perfecta contritio erat, quantumvis de iis ac de virtutibus suis sibi blandirentur. Quod Augustinus de hujusmodi catechumenis loquatur, innotescit ex eo quod aliquem ex iis sic loquentem inducit, n. 6 : *Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod et iste* (baptizatus), *quo jam melior sum ?*

An ut contritio in nova Lege justificet, debet habere conjunctum votum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ ?

Contritio justificans in N. L. conjunctum habere debet votum

R. Affirmative, ut constat ex citatis Tridentini verbis : *Ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Et ratio est, quod contritio nequeat esse perfecta, nisi adsit votum ea omnia adimplendi quæ a Christo præcepta sunt ; Christus vero præcepit ut peccator, etiamsi perfecte contritus fuerit, peccata mortalia clavibus Ecclesiæ subjiciat.

saltem implicitum suscipiendi Sacramentum.

Patet ex ratione allegata, quod explicitum votum confitendi non sit absolute necessarium, sed sufficiat implicitum, inclusum in voluntate faciendi omnia quæ præcepta sunt. Atque ita quidem illud votum includitur in perfecta contritione illius qui institutionem Sacramenti Pœnitentiæ invincibiliter ignorat : ideo Concilium simpliciter dixit : *Quod in illa includitur.*

An contritio imperfecta de se sola justificat ?

Contritio imperfecta se sola non justificat,

R. 1.° Theologi communiter docent, contritionem imperfectam nunquam justificare extra articulum mortis ; id saltem concludendum est ex verbis Conc. Trid., quod loc. cit., de attritione dicit : *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat...*

2.° Satis etiam conveniunt, contritionem imperfectam non justificare in articulo mortis : id videtur etiam constare, tum ex præcedentibus Concilii verbis, tum ex iis quæ ead. sess., cap. VII, habet in hunc modum : *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis ;* etenim iste interitus contingere non posset in casu contritionis imperfectæ, si hæc in isto articulo justificare posset. nequidem in articulo mortis.

Aliqui tamen existimant, contritionem imperfectam justificandi vim habere in moribundo, qui votum confitendi habet, et confessarium habere non potest. Verum huic opinioni obest, quod contritio imperfecta ex se vim illam non habeat, nec necessitas illam ex se tribuere possit, nec aliunde constet de privilegio pro articulo mortis. Quod de Dei misericordia aliqui hic dicunt pro sufficientia istiusmodi contritionis, sub alio respectu valere tantum potest ad confirmandam hanc veritatem, quod scilicet, si homo cum Dei gratia faciat quod est in se, etiam in ipso articulo mortis, Deus non sinet ipsum mori sine contritione perfecta.

Ex dictis sequitur, pastores et omnes qui animarum curam habent, debere esse valde sollicitos, ut moribundis Sacramenta conferant, quibus ipsorum saluti et certius et fructuosius consulatur.

N.° 23. De necessitate et præcepto contritionis.

Dum N. 8 necessitas pœnitentiæ ad remissionem peccatorum mortalium, adeoque ad justificationem et salutem obtinendam probata fuit, non quicunque pœnitentiæ actus intellectus fuit, sed ille qui consistit in contritione. Ideo quæ ibi dicta, hic recolenda et paucis augenda sunt, et præmittenda iis quæ infra de præcepto contritionis explicari debent. Necessitatem autem et præceptum contritionis ad justificationem requisitæ, hic iterum monemus esse intelligenda de contritione perfecta, scilicet extra Sacramentum ; vel imperfecta, quæ vulgo dicitur attritio, in Sacramento. Contritio sive perfecta extra Sacramentum, sive imperfecta in Sacramento,

An et quomodo contritio est necessaria ad justificationem et salutem ?

homini lapso necessaria est necessitate tum præcepti divini, tum medii et præcepti naturalis.

R. 1.° Contritio homini in grave peccatum lapso ad justificationem et salutem necessaria est necessitate præcepti divini. Constat ex iis quæ N. 8 dicta sunt.

2.° Contritio homini in grave peccatum lapso etiam necessaria est necessitate medii et præcepti naturalis.

Prob. 1ª pars : Quia contritio est medium a Deo per se ita ordinatum ad remissionem peccatorum, ut, illo quomodocunque omisso, hæc remissio nequeat obtineri, quemadmodum satis indicant Scripturæ et Patrum testimonia superius indicata, quæ in sua proprietate et latitudine vera non essent, si posset contingere casus, in quo peccator gravis absque pœnitentia seu contritione non periret. Hinc, qui post peccatum mortale etiam sine nova culpa impœnitentiæ, v. g. ex oblivione naturali, morte subitanea sine pœnitentia moritur, damnatur.

Prob. 2ª pars : Quia quilibet homo præcepto naturali tenetur tendere in suum finem, et ex propria charitate obligatur adhibere media, sine quibus salutem suam obtinere nequit ; si enim lege naturali tenetur uti mediis necessariis ad vitam corporis, multo magis tenetur uti iis quæ necessaria sunt ad vitam animæ. Hic valet illud S. Thom., part. 3, quæst. 84, art. 7 : *De jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit.*

Nec obest quod contritio, utpote actus supernaturalis, solis naturæ viribus elici non possit : nam Deus supernaturale auxilium ad actus supernaturales subministrat.

Prædictam necessitatem contritionis docet Conc. Trid. sess. XIV, cap. IV, his verbis : *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius ;* et cap. I : *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur.*

Quotuplici modo obligare potest præceptum contritionis?

R. Duplici modo, nempe per se vel per accidens. Dicitur obligare *per se,* dum urget ratione sui; ita ut si peccator illud præceptum non impleat committat peccatum speciale impœnitentiæ. Dicitur obligare *per accidens,* dum urget, non quidem ratione sui, sed ratione alterius

præcepti, seu ratione necessarii alterius cujusdam virtutis exercitii, quod impleri aut fieri non potest sine contritione; ideoque omissio contritionis tunc non est peccatum distinctum ab eo quod committitur contra illam virtutem, ex cujus motivo exercenda erat contritio : ita v. g. peccator administrans Sacramentum, non elicita contritione, culpam sacrilegii incurrit, non impœnitentiæ.

Quandonam præceptum contritionis obligat per se ?

Præceptum contritionis obligat per se in periculo mortis vel amentiæ,

R. 1.° Certum est apud omnes, præceptum contritionis per se obligare peccatorem in articulo et periculo mortis vel amentiæ vero vel fundate præsumpto : ut in bello, peste, vel longa et periculosa navigatione.

Ratio est, quod si tunc id negligat, censeatur velle perpetuam cum Deo inimicitiam, et irreparabile salutis æternæ dispendium; cum post mortem pœnitentia, adeoque reconciliatio cum Deo sit impossibilis.

et juxta plures etiam extra tale periculũ;

2.° Juxta plures præceptum contritionis per se quoque obligat peccatorem certo tempore, extra articulum mortis, sic saltem ut non diu differat seu tardet converti ad Dominum, et ne differat de die in diem; ne peccator in re gravissima sit negligens, contumax, contemnens patientiam et longanimitatem Dei, secundum duritiam suam thesaurizans sibi iram in die iræ.

Ratio est, quia nimis inordinatum est longo tempore manere in statu peccati mortalis et inimicitiæ cum Deo, et valde repugnans propriæ charitati, ob periculum æternæ damnationis imminens.

Alii tamen, inter quos Vasquez, qu. 86, art. 2, dub. 6, n. 11, id negant, ut liquet ex iis quæ de hoc puncto tradit S. Alphonsus n. 457, v. Dubitatur 1.° : « An extra periculum mortis obliget unquam præceptum contritionis, et ejus dilatio sit speciale peccatum? » Respondet : « *Prima* sententia affirmat.... Probatur 1.° ex illo : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius;* Eccli. V, 8 et 9. Probatur 2.° ex præcepto charitatis, quod sine dubio obligat per se sæpius in vita, ergo etiam sæpius obligat præceptum contritionis. *Secunda* vero sententia negat.... Censeo autem, has sententias facile posse conciliari. Per se loquendo peccator differens pœnitentiam extra periculum

mortis, probabiliter non committit speciale peccatum, cum secunda sententia. Ratio, quia præcepta affirmativa, ut docet S. Thom. in IV, dist. 17, q. 3, art. 1, q. 4, debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri; nullibi autem constat, quale tempus sit determinatum ad huic præcepto contritionis satisfaciendum.... Sed per accidens puto nullo modo excusari eum a mortali, qui existens in mortali per notabile tempus differret pœnitentiam; tum quia peccaret contra præceptum charitatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcunque obstringit, juxta dicta lib. 3, num. 8, tum quia insuper peccaret contra charitatem erga seipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo : ratio patet ex eo, quod docet S. Thom. 1ª 2æ, quæst. 109, art. 8, (quem sequuntur Gonet et Roncagl.) ubi ait : *Sine gratia sanctificante quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.* Unde D. Gregorius super Ezech. hom. 11, dixit : *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Quale autem sit hoc notabile tempus, valde DD. discrepant. Conc. putat esse hebdomadam; idem videtur sentire Ronc. dicens, esse spatium multorum dierum; sed Salmanticenses.... putant excusari, qui satisfacit confessioni annuali : et huic opinioni videtur adhærere D. Thom. in l. c. in IV Sent. Sed ego non omnino acquiesco : spatium enim satis notabile mihi videtur, ut quis per tantum temporis existens in mortali possit vitare periculum in alia facile relabendi. Nec valet dicere quod Ecclesia pro omnibus indistincte determinaverit tempus anni; nam Ecclesia hoc tempus solum determinavit ad obligationem confessionis, non autem pœnitentiæ. Non nego tamen, quod peccatores, præsertim rudes, ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper, excusari possint. »

An præceptum contritionis obligat statim post commissum peccatum mortale ?

probabilius non immediate post peccatum ;

R. Duplex est sententia :

Prima sententia affirmat cum pluribus, præsertim antiquis. His accensendi sunt quidam alii, qui dicunt pœnitentiam obligare, quoties peccata memoriæ occurrunt ; unde consequenter debent dicere, quod obliget statim, si

statim peccatum, necdum remissum, memoriæ occurrat.

Patroni istius sententiæ stricte omnino sumunt illud Eccli. V, 8 : *Non tardes converti ad Dominum*, etc. Similiter accipiunt alia quædam Scripturæ et Patrum dicta, eaque nec de consilio, nec de longa dilatione accipiunt, sed de stricto præcepto, illico post commissum peccatum obliganti sub speciali peccato.

Secunda sententia probabilior negat cum S. Alphonso, contra Collet et Concina.

Ratio est, 1.° quia præceptum contritionis est affirmativum ; porro præceptum affirmativum non obligat singulis momentis; ergo ; 2.° quia opposita sententia est de re nimis anxia et obscura, secumque trahens nimium incommodum, nimirum multiplicationem peccatorum pro numero instantium dilationis, donec peccator perfecte conteratur, vel confiteatur ; quod non videtur consentaneum sensui fidelium, nec praxi confessariorum.

Dices : Homo non minus tenetur averti a peccato post ejus commissionem, quam ad illud non committendum ante ejus admissionem : atqui in instanti ante ejus commissionem tenebatur ad non committendum ; ergo in instanti post ejus admissionem tenetur ab illo averti.

R. Non minus tenetur averti aversione negativa, id est, desinere ab actuali affectu, conc. ; non enim licet pergere in affectu peccati. Statim tenetur averti aversione actuali positiva per detestationem peccati et per contritionem reconciliativam, nego; hæc enim obligatio sub novo peccato non apprehenditur a fidelibus in sua conscientia, nec a confessariis in suo pœnitentiæ tribunali.

Si præceptum contritionis probabilius non obligat statim, quænam igitur dilatio peccatum grave inducit ?

sed incertum quæ dilatio sit gravis.

R. Non conveniunt theologi : alii illam dilationem extendunt ad integrum annum ; alii ad sex vel pauciores etiam menses; alii ad mensem ; alii ad hebdomadam.

Hæc ultima sententia S. Alphonso, *Homo Apost.*, tract. 16, n. 10, videtur nimis rigida. Primam nimis laxam censet loco supra citato. Juxta doctrinam S. Doctoris unus mensis est notabile tempus in pœnitentiæ dilatione, saltem, inquit Müller, ob obligationem eliciendi charitatem semel in mense ; quia conscius peccati

mortalis charitatem rite elicere nequit, nisi doleat de peccato quo Deum infinite diligibilem offendit. Fatetur tamen, ut supra vidimus, peccatores, præsertim rudes, a peccato dilatæ pœnitentiæ fere semper excusari ob inadvertentiam.

Billuart, dissert. 4, art. 3, ita sententiam suam exprimit : « Sicut qui ultra quatuor aut quinque menses differret elicere actus fidei et charitatis, meo saltem judicio, non eximeretur a peccato, ita qui omitteret contritionem : equidem sunt distincta præcepta, sed æque ad minus urget præceptum contritionis, ac præceptum fidei et charitatis. »

« Non obstat quod confessarii non interrogent pœnitentes qui ab anno non sunt confessi, an hoc præceptum intra anni decursum impleverint; nec enim etiam interrogare solent an per id tempus actus fidei, spei et charitatis elicuerint, quorum tamen obligatio urget. Dicendum itaque videtur, quod qui ab anno non sunt confessi, vel sunt consuetudinarii, et ii satis intelliguntur defuisse præcepto, vel non sunt consuetudinarii, et ii cum deposuerint affectum peccati, et intersint Missæ, divinis officiis, exhortationibus et prædicationibus, præsumuntur interdum elicere actus contritionis et virtutum theologicarum. Cæterum consultum foret, ut pœnitentes de iis se examinarent et confessarii interrogarent. »

Quandonam præceptum contritionis obligat per accidens?

Quando obliget per accidens.

R. 1.° generatim : quando requiritur status gratiæ ad aliquod aliud præceptum adimplendum.

R. 2.° allegando quosdam casus :

1.° Quando Sacramenti susceptio vel administratio aut muneris sacri exercitium contritionem requirunt, secundum diversos casus expositos ubi de Sacramentis in genere et alibi in specie.

2.° Quando urget gravis tentatio, quam alias sine elicita contritione vincere grave foret, ita ut quis eam superare diffidat, nisi se ad Deum convertat. De hoc casu intelligi potest S. Thomas, dum dicit in IV, dist. 17, quæst. 2, art. 3, quod homo teneatur ad contritionem, quando peccata occurrunt memoriæ: nimirum cum quadam sui suggestione et cum periculo consensus, quod sine actu pœnitentiæ non videatur propulsandum.

3.° In casu publicæ necessitatis, præsertim spiritualis, quando creditur Deum illam immittere aut permittere propter peccata particularia.

Alii alios casus adhuc assignant, quos plurimi consulto omittunt, quia forsitan eos vel non admittunt, vel satius esse existimant eos relinquere fidelium conscientiæ pro diversis circumstantiis, aut animarum curam habentium aut aliquo modo gerentium adhortationibus et monitis.

An præceptum contritionis obligat diebus dominicis et festis?

An obliget diebus dominicis et festis.

R. Communius negatur, quia nullibi legitur nec ulla ratione probatur præceptum illud obligare istis diebus. Nam præceptum de observatione festorum jubet sanctificari dies festos per abstinentiam a labore servili, et religiosam auditionem Sacri; quod utrumque præstari potest a peccatore et sine contritione. Item nullus se accusat quod non elicuerit actum contritionis diebus dominicis et festis, ut testatur Billuart. Nec obstat quod Ecclesia per suum præceptum intendat, ut Deo per charitatem inhæreamus: quia is est finis extrinsecus præcepti, sine cujus assecutione poni potest substantia rei, ut ab Ecclesia præceptæ, et proinde ille finis non cadit sub præcepto.

An contritio seu pœnitentia debet semper durare seu esse continua?

Pœnitentia debet semper durare, non quoad actum, sed quoad habitum.

R. Cum S. Thom. part. 3ª, q. 84, art. 9: *Dicendum, quod pœnitere dicitur dupliciter; secundum actum, et secundum habitum. Actu quidem impossibile est quod homo continue pœniteat... Alio modo dicitur pœnitere secundum habitum: et sic oportet quod homo continue pœniteat; et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur; et quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere quod semper sibi præterita peccata displiceant.* Art. 8, modo dixerat: *Semper debet homini displicere quod peccavit: si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniæ perderet.*

Quando igitur Scripturæ et Patres continuam pœnitentiam inculcant peccatoribus, id intelligunt vel tantum negative, id est, ne unquam sibi complaceant de

peccatis commissis, aut pœnitentiam actam retractent ; vel ut repetitis pœnitentiæ actibus pœnam temporalem in hac vel altera vita pro peccatis luendam solvant ; vel ut assiduo pœnitentiæ exercitio majorem promereantur gratiæ cumulum in hac vita et gloriæ in altera.

Hæc de virtute pœnitentiæ : reliquum est ut agatur de Pœnitentiæ Sacramento.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

N.° 24. De nominibus ac definitione Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., part. 3ª, quæst. 84.

Varia nomina Sacramenti Pœnitentiæ.

Quartum hoc novæ Legis Sacramentum variis nominibus insignitur :

1.° Vocatur *Sacramentum Pœnitentiæ*, seu *Pœnitentia*, quia tres actus pœnitentiæ ad illud constituendum concurrunt, scilicet contritio, confessio et satisfactio.

2.° *Sacramentum Confessionis*, seu *Confessio*, græce *exomologesis*, a parte ipsius magis sensibili.

3.° *Sacramentum absolutionis*, ab actu sacerdotis pœnitentem absolventis a vinculo peccatorum.

4.° *Sacramentum reconciliationis*, quia hominem cum Deo reconciliat.

5.° Dicitur a SS. Patribus *secunda post naufragium tabula*, quam metaphoram explicat S. Thomas, quæst. 84, art. 6, et post ipsum Catechismus Conc. Trid., *De Pœnit. Sacram.*, n. 1, his verbis: *Ut, confracta navi, unicum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere ; ita post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad Pœnitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est.*

6.° Sæpe apud veteres occurrit nomen *manus impositio* pro Pœnitentia ; quæ sic dicta fuit a cæremonia in collatione hujus Sacramenti usurpari solita.

7.° Tandem vocatur a Patribus *Baptismus laboriosus*, quia, ut explicat Conc. Trid., sess. XIV, cap. II, ad vitæ novitatem et integritatem in Baptismo acquisitam et

dein peccato deperditam, *per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.*

Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?

R. *Est Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo peccatoribus contritis atque confessis per judicialem sacerdotis sententiam confertur gratia remissiva peccatorum post Baptismum commissorum.* Definitio.

In hac definitione tota Sacramenti Pœnitentiæ natura declaratur : materia proxima quidem, per voces : *contritis* et *confessis;* forma et minister, per verba : *per judicialem sacerdotis sententiam ;* effectus vero per sequentia : *confertur gratia remissiva peccatorum post Baptismum commissorum;* quibus ultimis verbis, uti et verbo : *peccatoribus,* indicatur simul subjectum et materia remota Sacramenti.

N.° 25. De existentia Sacramenti Pœnitentiæ et tempore institutionis ejus.

S. Thom., quæst. 84, art. 1 et 7.

Errores hæreticorum.

Prænotandum. Plerique ex antiquioribus hæreticis in varios quidem errores circa Sacramentum Pœnitentiæ inciderunt : uti Montanistæ et Novatiani, qui potestatem absolvendi Ecclesiæ datam ad peccata minus gravia restringebant ; Waldenses aliique medii ævi sectarii, qui facultatem valide absolvendi, quam sacerdoti malo denegabant, laicis bonis communicabant ; Wiclefistæ, qui similiter circa ministrum Sacramenti, tum circa ejusdem necessitatem errabant ; sed ante Lutheri tempora vix aliquis reperitur, de quo constet quod ipsum Sacramentum Pœnitentiæ directe negaverit. Ipse Lutherus modo Pœnitentiam Sacramentum esse affirmat, modo negat ; eademque inconstantia in discipulis ejus cernitur. Calvinus vero ejusque asseclæ aperte et constanter docuerunt Pœnitentiam non esse Sacramentum, confessionem vero et absolutionem esse institutionis humanæ ; cui errori jam plurimi ex Lutheranis adhærent. Nihilominus usus confessionis auricularis permansit in nonnullis ecclesiis Lutheranis, præsertim in Suecia. Imo

in ecclesia anglicana non penitus abolitus fuit; in libro enim liturgico, dicto *Book of common prayer*, cap. *de visitatione infirmorum*, legitur, quod si infirmus sentiat conscientiam suam gravi peccato inquietam, instituere debeat *confessionem specialem*, post quam absolvendus erit a ministro. Formula autem absolutionis eadem adhuc est, quæ in Ecclesia latina obtinet: nimirum post orationem ad D. N. Jesum Christum subdit minister: *Atque auctoritate ipsius mihi commissa, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Sed in Rituali americano hæc fuerunt omissa, teste Ill. Kenrick, *De Pœnit.*, cap. 1. Inter Anglicanos vero schola Oxoniensis plurimum commendat frequentiorem usum confessionis. Non tamen continuo concludendum, hos omnes dignitatem Sacramenti in eadem agnoscere: imo qui nomen Sacramenti ei concedunt, sensu tamen catholico Sacramentum dicere nequeunt, quamdiu non renuntiant fundamentali protestantismi principio, quod justificatio hominis consistat tantum in non imputatione delicti ad pœnam, eaque obtineatur per solam fidem qua certo quis credat se justificatum per imputationem justitiæ Christi. Contra novatores igitur

Proba dari verum Pœnitentiæ Sacramentum, seu ritum sacrum N. præc. descriptum esse verum et proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

Existentia hujus Sacramenti probatur

R. Pœnitentia vere est novæ Legis Sacramentum, si Christus Ecclesiæ suæ potestatem dederit remittendi peccata post Baptismum commissa, et hæc potestas per ritum sacramentalem sit exercenda. Atqui ita est.

Probatur I. ex Scriptura sacra.

ex S. Scriptura,

1.° Quoad primam partem. Christus dedit Ecclesiæ in persona Apostolorum potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, primo quidem in generali potestate ligandi atque solvendi, quam specialiter Petro ejusque successoribus contulit, eisdem tradendo claves regni cœlorum, Matth. XVI, 19, quamque postea omnibus Apostolis communicavit, Matth. XVIII, 18: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Porro vincula quæ hominem etiam baptizatum a consecutione cœlestis beatitudinis remorari

possunt, imprimis sunt peccata ; ergo et hæc solvere possunt illi quibus dictum est : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Expressius vero et specialius hanc potestatem remittendi peccata eisdem contulit Dominus, quando post resurrectionem suam apparens eis, *insufflavit et dixit : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;et quorum retinueritis,retenta sunt;* Joan. XX, 22 et 23. *Quo tam insigni facto,* ait Conc. Trid., sess. XIV, cap. I, *et verbis tam perspicuis potestatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

2.° Quoad alteram propositionis partem, nimirum, potestatem hanc exercendam esse per ritum sacramentalem, et consequenter Pœnitentiam vere esse novæ Legis Sacramentum, ex iis ipsis Christi verbis colligitur. Designantur enim ibi omnia quæ ad essentiam Sacramenti novæ Legis requiruntur : 1.° *minister,* dum solis Apostolis sacerdotibus, quos alloquebatur Dominus, adeoque eorum successoribus, potestatem illam concessit; 2.° *forma* indicatur in verbo : *remiseritis,* quo intelligimus per sententiam sacerdotis peccata esse delenda; 3.° *materia* remota exprimitur in voce : *peccata.* Insuper contritio et confessio singulorum peccatorum inde eruitur, quod quorumdam peccata sint remittenda , pœnitentium nimirum, aliorum vero retinenda, adeoque sacerdotes constituantur judices, qui discernere debeant, quorum peccata sint remittenda, quorum retinenda. Porro nemo potest esse æquus judex in causa sibi incognita ; peccata autem pœnitentis non potest cognoscere sacerdos, nisi per propriam peccatoris confessionem, cum huic soli nota sint prout sunt in ejus conscientia ; ergo confessio requiritur ut possit sacerdos justum ferre judicium. Tandem 4.° *effectus,* gratia scilicet remissiva peccatorum, designatur per verba : *remittuntur eis;* non enim remittuntur peccata mortalia sine infusione gratiæ. Est itaque Pœnitentia signum visibile practicum gratiæ ad nostram sanctificationem a Christo Domino institutum, adeoque verum et proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

Prob. II. ex traditione.

ex traditione. 1.° Quidem ex Patribus, iis præsertim qui contra Montanistas et Novatianos scripserunt, ad vindicandam plenam Ecclesiæ potestatem remittendi omnia peccata. S. Ambrosius, *De Pœnitentia*, lib. 1, cap. 8, Pœnitentiæ Sacramentum cum Sacramento Baptismi conferens, ita loquitur : *Quid interest, utrum per Pœnitentiam, an per Lavacrum hoc jus* (remittendi peccata) *sibi datum sacerdotes vindicent ! Unum in utroque mysterium est.* S. Cyprianus, lib. *De lapsis*, omnes Sacramenti partes aperte designat, dicens : *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Plura vide apud Bellarminum, *De Pœnit.*, lib. 1, aliosque.

2.° Hæc traditio elucet in usu fidelium antiquissimo et universalissimo recurrendi ad ministerium sacerdotum ad confitendum peccata sua et obtinendum eorum absolutionem cum impositione legitimæ satisfactionis, de quo, ubi de confessione, latius erit dicendum. Manifestum autem est, fideles ab hac absolutione gratiam remissivam peccatorum suorum sperasse, et consequenter hanc Pœnitentiam Sacramentum credidisse.

3.° Confirmatur tum ex fide et praxi Ecclesiæ græcæ et sectarum Orientalium, jam a sæculo V vel VI ab unitate separatarum ; tum ex constante earumdem traditione et fide conformi cum Ecclesia latina circa numerum septenarium Sacramentorum, inter quæ semper numerata fuit Pœnitentia. Cfr. Arcudius, lib. 4, cap. 1, et *Perpétuité de la foi*, tom. 5, lib. 4 et 5.

Merito igitur tanquam dogma fidei definitum est in Conc. Flor. et Trid., Pœnitentiam esse verum et proprie dictum Sacramentum novæ Legis.

Objectiones. Obj. 1.° In citatis Scripturæ sacræ locis, et signanter Joan. XX, Salvator Apostolis missionem tantum contulit *prædicandi in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum*, uti habetur Luc. XXIV, 47 ; ergo non instituit ibi novum Sacramentum.

R. Neg. antec. Contrarium enim certum est ex dictis, et definitum in Conc. Trid., sess. XIV, can. 3. Utraque sane potestas et prædicandi Evangelium et

dimittendi peccata a Christo data fuit Apostolis ; sed ex Scriptura sacra liquet utriusque differentia : prædicandum enim dicitur omni creaturæ, dimittenda vero peccata eorum tantum quorum dimittenda judicaverint Apostoli. Præterea protestantes non nisi violenter et propter necessitatem systematis sui hæc verba : *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* et a fortiori sequentia: *quorum retinueritis, retenta sunt,* de prædicatione pœnitentiæ interpretari possunt. Tandem diverso tempore utraque potestas data fuit : nam quæ leguntur Luc. XXIV, 47, dicta sunt undecim discipulis præsentibus ; quæ vero habentur Joan. XX, 22 et 23, absente S. Thoma, uti notat Evangelista.

Obj. 2.° Solus Deus potest remittere peccata, juxta illud Isaiæ XLIII, 25 : *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas ;* ergo sacerdotes non habent eam potestatem.

R. Dist. antec. Solus Deus potest remittere peccata principaliter et propria auctoritate, conc. ; solus, ita ut homo non possit cooperari ministerialiter et auctoritate communicata, nego : nam Deus potest committere illud ministerium sacerdotibus, et revera commisit, Joan. XX. Unde S. Pacianus, *Epist. 3 ad Sempronianum Novatianum,* respondet : *Quod ego facio, id non meo jure, sed Domini : Dei enim sumus adjutores ;* et S. Thom., quæst. 84, art. 3, ad 3 : *Verba sacerdotis,* ait, *in hoc Sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis Sacramentis.*

Quandonam Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ?

Quandonam sit institutum,

R. Instituit illud præcipue in die resurrectionis suæ, per verba supra relata ex Joan. XX. Hinc dicit Conc. Trid., sess. XIV, cap. I : *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens : Accipite Spiritum sanctum,* etc.

Dicitur : *præcipue,* quia Matth. XVI, 19, et XVIII, 18, hoc Sacramentum promiserat et quasi inchoate instituerat. Imo jam *in principio prædicationis suæ,* ut ait S. Thom., quæst. 84, art. 7, in corp., *indixit hominibus ut non solum pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent, significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc Sacramentum.*

ob quas rationes.

Catechismus Conc. Trid., *De Pœnit. Sacram.*, n. 14, monet fidelibus explanandum esse, quare Christus Dominus Pœnitentiam in numerum Sacramentorum referri voluerit. Rationes autem dat sequentes : imprimis *ut de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait: Si impius egerit pœnitentiam, etc., minus dubitare nobis liceret :* adeoque *conscientiæ nostræ, ob fidem quæ Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Deinde ut hujus Sacramenti vi et efficacia Christi sanguis ad nos defluens peccata post Baptismum admissa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.*

N.° 26. De differentia Sacramenti Pœnitentiæ a Baptismo.

Novatores, qui negant Pœnitentiam esse speciale Sacramentum a Christo Domino institutum, plerumque dicunt ipsum Baptismum esse Pœnitentiæ Sacramentum. Cum enim existiment sola fide hominem justificari per non imputationem peccatorum sive commissorum sive committendorum, et Baptismum habeant tanquam signaculum hujus justificationis et pignus divinarum promissionum credentibus factarum ; sufficit, juxta ipsos, in memoriam revocare Baptismum, ut excitetur illa fides qua condonantur seu non imputantur peccata ; atque eatenus dicunt Baptismum esse Sacramentum Pœnitentiæ.

Contrarium tradit Conc. Trid., sess. XIV, cap. 1, et ibid., can. 2, errorem novatorum condemnat. Igitur

Proba Pœnitentiam esse Sacramentum distinctum a Baptismo ejusve memoria.

Pœnitentia est Sacramentum distinctũ a Baptismo : probatur.

R. Probatur I. iis ipsis argumentis quibus N. præc. existentia Sacramenti Pœnitentiæ demonstrata fuit : talia enim sunt quæ probent Pœnitentiam esse Sacramentum speciale, adeoque a Baptismo distinctum, diverso tempore institutum et diverso ritu peragendum.

Prob. II. ex Patribus qui ea diserte distinguunt. Ita Tertull. *De Pœnit.*, cap. 7 : *Clausa,* inquit, *innocentiæ janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit* (Deus) *patere. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam.* Sic S. Augustinus, *De adulter. conjugiis,* lib. 2, cap. 16, de

peccato homicidii dicit: *Si a catechumeno factum est, Baptismate abluitur, et si a baptizato, Pœnitentia et reconciliatione sanatur.* Hinc passim Pœnitentiam vocant *laboriosum Baptisma* et *secundam post naufragium tabulam;* quam appellationem Lutherus graviter exprobrat S. Hieronymo, quasi ipse primus aut solus ea usus esset, cum apud Tertullianum, Ambrosium aliosque reperiatur.

Prob. III. præcipuas utriusque Sacramenti differentias assignando :

1.° Alia est eorum materia, alia forma.

2.° Minister Baptismi, quoad valorem, est omnis homo; Pœnitentiæ vero solus sacerdos pollens jurisdictione.

3.° Baptismus imprimit characterem, et nec licite nec valide iterari potest; neutrum obtinet in Sacramento Pœnitentiæ.

4.° Baptismus delet peccatum originale et omnia peccata commissa ante Baptismum; Sacramentum Pœnitentiæ abolet sola peccata commissa post Baptismum.

5.° In Baptismo datur gratia regenerativa, tribuens homini primum esse spirituale, delensque omnem culpam et pœnam, ita ut efficiatur nova prorsus creatura in Christo; ast in Sacramento Pœnitentiæ datur solum gratia sanativa, qua spiritualis fit sanatio animæ, sed ordinarie non tollitur omnis pœna temporalis, nisi magnis nostris fletibus et laboribus.

6.° Consequens inde est, quod in susceptione Baptismi non debeant imponi opera satisfactoria; bene vero in Sacramento Pœnitentiæ.

7.° Baptismus est omnibus necessarius ad salutem in re vel in voto, extra casum martyrii; Sacramentum Pœnitentiæ solis lapsis post Baptismum in peccatum mortale.

Obj. Apostolus, Eph. V, 26, omnem sanctificationem et purgationem peccatorum tribuit Baptismo; Patres similiter remissionem peccatorum uni Baptismo acceptam referunt, signanter S. Augustinus, qui *De nuptiis*, lib. 1, cap. 33, Baptismo dicit fieri, *ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Ergo Pœnitentia nihil est a Baptismo distinctum. Objicitur.

R. Dist. antec. Baptismo tribuitur remissio peccatorum tanquam remedio primo, cæteris subsidiis a Christo

institutis prærequisito, conc. ; tanquam remedio unico aut causæ proximæ et formali omnis justificationis, exclusis reliquis Sacramentis, nego. Ipse S. August., loco cit., hoc optime explicat, dicens : *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet ?*

N.° 27. De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84, art. 2.

Quænam est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

Materia remota sunt omnia et sola peccata commissa post Baptismũ ;

R. Sunt omnia et sola peccata commissa post Baptismum.

Dicitur 1.° *sunt peccata :* etenim materia alicujus Sacramenti est id circa quod versatur actio sacramentalis ; jamvero hæc actio in Sacramento Pœnitentiæ versatur circa peccata delenda, destruenda, et punienda ; ergo hæc sunt materia remota.

Attamen ex eo quod peccata sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, non sequitur ea dici posse partem Sacramenti ; quia peccata non sunt materia *ex qua* conficitur Sacramentum, sed tantum materia *circa quam,* ut destruendam, versatur; eo fere modo quo vulnera et morbi dicuntur materia artis medicæ.

Dicitur 2.° *commissa post Baptismum,* quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii ; Ecclesia autem non judicat de iis quæ extra Ecclesiam facta sunt, dicente Apostolo I Cor. V, 12 : *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare ?* Unde Concilium Tridentinum, sess. XIV , cap. I, declarat hoc Sacramentum fuisse institũtum *ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos.*

An susceptio Baptismi valida, sed peccaminosa, est materia Sacramenti Pœnitentiæ ?

etiam peccaminosa Baptismi susceptio.

R. Affirmative : licet enim peccatum istud committatur tempore simul cum susceptione Baptismi, est tamen natura posterius, cum sit Baptismi profanatio, ac valorem ejus non impediat, sed tantum aliquem effectum, scilicet gratiam.

Quomodo ille qui peccaminose suscepit Baptismum, obtinet remissionem peccatorum commissorum ante Baptismum, quandoquidem per illum non sint remissa, neque etiam remitti possint per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus materia non sunt?

R. Obtinet illam vi Sacramenti Baptismi, quod in ejus justificatione reviviscit, ut explicatur in tract. *De Baptismo*, N. 51, ubi etiam definitur quandonam materia confessionis sit affectus peccati mortalis, quem habuit suscipiens Baptismum.

Ex dictis deducuntur sequentia corollaria :

1.° Adultus, qui cum debita dispositione suscepit Baptismum, non potest sacramentaliter absolvi, nisi post Baptismum commiserit aliquod peccatum, saltem veniale, quia alias deest materia. Corollaria.

2.° Si quis ob dubium de valore Baptismi sub conditione rebaptizetur, debet peccata gravia post primum Baptismum commissa confiteri et ab eis absolvi sub conditione ; nisi bona fide illa jam fuerit confessus et ab eis absolutionem sacramentalem receperit.

Id quidem a nonnullis negatum fuit, sed res modo extra controversiam posita est per decisiones Romæ emanatas, ita ut illorum opinio non amplius ut probabilis haberi possit. Jam pridem Cong. S. Officii desuper ediderat decretum 17 Jun. 1715, illudque nuper confirmavit responso 17 Dec. 1868, juxta quod a neo-conversis in Anglia exigi debet confessio, eaque integra. Porro hoc responsum ubique obligare, S. Cong. de Propag. Fide Archiepiscopo Quebecensi rescripsit 12 Jul. 1869, uti refert P. Konings, *Theologia moralis S. Alphonsi in compendium reducta*, vol. I, pag. LX, ubi dictum responsum ex integro exhibetur.

Ordo autem naturalis in hoc casu est, adultum primum conditionate rebaptizare, deinde rite confessum absolvere sub conditione; et revera hujusmodi ordo indicatur in præfato decreto 17 Jun. 1715. Attamen, ut censent Konings, Bonal aliique, practice expedit, ad meliorem baptizandi dispositionem, confessionem præmitti Baptismo, absolutionem autem immediate post Baptismum conferri.

3.° Pueris ante usum rationis et perpetuo amentibus

Sacramentum Pœnitentiæ administrari non potest, quandoquidem peccare non potuerint.

4.° Illi qui non confitentur nisi defectus quosdam naturales vel meras tentationes, v. g. quod senserint inclinationes ad iram, vel in adversis habuerint tristitiam; vel quod habuerint distractiones involuntarias, cogitationes pravas incidentes, etc., non adferunt materiam pro Sacramento, adeoque absolvi non possunt, nisi addant materiam certam ex præteritis peccatis. Utiliter tamen aliquando et illi defectus declarantur consilii petendi causa, cumque facile aliqua venialis culpa iis irrepat, confessarius non debet impedire, ne pœnitentes illos exponant, dummodo illis diutius non immorentur, nec scrupulis obviandum sit vel simili malo.

N.° 28. De divisione materiæ remotæ in necessariam et liberam.

Materia remota est necessaria,

Materia remota hujus Sacramenti est duplex : alia scilicet necessaria, alia libera et sufficiens.

Materia *necessaria* dicitur, non quæ sit necessario ad valorem Sacramenti requisita, sed quæ, si detur, ex positiva Christi Domini voluntate judicio sacerdotis subjici debet, ut super ea absolutio sacramentalis percipiatur.

aut libera.

Materia *libera* et *sufficiens* illa est, quæ non debet, sed potest subjici absolutioni sacramentali, et pro valida et licita Sacramenti collatione sufficit.

Quænam peccata sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ ?

Quæ peccata sint materia necessaria,

R. Omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, quæ necdum in confessione exposita et per subsequentem absolutionem directe remissa fuerunt.

Etenim, ex dicendis N. 36, Sacramentum Pœnitentiæ omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis ad salutem necessarium est ; ergo peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia necessaria illius Sacramenti. Unde Concilium Tridentinum, sess. XIV, can. 7, definit *in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium esse, jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia.*

Hinc conclude, quod peccatum mortale jam remissum possit adhuc esse materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ; scilicet, si nondum fuerit in confessione expositum, aut non directe per absolutionem remissum. Id vero accidit : 1.° dum remissum fuit per contritionem perfectam ; 2.° dum remissum fuit per Sacramentum vivorum bona fide susceptum cum contritione imperfecta ; 3.° dum ex oblivione vel alia causa inculpabiliter in confessione omissum, indirecte remissum fuit per subsequentem absolutionem. Hinc ab Alexandro VII damnata fuit sequens propositio, numero 11ª : *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Quæ peccata sunt materia libera et sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ ?

R. Peccata venialia, necnon peccata jam confessa et per absolutionem directe remissa sive mortalia sive venialia. quæ libera.

Ostende peccata venialia esse materiam liberam et sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Sunt materia libera, quia non datur præceptum ea confitendi; unde *taceri citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt,* prout docet Conc. Trid., sess. XIV, cap. V. Cfr. N. 11. Sunt materia sufficiens, quia vere sunt peccata, et Christus generatim dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc., non restringendo hanc potestatem ad sola mortalia.

Ostende peccata jam directe per Sacramentum Pœnitentiæ remissa esse ejusdem materiam liberam et sufficientem.

R. Sunt materia libera, quia non datur præceptum ea iterum confitendi, etiamsi sint mortalia, cum peccata semel deleta non amplius redeant, adeoque absolutione non egeant. Sunt materia sufficiens, quia de iis vere dici potest, quod sint peccata post Baptismum commissa, et de iisdem vera contritio elici, debita confessio institui, adeoque valida absolutio dari ac percipi potest.

Obj. 1.° Forma absolutionis prolata super peccato remisso videtur falsa ; nam sicut falso quis diceret : *Absolvo te a vinculis corporalibus,* illi qui jam ab iis

Objectiones.

solutus est, sic falso dicitur : *Ego te absolvo a peccatis tuis,* illi qui jam a peccatis absolutus est.

R. Neg. cons. et parit. Disparitas est, quod solutio a vinculis corporalibus habeat terminum mere negativum ; sed absolutio sacramentalis habet terminum positivum, scilicet gratiam remissivam peccatorum ; sensus enim formæ est : *Confero tibi gratiam de se remissivam peccatorum tuorum ;* cujus veritas subsistit, quamvis peccata ante remissa fuerint.

Obj. 2.° Hostia semel consecrata non est materia sufficiens secundæ consecrationis ; ergo a pari peccatum remissum per absolutionem sacramentalem non est materia secundæ absolutionis.

R. Neg. paritat. Disparitas est, quod in hostia consecrata non maneat panis, adeoque deficiat materia consecrationis ; sed peccatum remissum manet objectum novæ contritionis, confessionis et absolutionis, quæ sunt materia proxima et forma Sacramenti : sic in eadem aqua plures licet baptizare, adhibita nova ablutione.

Caute observandum, quod licet super iisdem peccatis absolutio sæpius proferri possit, non possit tamen proferri sæpius super iisdem actibus contritionis et confessionis, nullo modo renovatis : nam materia proxima unius Sacramenti non est materia proxima sequentis Sacramenti ; sed sicut duo illa Sacramenta numero inter se differunt, sic materiæ proximæ debent inter se numero distingui. Ita practice tenendum concludit etiam La Croix, lib. 6, p. 2, n. 712, licet speculative probabilius putet, eumdem dolorem physice præteritum posse sufficere pro pluribus absolutionibus.

Monitum practicum.

Hinc conclude, quod adultus, qui christiane vixit, incidens in amentiam plenam et continuam non possit nisi semel absolvi tempore istius amentiæ ; quamvis possit sæpius in diversis morbis suscipere Sacramentum Extremæ Unctionis ; nam pro hoc Sacramento non requiritur nova contritio.

Ita etiam ille qui incidit in delirium ex morbo, vel in deliquium animi, et omnino destitutus est usu rationis, non potest nisi semel absolvi, quamdiu constat eumdem illum statum continuari.

Ob eamdem rationem, dum pœnitens legitime absolutus aperit peccatum mortale per inadvertentiam omissum, confessarius, saltem pro tutiori, debet eum inducere ad novum contritionis actum super isto peccato et ad ejusdem novam confessionem, ut ex illis cum nova absolutione novum conficiatur Sacramentum. Cfr. S. Alphonsus, n. 448.

N.° 29. De confessione et absolutione peccatorum venialium et peccatorum jam directe remissorum per Sacramentum Pœnitentiæ.

Errores novatorũ circa confessionem venialiũ.

Prænotandum. Lutherus, qui confessionem peccatorum mortalium aliquando laudat, aliquando carpit, acrius invehitur contra usum confitendi peccata venialia. Unde hæc ejus propositio 8ª damnata legitur in Bulla Leonis X contra ipsum : *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia.... In primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.* Eumdem errorem proscripsit Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, docens, quod peccata venialia *recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat.* Dein, can. 7, anathemate ferit illos, qui dicunt, *non licere confiteri peccata venialia.*

Nihilominus Jansenistæ, duce Sancyrano, adhuc postea insurrexerunt in usum confitendi peccata venialia. His suffragatur Synodus Pistoriensis frequentem venialium confessionem carpens, quam optare se ait, *non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones.* Hæc vero declaratio illius Synodi a Pio VI in bulla *Auctorem fidei,* n. 39, proscribitur, ut *temeraria, perniciosa, sanctorum et piorum praxi a S. Conc. Trid. probatæ contraria.* Hinc

Quæritur I. *Unde probas licitam ac utilem esse confessionem peccatorum venialium ?*

Licita et utilis est confessio venialium.

R. Probatur 1.° ex verbis institutionis Sacramenti Pœnitentiæ : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc. Christus enim potestatem tribuens remittendi peccata, nec gravia, nec levia excipit. Unde eadem ratione, qua supra inde probatum fuit, peccata venialia ex institutione Christi esse materiam Sacramenti sufficientem,

quamvis liberam, infertur, sacramentali absolutioni ea subjici posse, et quidem utiliter, quum sic plenior eorum remissio obtineatur et abundantior gratia ad ea præcavenda. Imo aliqualis necessitas hoc exigit, quatenus in plurimis casibus vix possibile est fidelibus discernere utrum peccata sua lethalia sint an venialia.

Prob. 2.° ex traditione, cujus testis est vel ipse Tertullianus, qui, cum jam ad Montanum defecisset et negaret Ecclesiam habere potestatem dimittendi graviora delicta, equidem agnovit eam posse leviora dimittere ; in lib. *De pudicitia,* cap. 19, plura hujusmodi venialia recenset. Hanc eamdem potestatem apertis verbis agnoscunt S. Cyprianus et S. Augustinus citati apud Perrone. Ergo licite et utiliter fideles ea tribunali Ecclesiæ deferunt dimittenda.

Prob. 3.° ex generali praxi venialia confitendi, quæ in Ecclesia tam græca quam latina antiquitus obtinuit, ut plurimis documentis probant Morinus, Mabillonius, aliique ; quam proinde praxim merito laudat Conc. Trid., loco supra citato.

Quæritur II. *An expedit peccata jam debite in confessione exposita et per subsequentem absolutionem directe remissa iterato confiteri ?*

Per se expedit iterata confessio peccati jam directe vi clavium remissi.

R. 1.° *Per se* id expedit ob bona inde provenientia ; etenim iterata contritione et confessione animus ab istis peccatis magis elongatur; per iteratam absolutionem plenior remissio pœnæ obtinetur, ac pœnitens magis contra relapsum roboratur. Consonat S. Thom., *Suppl.*, quæst. 18, art. 2, ad 4.

R. 2.° *Per accidens* non expedit illa peccata iterato confiteri ; ut si inde timendi sint conscientiæ scrupuli, vel novæ tentationum occasiones, vel neglectus circa correctionem præsentium peccatorum.

Opportunitas confitendi aliquod peccatum ex præterita vita pro certiori materia Sacramenti frequens occurrit, dum pœnitens hic et nunc absolvendus non confitetur nisi peccata dubia, seu de quibus merito dubitatur an peccatum intervenerit; ut sæpius accidit in cogitationibus contra castitatem et fidem, in suspicionibus, in ira contra pueros delinquentes, in peccatis alienis, etc.

Convenit autem ut in hoc casu simplicioribus ipse

confessarius suggerat aliquod peccatum confitendum, præsertim ex magis obviis et communibus, et curam habeat ut pœnitens de illo contritionem eliciat.

Recte etiam agunt et valori Sacramenti consulunt, qui dum sola venialia habent confitenda de quibus dubitant an satis doleant, adjiciunt peccatum anteactæ vitæ de quo confidunt se vere dolere.

Quæritur III. *An convenit singulis vicibus absolvere eos, qui confitentur aliquod peccatum præteritæ vitæ, de quo vere dolent?*

Per se etiam convenit pœnitentem de eo absolvere.

R. 1.° *Per se* affirmative; quia adsunt omnia requisita ad validam et fructuosam susceptionem Sacramenti; ideo qui curam salutis et perfectionis habent, beneficio absolutionis donandi sunt, quoties ita confitentur.

2.° *Per accidens* vero confessarius, tanquam medicus, absolutionem ita confitentibus differre potest, dum notabile bonum inde speratur, v.g., si videatur esse medium aptum excitandi zelum pœnitentis non satis solliciti de vitæ emendatione. Sed ut finis ille obtineatur, instrui debet pœnitens de motivo dilationis.

Quæritur IV. *An convenit eos, qui non nisi venialia confitentur, singulis vicibus absolvere?*

Item illos qui sola venialia confitentur.

R. 1.° *Per se* convenit, quia sic vi Sacramenti recipiunt augmentum gratiæ habitualis, et gratias etiam actuales, quæ ad profectum eorum spiritualem multum conducunt. Imo qui cum debita contritione illa confitentur, non nisi ex justa causa beneficio absolutionis privari debent.

2.° *Per accidens* vero non convenit eos absolvere, ut si de debita dispositione seu contritione fundate dubitetur, vel alia adsit ratio absolutionem differendi.

Ad discernendum utrum pœnitens, qui non nisi venialia confitetur, dispositus sit ad absolutionem percipiendam, variæ statui possunt classes peccantium venialiter.

Tres classes peccantium venialiter.

Prima classis est eorum qui non peccant nisi ex surreptione aut imperfecta deliberatione, et simul ac advertunt, de commissis dolent et diligentius ea cavere proponunt. Hi, licet sæpe relabantur, absolvi possunt, quoties confitentur, cum certe sufficienter sint dispositi.

Secunda classis est eorum qui deliberate quidem venialia committunt, sed ex infirmitate quadam humana,

et non ex consuetudine voluntaria aut habituali affectu. De his etiam facile concesserim, ait Du Jardin, in opusculo *De officio sacerdotis*, etc., quod frequens relapsus, maxime ubi quædam remedia adhibentur, et sincerus conatus, non sint signum inefficacis propositi ; unde similiter absolvi possunt.

Tertia classis est eorum qui venialia committere solent ex habituali adhæsione, vel ex consuetudine non satis retractata, et de emendatione non sunt solliciti. Hi ab istis venialibus absolvi non possunt, cum metuendum sit ne debita careant contritione Hinc observandum, quod de absolutione recidivorum in peccata venialia monet S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 71 : « Diligenter satagat confessarius ad non absolvendos indistincte tales pœnitentes; tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, tamen non poterit a sacrilegio excusari, absolutionem impertiendo eis qui ad absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea curet, si pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero), ut habeat materiam certam super qua inniti possit absolutio : alioquin etiam huic pœnitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio. »

Imo non semper expedit hujusmodi pœnitentes absolvere super peccatis anteactæ vitæ, ut præcedente quæstione notatum fuit. Sic absolutio differenda videbitur aliquando iis, qui frequenter ac voluntate plene deliberata, et quasi sine sensu vel ex consuetudine inveterata, venialia committunt, et cum parva præparatione ad confessionem accedunt; quandoquidem hi non raro versantur in periculo incidendi in graviora peccata, juxta verba Eccli. XIX : *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et ideo differenda erit absolutio , quoties videbitur esse medium aptum ad excitandum pœnitentium istorum vigilantiam et fervorem, nisi tamen potior aliqua ratio suadeat absolutionem hic et nunc impertiendam, ut si suspiceris pœnitentem latentis peccati mortalis reum esse, et festi solemnitas v.g. ad Eucharistiam sumendam invitet.

Interim ad temperandam formidinem absolvendi a venialibus, observa quod possit haberi contritio de uno veniali quin habeatur de alio; quod, attenta communi fragilitate naturæ corruptæ, facile recidamus in venialia post pœnitentiam; quod sufficiat propositum non committendi venialia ejusdem speciei et conditionis; quod dolor non debeat esse tantus nec propositum adeo firmum et efficax ac pro contritione de mortalibus. Cfr. supra N. 10.

Quæritur V. *An licet confiteri peccata venialia, de quibus vera contritio non habetur?*

An licet venialia confiteri sine contritione.

R. Non licet venialia illa confiteri ex intentione subjiciendi illa absolutioni sacramentali : et siquidem quis simul non confiteatur aliud peccatum, de quo vere doleat, graviter peccat, quia Sacramentum frustrat valore et effectu suo. Si vero simul aliud peccatum confiteatur cum debita contritione, relinquens cætera judicio confessarii, non videtur peccaturus ; quia aliam materiam certam absolutionis subministrat, nec censetur ejus intentio esse ut absolvatur a peccatis de quibus non dolet. Confessarius autem, quum absolvere non possit ab illis peccatis sine contritione expositis, intentionem non habet absolvendi nisi ab iis quæ cum debita contritione subjiciuntur potestati clavium.

Cæterum illa peccata recte exponuntur confessario ob alias causas, puta humilitatis aut instructionis gratia, vel ut confessarius cognoscat statum pœnitentis et judicet utrum venialia illa non disponant ad mortale, vel an frequentiorem Eucharistiæ usum compatiantur.

N.° 30. De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84 et 90.

Error Lutheri.

Prænotandum. Lutherani, qui hoc Sacramentum retinent, assignant pro ejus materia duas Pœnitentiæ partes, scilicet terrores conscientiæ ex agnito peccato atque minis legis incussos, quos vocant contritionem, et fidem seu fiduciam ex Evangelio vel absolutione conceptam, qua quis credit peccata sibi per Christum esse remissa.

Hunc errorem damnavit, et catholicum dogma simul definivit Conc. Trid., sess. XIV, can. 4, qui habetur in limine tractatus. Similiter cap. III ejusdem sess., docet tres actus pœnitentis ex institutione divina requiri ad integritatem Sacramenti : *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio : qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Hinc conveniunt theologi catholici tres actus pœnitentis ad integritatem Sacramenti requiri. Non tamen omnes admittunt hos actus esse proprio sensu Sacramenti materiam proximam, seu partes materiales ex quibus intrinsece componitur, uti patebit ex responsione ad quæstionem sequentem.

Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

Sententiæ theologorum.

R. Durandus docet totam materiam proximam hujus Sacramenti consistere in confessione pœnitentis, contritionem vero esse dispositionem et satisfactionem esse fructum pœnitentiæ.

Juxta Scotum ejusque discipulos, qui totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in sola absolutione sacerdotis reponunt, materia proxima alia non est quam ipsa absolutio, ita ut hujus verba sub diverso respectu habeant rationem materiæ simul et formæ. Quocirca Maldonatus, qui hic Scotistis consentit, dicit : absolutio, quatenus est externa quædam cæremonia, est materia; quatenus vero habet vim significandi, est forma. Unde, in hac sententia, tres actus pœnitentis non sunt partes intrinsece constituentes Sacramentum, sed dumtaxat dispositiones seu conditiones ad ejus effectum percipiendum necessario et insupplebiliter requisitæ, et hac ratione dicuntur quasi materia hujus Sacramenti.

Sed communis sententia cum S. Thoma, quæst. 84, art. 2, tenet, tres actus pœnitentis, videlicet *contritionem, confessionem* et *satisfactionem*, esse materiam proximam Sacramenti, illiusque partes intrinsecas, utpote constituentes simul cum verbis absolutionis unum totum sacramentale, et ad effectus sacramentales ex opere operato producendum concurrentes.

Aliqui docuerunt impositionem manus sacerdotis esse materiam saltem partialem hujus Sacramenti; sed hæc sententia est antiquata. Licet enim iste ritus olim observatus, et etiamnum in Ritualibus præscriptus, omnino adhiberi debeat, mere tamen cæremonialis est et nequaquam ad essentiam Sacramenti pertinens, cum nec Scriptura sacra de hoc Sacramento loquens illum indicet, nec Conc. Flor. et Trid., ubi de partibus Pœnitentiæ tractant, illum quidem commemorent. Igitur

Proba tres actus pœnitentis esse materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Probatur 1.° ex Conc. Flor. et Trid. Prius dicit : *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis;* Trid. vero, locis citatis, docet tres actus pœnitentis esse *quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur.* Tres actus pœnitentis sunt materia proxima. Probatur.

Quamvis autem Concilia ista non intenderint dirimere controversias in scholis agitatas, ex iis tamen quæ tradiderunt, colligi potest, quis fuerit Patrum sensus, et quæ verior sententia ac definitis dogmatibus conformior sit. Etenim 1.° docet Flor. omnia Sacramenta N. L. tribus perfici : *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri,* etc. Jamvero Pœnitentiæ ministrum et formam clare designat, et actus pœnitentis *quasi materiam* vocat, uti post ipsum eos vocat Tridentinum ; nec quidquam aliud assignant, quod materiæ vices tenere possit.

Neque objici potest, tres actus dici *quasi materiam* et non simpliciter *materiam*. Nam prout *De Pœnit. Sacram.*, n. 17, loquitur Catechismus Romanus, cujus auctores Conc. Trid. interfuerunt : *Hi actus quasi materia a sancta Synodo non appellantur, quia veræ materiæ rationem non habent ; sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo.* Deinde, ut observat Billuart, S. Thomas, *Opusc. 5,* e quo Concilium Flor. suum decretum deprompsit, particulam *quasi* usurpat, et tamen nemo negat S. Thomam habere actus pœnitentis pro vera et essentiali materia Sacramenti.

2.° Dicuntur hi tres actus a Concilio Trid. *partes Pœnitentiæ,* id est, Sacramenti Pœnitentiæ, ut liquet ex

contextu ; porro partes sunt, quæ simul totum constituunt. Meræ autem dispositiones seu conditiones ad effectum Sacramenti percipiendum requisitæ, ut v. g. fides, spes, etc., in Baptismo, non dicuntur Sacramenti partes. Ergo intelliguntur hic partes intrinsecæ , seu materia proxima.

Prob. 2.° ratione theologica. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum actus judicialis, ut antea dictum fuit. Atqui actus judicialis non constat sola sententia judicis, sed simul accusatione, defensione et satisfactione rei ; ergo a pari Sacramentum non constat sola absolutione sacerdotis, sed simul contritione, confessione et satisfactione pœnitentis , quæ simul cum absolutione perficiunt judicium sacramentale et reconciliationem peccatoris cum Deo.

Interim cum Conc. Trid., cap. III cit., et S. Thoma, q. 86, art. 6, profitemur, vim Sacramenti præcipue sitam esse in forma seu verbis absolutionis, ipsique adeo maxime tribuendum esse effectum Sacramenti sive remissionem peccatorum, ut constat etiam verbis ipsius Christi : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sed eo ipso quod Concilium dicit vim Sacramenti *præcipue* sitam esse in forma, satis innuit etiam vim aliquam in cæteris partibus agnoscendam esse.

Objicitur. Obj. 1.° Trid., sess. XIV, cap. IV, docet contritionem esse dispositionem ad Sacramentum cum fructu suscipiendum ; ergo non est pars intrinseca illius.

R. Dist. antec. Est dispositio ad Sacramentum cum fructu suscipiendum , prout spectatur in pœnitente sese præparante ad Sacramentum et antequam a ministro assumatur in materiam Sacramenti, conc.; prout spectatur ut assumpta a ministro in materiam Sacramenti et absolutioni conjuncta, neg.; sic enim non est mera dispositio, sed materia Sacramenti.

Inst. Contritio non est sensibilis, quandoquidem sit actus internus ; ergo non potest esse pars Sacramenti, quod est signum sensibile.

R. Neg. antec. Contritio enim fit sensibilis per confessionem et alia signa quibus manifestatur : non autem requiritur ut omnes Sacramenti partes sint sensibiles per se.

Obj. 2.° Qui materiam alicujus Sacramenti suppeditat, minister est saltem partialis Sacramenti : atqui, si tres actus pœnitentis sint Pœnitentiæ materia , hæc suppeditaretur a pœnitente ; ergo is saltem partialis esset minister Sacramenti.

R. Neg. maj. Nam is solus est minister, qui formam applicat materiæ, eamque evehit ad esse sacramentale. Sic in sententia juxta quam contactus instrumentorum est materia Ordinis , ipse tamen ordinandus non est dicendus Sacramenti minister, sed solus Episcopus ordinans.

Quomodo dividuntur illæ tres partes materiales inter se ? Materia proxima distinguitur in essentialem et integralem.

R. In *essentiales* duas et *integralem* unam. Contritio et confessio sunt partes *essentiales ;* quia sine illis Sacramentum non subsistit, sive non est validum. Satisfactio est pars *integralis,* non essentialis ; nam sine ea Sacramentum non est integrum seu omnino perfectum, sed tamen validum ; unde ex hac parte nil obstat, quominus absolvi possunt moribundi incapaces operis satisfactorii explendi.

An satisfactio aliquo sensu dici potest Sacramento essentialis ?

R. Affirmative ; nimirum *in proposito* seu *in præparatione animi,* in quantum pœnitens habere debet voluntatem satisfaciendi Deo, et implendi pœnitentiam a confessario injungendam, nec potest velle Sacramentum mutilare sua parte integrali. Cfr. quæ de peccato omissionis satisfactionis proprio loco sunt dicenda.

Itaque, dum pœnitens confitetur, quod omiserit satisfactionem a confessario sibi impositam, interdum interrogari debet, utrum tempore absolutionis habuerit propositum eam adimplendi : nam forte defectu talis propositi saltem impliciti, et consequenter contritionis, sacrilege absolutionem recepit, et Sacramentum fuit invalidum, adeoque confessionem repetere debet et insuper se accusare de sacrilegio commisso.

N.° 31. De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84, art. 3.

Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Forma Pœnitentiæ

R. Forma sunt verba absolutionis quæ in Rituali Rom. præscribuntur sequentia : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

legitima probatur.

Formam hanc esse legitimam, constat : 1.° Ex usu et doctrina Ecclesiæ latinæ, quæ hanc formam ubique adhibet et adhibendam præscribit.

2.° Ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. III, docente : *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : Ego te absolvo,* etc. Idem docet Conc. Flor.

3.° Confirmatur argumento atque verbis S. Thomæ, quæst. 84, art. 3 : *Oportet quod forma Sacramenti significet id quod in Sacramento agitur, proportionaliter materiæ Sacramenti..... Hoc autem Sacramentum, scilicet Pœnitentiæ, non consistit in consecratione alicujus materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione materiæ cujusdam, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia Pœnitentiæ. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur :* Ego te absolvo; *nam peccata sunt quædam vincula.*

Accedit quod ipse Salvator hanc formam indicare videtur Matth. XVI, 19, dicens : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

Quænam in forma absolutionis sunt essentialia?

Quæ verba sint essentialia.

R. Essentialia sunt verba : *te absolvo ;* essentialis quidem est vox *te,* vel æquivalens, quia necessario exprimi debet subjectum cui Sacramentum confertur ; essentialis quoque est vox *absolvo,* vel æquivalens, quia sine ea actus judicialis et effectus Sacramenti non exprimeretur.

Pronomen *ego* non est essentiale, quia continetur in verbo *absolvo.*

Quoad voces : *a peccatis tuis,* disputant auctores. Wiggers cum aliis putat esse essentiales ; sed probabilius negant Sylvius, Steyaert, aliique : ratio est, quod verba :

te absolvo, satis significent actionem sacramentalem ejusque effectus, ut patet in forma Baptismi, ubi verba : *a peccatis*, non exprimuntur.

Essentialia etiam non sunt : *in nomine Patris*, etc., ut communiter docent contra paucos ; quia, ut dicit S. Thomas, loco cit., ad 3, *hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo*. Quia tamen sacerdos absolvit tanquam minister Dei, *convenienter*, ait idem S. Doctor, *apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei*.

Interim, juxta ea quæ in tract. *De Sacram. in gen.*, N. 48, tradita sunt, nullum verbum formæ omittere licet, sed omnia clare et distincte pronuntianda sunt. Et quidem graviter peccaret, qui omitteret verba : *a peccatis tuis*, quia, ob probabilitatem sententiæ quæ dicit illa esse essentialia, forte Sacramentum redderetur nullum.

An verba absolutionis debent voce exprimi ?

R. Debent necessario voce exprimi, nec unquam scripto aut nutibus absolutio dari potest. Verum quidem est quod in foro civili reus scripto vel etiam nutu absolvi possit ; sed non ita est de absolutione sacramentali, cum Christus aliter voluerit, ut constat ex perpetuo usu Ecclesiæ, quæ semper formam verbalem requisivit. Debent voce exprimi.

N.° 32. De sensu formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84, art. 3.

Nota 1.° Magister Sententiarum, lib. IV, dist. 18, et cum ipso aliqui veteres theologi docuerunt, peccata remitti tantum a Deo per cordis contritionem cum voto Sacramenti conjunctam, per verba autem absolutionis solum ostendi pœnitentem a peccatis solutum esse. Quia, ut ait Magister, loco cit., cap. 6, etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur nisi per judicium sacerdotis. Unde juxta ipsos sensus absolutionis sacramentalis esset : *Ego te absolutum ostendo*. Erroneæ sententiæ circa sensum formæ.

Nota 2.° Novatores sæculi XVI ulterius progressi docuerunt, sacerdotes nequidem exercere actum judicialem, sed *nudum ministerium declarandi peccata esse*

remissa : peccata autem remitti per solam fidem et non vi Sacramenti aut ejus voti.

Nota 3.° Baius docuit peccatorem pœnitentem non vivificari ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, et absolutione sacerdotis tolli solum reatum pœnarum ; adeo ut juxta ipsum sensus formæ sit : *Absolvo te a pœnis peccatorum.* Contra hos errores

Proba sensum formæ Sacramenti Pœnitentiæ non esse : Ego te ostendo, *vel :* ego te declaro absolutum a peccatis.

Sensus non est : *Ostendo te absolutum,*

R. Probatur 1.° Verba formæ sunt in naturali et obvio sensu accipienda ; atqui sic accepta non significant : *Ostendo,* vel *declaro te absolutum.* Imo si hoc tantum significarent, forma non esset simpliciter vera.

Confirmatur ex verbis Christi hoc Sacramentum promittentis et Petrum alloquentis, Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum..... quodcunque solveris,* etc.; tum ex verbis institutionis, Joan. XX, 22 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Etenim claves dantur ut ostium aperiatur, non vero ut declaretur apertum ; et *remittere* peccata, est remittere et non tantum declarare remissa.

Unde recte Richardus Victorinus, Magistri coætaneus, in lib. *De potestate ligandi et solvendi,* cap. 12, scribit: « Exstat quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius quam refellenda : putant enim, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dixit : *Quodcunque ligatum ostenderis, erit ligatum, et quodcunque solutum ostenderis, erit solutum ?* Dicunt, apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere ; dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat. »

Prob. 2.° ex Patribus, inter quos S. Joan. Chrysost., *De sacerd.,* lib. 3, cap. 6, ubi cum sacerdotibus veteris Legis comparans sacerdotes novæ Legis animadvertit, istis datum fuisse, non lepram purgare, sed tantum purgatos probare. *Hi vero,* addit, *non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non dico purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.*

Prob. 3.° auctoritate Concilii Trid., quod sess. XIV, cap. VI, docet, absolutionem sacerdotis non esse solum *nudum ministerium declarandi remissa esse peccata ;* et can. 9, anathemate ferit illos qui contrarium dixerint. Quamvis autem Concilium hic solum intendat damnare sententiam Lutheri, non vero illam Magistri, certum tamen est, ait Liebermann, hanc cum doctrina catholica, quam Synodus tam dilucide exposuit, non cohærere. Quapropter ab omnibus nunc tanquam erronea et temeraria rejicitur.

Proba sensum formæ non esse : Absolvo te a pœnis peccatorum.

R. Probatur iterum tum ex ipsis verbis formæ, tum ex verbis institutionis : *Quorum remiseritis peccata,* etc., ubi vox *peccata* in sensu naturali et obvio significat ipsa peccata, non vero solas pœnas pro peccatis debitas. nec : *Absolvo te a pœnis.*

Confirmatur ex condemnatione propositionum Baianarum, quarum 58ª sic sonat : *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo qui pœnitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat ; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur,* id est, obligatio ad pœnam, ut patet ex prop. 56ª.

Quis igitur genuinus est sensus formæ absolutionis : Ego te absolvo a peccatis tuis, *etc. ?*

R. Sensus *grammaticalis* est : *Remitto* vel *condono tibi peccata tua.* Sed cum primarius effectus Sacramenti sit infusio gratiæ, cui conjuncta est remissio peccatorum, et Sacramentum Pœnitentiæ etiam suscipi possit ab illis qui nulli amplius peccato obnoxii sunt, ideo plures theologi dicunt, sensum *sacramentalem* esse : *Ego tibi confero gratiam de se remissivam peccatorum.* S. Thomas, loco cit., ad 5, tradit hunc sensum : *Sacramentum absolutionis tibi impendo.* Verus sensus.

Nota, quod confessarius de sensu formæ sollicitus esse non debeat ; nam eo ipso quod intendit facere quod facit Ecclesia, genuinum sensum intendit.

An valida est hæc forma : Remitto tibi peccata tua, *vel :* Condono tibi peccata tua *?*

R. Affirmative ; quia essentialiter non differt a forma legitima : illicitum tamen est eam adhibere ob dicta *De Sacram. in gen.,* N. 48.

N.° 33. De forma deprecativa.

Nota. Forma absolutionis modo indicativo enuntiata, qualis est forma Latinorum : *Ego te absolvo,* etc., *indicativa,* vel *absoluta* dicitur. *Deprecativa* vocatur, quæ profertur per modum orationis, ut si dicatur : *Quæsumus, Domine, absolve,* etc.

Tertius insuper modus enuntiandi formam distingui potest, *imperativus* nimirum, ut si diceretur : *Sis absolutus.* Sed hic modus, quoad sensum saltem, ad indicativum aut deprecativum videtur reducendus ; quare de ejus valore specialis non movetur difficultas diversa ab ea quæ concernit formam deprecativam.

An forma deprecativa in usu fuerit apud Latinos aut Græcos.

De forma autem *deprecativa* duplex quæstio moveri solet, altera facti, altera juris. Quæstio facti est, an Ecclesia latina olim hac forma usa fuerit, aut eadem etiamnum utatur Ecclesia græca ; quæstio juris est, an forma hæc sit valida.

Circa primam quæstionem, Morinus in tract. *De Pœnitentia,* lib. 8, probare nititur multis prolatis ex antiquitate documentis, usque ad sæculum XII, formam ordinariam absolutionis fuisse deprecativam, tum in Ecclesia latina, tum in græca ; sæculo vero XII, formam indicativam deprecativæ accessisse apud Latinos, donec tandem adulto sæculo XIII, sola in Occidente prævaluit ; in Ecclesia vero græca formam deprecativam semper fuisse servatam.

Hanc Morini sententiam, quam aliis præterea documentis ex Martenio productis confirmari putant, plerique sequuntur recentiores : Tournely, Vuitasse, etc., atque Perrone de ea ex certissimis documentis constare pronuntiat.

Alii e contra, ut Billuart, Collet, etc., istis momentis non moventur, ut concedant formam deprecativam aliquando universaliter in Ecclesia adhibitam fuisse ; quod similiter non concedebat S. Thomas auctori anonymo, contra quem scripsit *Opusc.* suum *22,* alias *5,* asserenti : *Vix triginta anni sunt, quod omnes hac sola forma* (deprecativa utique) *uterentur. Sed,* respondet S. Doctor, cit. *Opusc.,* cap. 5, *quomodo de omnibus potest*

testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Imo auctores citati, in ipsis antiquis documentis quæ opponuntur, formam aliquam indicativam deprehendunt, ut in Ordine Romano, in Sacramentario Gregoriano, in Rhemensi, in Anglicano, etc. Iidem contendunt cum Goario et Arcudio, apud Græcos quoque, et signanter apud Russos, formam quamdam indicativam in usu esse.

Hanc controversiam dirimere hic non aggredimur ; sed circa quæstionem juris jam quæritur :

An valida est forma deprecativa ?

An sit valida.

R. Non convenit inter auctores :

Alii simpliciter negant, ut S. Thomas, q. 84, art. 3, ad 1, Suarez, Billuart, etc.

Alii e contra affirmant. Sic qui hanc formam olim viguisse in universali Ecclesia autumant, eam saltem ab Ecclesia posse præscribi et in eo casu certo valere contendunt. Plerique tamen ex ipsis agnoscunt formam mere deprecativam non amplius sufficere apud Latinos, postquam Ecclesia formam indicativam determinavit et adhibendam a Latinis præscripsit.

Alii tandem controversiam quodammodo componere nituntur : formam deprecativam in sensu mere deprecativo prolatam non sufficere dicunt ; secus vero, accedente saltem Ecclesiæ sanctione, si forma, licet modo deprecativo prolata, ex circumstantiis sensum vere enuntiativum et judicialem habeat. Hinc valere formam deprecativam Græcorum post Arcudium defendit ipse Billuart. « Quia, inquit, attentis circumstantiis tribunalis et personæ a qua et in quam profertur absolutio, item attento quod potestatis sibi concessæ mentionem prius faciant per hæc verba : *Quæcunque solveritis,* etc., vel per ista : *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc :* his, inquam, attentis, dum dicunt : *Absolve hunc,* intendunt applicare virtutem et actionem principalis agentis, et sensus est : Absolve hunc per me, vel per ministerium meum. »

Circa formam deprecativam Græcorum nota, quod, licet ab Ecclesia Romana nunquam directe improbata fuerit, Clemens VIII tamen, in *Instructione super aliquibus ritibus Græcorum, pro Episcopis latinis in quorum diœcesibus Græci degunt,* data anno 1595, statuerit, ut

sacerdotes græci, dum in casu necessitatis absolvunt Latinum, *utantur forma absolutionis in generali Concilio Flor. præscripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.*

N.° 34. De forma conditionata.

Recolendum est ex tract. *De Sacram. in genere,* N. 42, triplicis generis conditiones distingui, scilicet *de præterito, de præsenti* et *de futuro*. Ex dictis ibidem constat, nunquam conditionem de futuro, v. g. si cras restitues, formæ Pœnitentiæ adjici posse, quum Sacramentum redderet invalidum, sed quæritur :

An licet formæ Sacramenti Pœnitentiæ adjicere conditionem de præterito vel de præsenti ?

Forma conditionalis per se non est licita,

R. 1.° Per se non licet, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ ordinarie, et nisi specialis adsit causa, vult Sacramenta absolute conferri, ita quidem, ait Lacroix, n. 1769, ut confessarius ordinarie absque justa causa sub conditione absolvens, secundum Castrop. et Stoz peccet mortaliter.

sed per accidens,

2.° Per accidens id licet, quando nempe adest necessitas vel justa causa Sacramentum ita administrandi, ut hac ratione aliquatenus consulatur reverentiæ Sacramenti dubie valituri.

Generatim vero, ut justa causa censeatur adesse, requiritur ut ab una parte ex defectu absolutionis notabile detrimentum animæ pœnitentis immineat, et ab altera parte fundatum dubium adsit de subsistentia alicujus ex requisitis ad valorem Sacramenti.

Quinam sunt casus in quibus adest justa causa addendi conditionem formæ Sacramenti Pœnitentiæ ?

R. Communiter assignantur sequentes :

in quibusdam casibus.

1.° Si absolvendus sit moribundus, de quo dubitatur an adhuc vivat, absolvi debet sub conditione : *si vivis.*

2.° Si absolvendus sit dubie baptizatus, adhibenda est conditio : *si es baptizatus.*

3.° Si adultus rebaptizatus statim sit absolvendus, opus est adjicere conditionem : *si prior Baptismus fuit validus.*

4.° Si quis confiteatur *solum* peccatum de quo dubitatur an sit mortale vel nullum, absolvi potest sub conditione : *si peccasti ;* ratio est, quod aliter relinquendus foret in statu dubii peccati mortalis et periculo damnationis.

Dicitur *solum ;* quia si adsit alia materia certa absolutionis, conditio adjici non debet nec potest.

5.° Si confessarius fundate dubitet, an pœnitenti in mortali constituto absolutionem dederit, aut in ea aliquid essentiale omiserit, potest ipsum adhuc sufficienter præsentem absolvere sub conditione : *si te non absolvi.*

6.° Si absolvendus sit semiamens aut puer de quo dubitatur an polleat sufficiente usu rationis, absolutio dari debet sub conditione : *si polleas sufficienti usu rationis.*

Pro hac et aliis conditionibus supra positis hæc una adhiberi potest : *si es capax ;* sed utrum eadem adhiberi possit in sensu hujus : *si es dispositus,* discutitur N. sequenti.

Nota, quod ubi formæ absolutionis conditio est addenda, non debeat hæc verbis exprimi, uti aliquando oportet fieri in Baptismo ; sed satis sit eam mente retinere et formare intentionem absolvendi sub tali conditione.

N.° 35. An valida aut licita sit absolutio data sub conditione : si es dispositus.

Prænotandum 1.° Intelligitur hæc conditio de contritione necessario requisita ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque de dispositione quæ in vera contritione continetur, qualis est sincera voluntas restituendi, deserendi occasionem proximam, etc., sine qua non datur vera contritio. Conditio : *si es dispositus,*

Prænotandum 2.° Quæstio de valore Sacramenti sub hac conditione collati in Belgio acriter agitata fuit initio sæculi XVIII. Petitur igitur :

An valida est absolutio data sub conditione : si es dispositus *?*

R. Aliqui auctores nostrates, ut Daelman, Perin, Bossaert et alii ab eo citati, dicunt eam esse invalidam. Ratio eorum est, quod hoc Sacramentum institutum an invalidet Sacramentum.

sit per modum judicii ; jamvero, aiunt, illa conditio tollit naturam judicii, cum per eam confessarius supponat id de quo debet judicare et sententiam ferre. Unde, sicut nulla esset sententia judicis civilis super re litigiosa, si diceret : *Adjudico tibi rem, si sit tua,* ita invalida est absolutio, si confessarius dicat : *Si es dispositus, absolvo te,* etc.

Alii tamen, inter quos Van Roy et Billuart, dicens esse longe communiorem et extra Academiam Lovaniensem communissimam, sustinent absolutionem sic datam esse validam, si subsistat conditio.

Horum præcipuum argumentum est ipsa ratio, qua probari solet cæteras conditiones de præsenti non invalidare Sacramenta : quod nempe, verificata conditione, et in casu, si pœnitens reipsa sit dispositus, hæc forma conditionata æquivaleat absolutæ, adeoque omnia adsint ad valorem Sacramenti requisita.

Ad argumentum vero contrariæ sententiæ, negant per illam conditionem tolli naturam judicii huic Sacramento propriam : essentia enim formæ judicialis, aiunt, hic unice consistit in pronuntiatione sententiæ absolutionis super reo contrito et confesso. Judicare quidem debet confessarius de dispositione pœnitentis, sed hoc est judicium discretionis tantum, ut ipse prudenter absolvat, nequaquam vero est de essentia Sacramenti ; alioquin invalide absolveret, qui absolvit nil judicans de dispositione pœnitentis, aut positive judicans eum esse indispositum ; quod nemo admittet. Cfr. S. Thom., *Suppl.*, quæst. 17, art. 3, in corp.

Quoad exemplum judicis civilis allegatum, negant paritatem, quia de essentia hujusmodi judicii est, ut pronuntiet judex cujus sit res ; de essentia autem judicii pœnitentialis non est, pronuntiare quod pœnitens sit dispositus, sed eum absolvere a peccatis.

Auctores exteri plerique de hac controversia silent, neque in particulari de valore Sacramenti collati sub ista conditione inquirunt, sed in genere communiter docent absolutionem cui apponitur conditio de præsenti aut præterito, esse validam, si conditio subsistat. Vide S. Alphonsum, *De Pœnit.*, n. 431, et *De Sacram. in gen.*, n. 26.

An, ubi absolvendus est dubie dispositus, licitum est addere conditionem : si es dispositus *?*

Ante responsionem notandum, non esse quæstionem de iis qui prudenter judicantur dispositi, aut de quibus leve tantum et contemnendum habetur dubium : alias semper addenda esset hæc conditio ; quod certe repugnat praxi Ecclesiæ et communi doctorum sententiæ. An sit licita.

Neque hic inquiritur an et quando dubie dispositi absolvi possint, de quo postea ex professo dicetur ; sed tanquam certum, cum Billuart, præsupponendum, non licere, etiam addita hac conditione, absolvere dubie dispositum, si gravis non urgeat ratio seu necessitas quædam hic et nunc absolutionem impertiendi. His notatis, jam ad quæstionem

R. Disputant auctores. Præter illos qui sentiunt invalidam esse absolutionem sub hac conditione datam, aut qui istam sententiam saltem probabilem putant, adeoque censent per hanc conditionem Sacramentum periculo nullitatis exponi, multi alii existimant, non licere talem conditionem adhibere, quia repugnat praxi et sententiæ antiquorum, qui nullibi eam adhibendam præscribunt vel laudant, et quia periculum esset ne nimis facile et promiscue dubie dispositi absolverentur, si hæc conditio in usu esset.

Plures tamen hanc conditionem adhiberi posse vel debere judicant, quum, supposita validitate Sacramenti collati sub ea conditione, per ipsam consuli putent reverentiæ Sacramenti, ubi dubie dispositus est absolvendus.

In hac sententiarum diversitate, licet nollemus damnare confessarium qui in casu necessitatis dubie dispositum absolveret sub conditione : *si es dispositus*, melius tamen censemus abstinere ab hujusmodi conditione. Quidquid enim sit de opinione negante absolutionem sic conditionatam esse validam, non debemus magis esse solliciti de reverentia Sacramentis debita, quam ipsa Ecclesia, quæ nullibi ea de causa prædictam conditionem adhibendam præscribit ; e contra vero timendum est, ne sic aperiatur porta abusui nimis facile absolvendi quemlibet dubie dispositum, dum hac conditione adjecta, omnis irreverentia erga Sacramentum,

et peccatum sacrilegæ ejus administrationis præcaveri putaretur.

N.° 36. De necessitate et effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84, art. 5.

Notandum 1.° Novatores, non tantum qui Sacramentum Pœnitentiæ penitus rejiciunt, sed et eos qui illud admittunt, aut saltem confessionis antiquitatem et utilitatem agnoscunt, unanimiter sustinere, illud ad salutem minime necessarium esse.

Notandum 2.° Duplici modo aliquid dici necessarium ad salutem, scilicet necessitate medii et necessitate præcepti, pro quo cfr. tract. *De Baptismo*, N. 18. De necessitate præcepti dicendum erit ubi de præcepto confessionis ; hic de necessitate medii inquiritur.

An Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium ad salutem necessitate medii ?

Necessarium est necessitate medii lapsis graviter post Baptismū.

R. 1.° Non est ita necessarium omnibus et in omni casu : etenim parvuli, necnon adulti qui post Baptismum non peccaverunt mortaliter, sine hoc Sacramento salvari possunt.

R. 2.° Adultis qui post Baptismum mortaliter peccaverunt, ita necessarium est in re vel in voto.

Probatur.

Probatur 1.° Necessarium necessitate medii est hoc Sacramentum, si a Domino fuit institutum tanquam medium necessarium, quo adulti post Baptismum lapsi remissionem peccatorum mortalium et vitam æternam consequerentur. Atqui ita esse, significatur pulcherrima metaphora qua hujus Sacramenti administrandi potestatem Dominus clavem regni cœlorum appellavit. *Ut enim locum aliquem ingredi nemo potest,* ait Catech. Rom., n. 57, *sine ejus opera, cui claves commissæ sunt ; sic intelligimus neminem in cœlum admitti, nisi fores a sacerdotibus, quorum fidei claves Dominus tradidit, aperiantur.* Imo non videtur convenienter potuisse præter istud aliud medium instituere. Si enim instituisset aliud medium , frustra contulisset sacerdotibus hanc judicialem potestatem peccata remittendi , quandoquidem vix

quisquam judicio ipsorum se submisisset, atque adeo illa potestas neglecta et contempta fuisset. Frustra præsertim Christus ipsis contulisset potestatem retinendi peccata : hanc enim peccatores facile declinassent recurrendo ad aliud medium.

Prob. 2.° ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. II, ubi dicit: *Est autem Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Atqui Baptismus nondum regeneratis est necessarius necessitate medii in re vel in voto ; ergo.

Prob. 3.° ex Patribus. S. Aug., *Serm. 392,* necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ demonstrat eodem argumento quo supra usi sumus, ex eo nimirum quod alias frustra claves datæ essent Ecclesiæ : *Agite,* inquit, *pœnitentiam , qualis agitur in Ecclesia Dei , ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat, occulte ago, apud Deum ago... Ergo sine causa dictum est : Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo ? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei ?*

Innumera fere sunt Patrum testimonia, quæ clare ostendunt hanc unanimem esse eorum sententiam de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, quod ideo recte a Patribus *secundam post naufragium tabulam* fuisse dictum, supra N. 24, ex Catech. Rom. notavimus.

Plura require ubi de necessitate confessionis sacramentalis in particulari agetur.

Dicitur autem in responsione, quod hoc Sacramentum relapsis sit necessarium *in re vel in voto :* cujus sensus est, quod ab ipsis realiter suscipi debeat, nisi impotentia vel alia justa causa excuset ; tunc vero et non aliter sufficiat votum, id est, desiderium, propositum saltem implicitum, seu voluntas illud suscipiendi, cum adjuncta contritione perfecta. Vide dicta N. 22.

Obj. Ex necessitate hujus Sacramenti aggravatur jugum Christi et fit gravius quam jugum veteris Legis, quia jam difficilior est remissio peccatorum, quæ per solam contritionem sine Sacramento vel ejus voto olim obtinebatur. Ergo. Objicitur.

R. Neg. antec. cum ratione addita. Quamvis enim sub nova Lege requiratur Sacramentum ad obtinendam remissionem peccatorum, non sequitur quod, omnibus

simul consideratis, hæc facta sit difficilior, quum ex aliis capitibus facta sit facilior; tum quia jam sufficit contritio imperfecta cum Sacramento, ubi olim requirebatur contritio perfecta; tum quia nunc abundantiores dantur gratiæ, quibus ipsa susceptio Sacramenti facilis redditur. Unde et nunc pacatiores redduntur conscientiæ, dum sine prævia contritione perfecta confidere licet peccata per sacerdotis absolutionem esse remissa; adeoque etiam ex hoc capite suavius efficitur jugum Christi, et non tantum quia a gravi onere legis nos liberat.

Quinam sunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?

Effectus hujus Sacramenti.

R. Circa effectus Sacramenti Pœnitentiæ, vide quæ N. 6 et seqq. dicta sunt; eosdem hic breviter sequenti ordine recensemus:

1us effectus est collatio gratiæ sanctificantis per se primæ, per accidens secundæ, cum sit Sacramentum mortuorum: est autem illa gratia *sanativa* hominis, uti in tract. *De Sacram. in gen.*, N. 22, explicatum est.

2us effectus est remissio peccatorum post Baptismum commissorum. Cfr. N. 7 et seq. supra.

3us est remissio pœnarum seu æternarum seu temporalium. Cfr. N. 12.

4us est reviviscentia meritorum et recuperatio virtutum supernaturalium. Cfr. N. 13.

5us sunt gratiæ actuales suo tempore dandæ ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, ad futura vitanda et omnia ac singula detestanda.

Addit Conc. Trid., sess. XIV, cap. III, quod *reconciliationem cum Deo interdum in viris piis, et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.*

N.° 37. De iterabilitate Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., quæst. 84, art. 10.

Præter Novatianos et Montanistas, qui relapsis post Baptismum in graviora delicta veniam denegabant, alii fuerunt hæretici, de quibus loquitur S. Augustinus lib. *De Pœnit.*, cap. 5, qui sustinebant pœnitentiam post Baptismum utiliter quidem fieri posse, sed semel tantum.

An Sacramentum Pœnitentiæ iterari seu pluries suscipi potest?

Potest Sacramentum hoc pluries suscipi.

R. Affirmative, et est de fide. Patet ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. II, ubi docet, fideles qui post Baptismum se crimine aliquo contaminaverint, ante tribunal Pœnitentiæ se sistere debere, *ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum* (Dominum) *pœnitentes confugerint, possint liberari.* Item ex can. 1 ejusdem sess., ubi illud definit.

Probatur vero ulterius 1.° ex verbis institutionis, Joan. XX; ibi enim Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi peccata sine ulla restrictione vel limitatione, adeoque toties quoties peccatores debite dispositi ad eos accesserint.

Prob. 2.° ex constanti Ecclesiæ praxi etiam in eadem peccata relapsos admittendi ad absolutionis beneficium, quoties vere pœnitentes accedunt.

Prob. 3.° ex eo quod nullus sit peccator qui, quamdiu vivit et sui compos est, non possit agere veram pœnitentiam; et nullum peccatum tam enorme, quin per veram pœnitentiam deleri possit, ut N. 7 probatum est; aliunde vero constet ex N. præc. nullum peccatum mortale post Baptismum commissum sine Sacramento Pœnitentiæ vel ejus voto deleri. Hinc necessario sequitur, hoc Sacramentum iterabile esse seu sæpius percipi posse.

Objici quidem solent contra iterabilitatem hujus Sacramenti quædam loca Conciliorum et SS. Patrum, in quibus dicitur *unicam esse pœnitentiam,* eam *repeti non posse,* etc. Sed ista intelligenda sunt de pœnitentia publica solemni, quæ dum in suo rigore vigebat, non nisi semel peragi poterat: sed non ideo pœnitentes ab iterata confessione sacramentali repellebantur, maxime in periculo mortis.

Quare Sacramentum Pœnitentiæ iterari potest, ubi tamen Baptismus non potest?

Quare sit iterabile.

R. Præter positivam Christi voluntatem, ratio allegari potest quadruplex cum S. Thom., loco cit.

Prima est, quia Pœnitentia non imprimit characterem sicut Baptismus; character enim indelebilis est.

Secunda, quia Baptisma est contra morbum non iterabilem,

scilicet peccatum originale; Pœnitentia autem contra actuale peccatum est, quod iteratur.

Tertia causa est, quia Baptismus habet totam efficaciam a passione Christi, sine actu nostro, et ideo quia passio est una tantum, et Baptismus est unus; sed Pœnitentia etiam requirit actum nostrum; et ideo ratione ejus iterationem suscipit.

Quarta, quia Baptismus est generatio spiritualis; sed Pœnitentia est quædam sanatio spiritualis; semel autem aliquis generatur, sed pluries curari sive sanari potest, quamdiu in hac vita vivit.

N.° 38. De cæremoniis Sacramenti Pœnitentiæ.

Admodum paucæ sunt cæremoniæ hujus Sacramenti, quia secrete et frequentissime ministratur. Id autem fit ordine sequenti.

1.° « Sacerdos, ut ait Rituale Romanum, priusquam ad audiendam confessionem accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit. » In hunc finem utiliter recitabitur oratio : *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam,* etc., cui centum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, annexuit Pius IX, per decretum S. C. Indulgent. 27 Martii 1854, apud Prinzivalli, n. 640.

2.° Pia est consuetudo ut confessarius pœnitenti ante initium confessionis benedicat, dicens : *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ad digne confitendum omnia peccata tua. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Verum hoc non cadit sub obligatione. Rituale enim solum præscribit, ut « pœnitens flexis genibus signo crucis se muniat.....tum confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat, scilicet *Confiteor,* etc., vel saltem utatur his verbis : *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi, Pater.* »

3.° Preces, quæ antecedunt et subsequuntur formam essentialem, necnon methodum illis utendi, sic exhibet Rituale Romanum :

« Cum igitur (sacerdos) pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit :

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Preces præparatoriæ.

Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit :

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde : Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Absolutio a censuris. Absolutio sacramentalis.

Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen. Precatio subsequens.

In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest *Misereatur*, etc., et satis erit dicere : *Dominus noster Jesus Christus*, etc., ut supra usque ad illud : *Passio Domini nostri*, etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* » Ita Rituale.

Circa prædictas præscriptiones notanda sunt sequentia : 1.° S. R. C. interrogata : An in forma absolutionis ante verba *Ego te absolvo*, etc. omittendum sit verbum *Deinde*, in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, die 11 Martii 1837 respondere censuit : *Nihil innovandum*. Idem repetiit die 27 Febr. 1847.

2.° In praxi facile, non tamen sine ratione, omitti possunt preces *Misereatur* et *Indulgentiam*. Idem etiam obtinet de precatione quæ absolutionem subsequitur, cum Rituale dicat : « in confessionibus frequentioribus et brevioribus omitti potest *Misereatur*, etc., et satis erit dicere : *Dominus noster* usque ad illud : *Passio*, etc., » idque exclusive, juxta S. R. C. decretum 27 Febr. 1847. Nihilominus cum per hanc precationem juxta sententiam probabilem omnia bona opera pœnitentium eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis, convenit ut quam rarissime omittatur.

3.° Absolutio a censuris per verba : *et ego... te absolvo ab omni vinculo excommunicationis..., in quantum possum, et tu indiges,* danda est omni pœnitenti, etiamsi non constet eum censuras incurrisse, ad cautelam.

4.° Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum in foro sacramentali, absolvere debet juxta formam communem supra præscriptam in absolutione sacramentali, ut dicit Rituale Romanum ; nullaque alia forma vel cæremonia requiritur. Idem observandum quoad absolutionem a suspensione et interdicto, quæ a delegato datur in foro sacramentali.

Si vero confessario concessa sit potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolvit a peccatis, addere debet : *Et eadem auctoritate,* etc., ut in Rituali Romano præscribitur.

Quo loco et habitu confessiones excipi debent ?

De loco confessionis

R. ad 1um. Confessiones fidelium excipiendæ sunt in ecclesia, et quidem in sede confessionali, non autem in privatis ædibus, nisi ex causa rationabili. Ita enim præscribit Rituale Romanum dicens : (Sacerdos) *in ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili ; quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.*

Habeat in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat, quæ sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et sacerdotem sit instructa.

Idem præceptum iisdem fere verbis inculcant Statuta diœcesana, et insuper præscribunt, n. 272 et 275, sequentia : *Ibidem* (ad sedem confessionalem) *ante ortum solis et post ejus occasum lumen apponatur.*

In sacristia aliove loco, quamvis ecclesiæ contiguo, non sunt confessiones excipiendæ, nisi surdastrorum et aliorum qui in ecclesiæ loco consueto confiteri non valent.

Fœminarum confessiones excipere extra sedem cancellatam supra descriptam non licet, nisi causa necessitatis et cum his cautelis : 1.° Si audiantur in privatis ædibus, apertum sit, quotiescunque fieri poterit, cubiculi ostium ; 2.° Si in sacristia vel alio loco contiguo audiantur, sedes adhibeatur qualis supra, et locus sit ita apertus, ut aditus ad ipsum libere pateat, et ut sedes ab aliis videri possit.

Porro nulli confessario, sive sæculari sive regulari, ullo unquam casu aut prætextu, nequidem ob peccati omissi aut injunctæ sacramentalis satisfactionis oblitæ prætextum, licitum est excipere confessionem vel partem ejus, personæ fœminei sexus ab anteriori parte confessionalis.

R. ad 2um. Rituale Romanum præscribit ut sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ ministraturus *superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo,* vel *nisi in* eo *ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.* et habitu confessarii.

S. R. C. rogata circa consuetudinem ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ absque stola, etiam in ecclesia et sede confessionali, rescripsit per decr. 31 Aug. 1867, in *Ambianen. : Conveniens esse ut in ecclesia adhibeatur stola.*

Juxta Statuta diœcesana vero, n. 274, *Confessarii non nisi superpelliceo et stola violacea induti in loco sacro fidelium confessiones excipiant.*

Extra locum sacrum sacerdos laudabiliter utetur stola.

N.° 39. De contritione necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, et primum an requiratur perfecta.

Contritionem necessariam esse ad Sacramentum Pœnitentiæ, et quidem juxta communem theologorum sententiam esse partem illius intrinsecam, jam satis ante demonstratum est. Porro ex iis quæ de contritione, ut stata lege justificante, dicta sunt, facile quidem colligitur, ad hoc Sacramentum non requiri contritionem perfectam, adeoque sufficere imperfectam ; nihilominus ob rei gravitatem hoc proprio loco doctrina catholica adhuc breviter adstruenda est. Hinc petitur : Non requiritur contritio perfecta pro Sacramento.

An pro valida et fructuosa susceptione Sacramenti Pœnitentiæ requiritur contritio perfecta ?

R. Negative, sed sufficit contritio imperfecta.

Probatur 1.° Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, seu a Christo institutum, ut fideles per illud recipiant remissionem peccatorum post Baptisma commissorum, et verba absolutionis important actum judicialem quo peccata remittuntur, non vero

nudum ministerium quo declarentur remissa, ut definivit Conc. Trid., sess. VII, can. 6: atqui, si ad illud necessaria foret contritio perfecta, adeoque prævia justificatio peccatoris, non posset dici Sacramentum mortuorum, nec per illud remitterentur peccata ; ergo etc.

Prob. 2.° ex universali sensu Ecclesiæ, qui patet ex Ritualibus ac praxi confessariorum et pœnitentium, qui non requirunt contritionem perfectam ut Sacramentum administrent aut suscipiant.

Plures quidem theologi dicunt, peccatorem, dum absolvitur, virtute Sacramenti fieri perfecte contritum, seu ut loquuntur, *de attrito fieri contritum :* sed per hoc intelligi potest, quod per Sacramentum obtineat habitum charitatis, quo fit, saltem in æquivalenti, perfecte contritus. Cæterum illud effatum potius ostendit, attritionem sufficere ad suscipiendum hoc Sacramentum.

An est de fide, quod contritio perfecta non requiratur ad valorem et fructum Sacramenti ?

Non est dogma fidei definitum,

R. Non est fidei catholicæ dogma ab Ecclesia definitum : quia, licet in opinionem, quæ cum pluribus veteribus scholasticis contritionis perfectæ necessitatem adstruit, in Conc. Trid. serio quæsitum fuerit, ob affinitatem quam præ se ferre videbatur cum erroribus protestantium, quod scilicet a sacerdotibus per verba absolutionis re ipsa non remittantur hominum peccata, sed solum declarentur esse remissa, nulla tamen censura Patres Tridentini illam opinionem perstrinxerunt , ne veteribus illis notam erroris inurerent; utique catholicæ doctrinæ satis consultum arbitrantes ea definiendo et docendo, quibus veterum opinionem rejiciendam esse satis constaret.

sed tam certum est quam stata lege justificare contritionem perfectam.

Quamvis non sit fidei catholicæ dogma, tamen certum est eadem certitudine, qua ante dictum et probatum est, contritionem perfectam stata lege justificare. Hinc dicit Catechismus Rom., *De Pœnit. Sacram.*, n. 47: *Ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum et constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari.*

Ex dictis colligitur, quam longe a communi catholicorum doctrina recedat propositio 36ª Synodi Pistoriensis, pluribus etiam titulis damnata a Pio VI, in Bulla *Auctorem fidei*. Illa scilicet propositio, sic intellecta, *ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad Sacramenta, et speciatim pœnitens ad absolutionis beneficium admittantur*, damnata est a Pio VI tanquam *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, et probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.*

N.° 40. De multiplici ratione qua contritio imperfecta esse aut videri possit.

Congruum videtur, ut hic ob oculos ponamus præcipua, quæ circa hoc tradit Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. VII, cap. 13 :

« I. Sancta Tridentina Synodus, sess. XIV, cap. IV, de Pœnitentia, duplicem distinguens contritionem, utriusque virtutem et efficaciam in hunc modum explicat : *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* »

Distinctio contritionis perfectæ et imperfectæ ex Concilio Trident.

Nomen attritionis in scholis recens, non ipsa res.

« II. Ex his Concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa attritio, quæ ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit. Atque ut imprimis de ipso attritionis vocabulo aliquid dicamus, illud non esse antiquissimum, neque ante annum 1220 in scholis vulgari cœptum, eruditi omnes optime norunt cum Morino, *De Pœnit.*, lib. 8, c. 2, num. 17. Quod tamen per nomen significatur, et Patribus et theologis semper perspectum fuisse, nemo dubitat ; omnes quippe duplicem semper agnoverunt contritionem : unam perfectam, quæ ex se justitiam et sanctitatem affert, alteram imperfectam, quæ sola homini justificando impar est. Hanc vero contritionem imperfectam, visum est Scholasticis congruo vocabulo appellare attritionem... »

Contritio mere naturalis prorsus insufficiens ad justificationem.

« III. Porro ex multiplici capite potest hæc contritionis imperfectio dimanare : et primo loco valde imperfecta est contritio, quæ non est supernaturalis, sed unice movetur ab objecto naturali, aut non elicitur viribus gratiæ. Hanc sufficientem non esse ad justificationis gratiam, tam extra, quam intra Sacramentum consequendam, omnes fatentur... »

Item illa quæ ab aliquo tantum genere peccatorum avertit, aut in displicentia inefficaci consistit.

« IV. Imperfecta pariter est contritio, quæ ab aliquo dumtaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit : evenire enim potest, ut quis ex speciali affectione erga aliquam virtutem, peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat cætera præcavendi, quæ aliis virtutibus adversantur. Ac demum imperfectissima erit, nec contritionis nomen ea merebitur, quæ non procedit ex deliberata voluntate, sed potius sit quædam velleitas, seu sterilis atque inefficax displicentia de peccato, absque proposito in posterum non peccandi. Evidens porro est, neutram ex his posterioribus contritionibus ad justificationem prodesse, quia neutra excludit voluntatem peccandi, sicuti Tridentinum exposcit... »

Contritio supernaturalis et efficax dicitur imperfecta : 1.° quia remissa est, licet

« V. Alia est contritio supernaturalis et efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus, aliis nominibus, dicitur imperfecta, et in quam unice cadit controversia, quam proposuimus. »

« Et primo quidem potest contritio esse imperfecta, imperfectione *mere negativa ;* quia scilicet, etsi concipiatur

ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur contritio perfecta, ad istius tamen intensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, et remissa. » ex motivo charitatis concepta ;

« Secundo dicitur imperfecta, quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, hoc est, dilectum, non quatenus est in se summe bonus, sed quatenus est bonus nobis seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, et finis ultimus. » 2.° quia procedit ex motivo amoris concupiscentiæ ;

« Tertio, et plerumque, nomine contritionis imperfectæ intelligitur dolor de peccatis unice conceptus atque elicitus propter eorumdem turpitudinem, aut solum metum pœnarum, et gehennæ, absque ulla Dei dilectione. » 3.° quia procedit ex alio motivo absque ulla Dei dilectione.

« Verum hæc eadem contritio imperfecta potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est explicare hunc amorem initialem, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu : ac proinde hæc quarta species contritionis imperfectæ videtur fere coincidere cum prima ex nuper enumeratis, neque in alio ab ea differre, nisi quod illa sit ex solo charitatis motivo, hæc vero admixtum habeat timorem pœnarum. »

Ita laudatus Pontifex, cit. § 5, exhibet tres aut quatuor species contritionis imperfectæ.

Circa diversas illas rationes, quibus, juxta cit. § 5, contritio possit esse vel dici imperfecta, sequentia observamus : Notanda circa prædictas distinctiones.

1.° Quod primo loco dicitur de contritione ut *imperfecta, imperfectione mere negativa, etsi concepta ex eodem motivo charitatis,* etc., id variis interpretationibus aut controversiis potest esse obnoxium. Nobis, ne tractata repetere cogamur, sufficit remittere ad N. 21, et signanter ad ea, quæ ad quæst. VI et VII ibidem dicta sunt.

2.° Dum supra appellatur dolor de peccatis elicitus propter eorum turpitudinem, id intelligendum est de

eorum turpitudine supernaturaliter et per fidem cognita, et ad Deum offensum relata, cum agatur de dolore et motivo supernaturali. Quinimo S. Thomas, part. 3ª, q. 85, art. 5, ad 1, a consideratione turpitudinis peccati non sejungit motum charitatis ; sic enim loquitur : *Peccatum prius incipit homini displicere (maxime peccatori) propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem.*

3.° Quidquid sit de completa enumeratione rationum aut motivorum, ex quibus contritio imperfecta procedere possit ; item an talis enumeratio a laudato Pontifice facta fuerit, sic saltem ut reliqua ad unum vel alterum ex enumeratis reduci debeant, nobis hic amplius inquirendum non putamus, sed satis est remittere ad cit. N. 21, quæst. IV et X.

N.° 41. De erroribus quibusdam præ oculis habendis, ubi agitur de attritione seu contritione imperfecta in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.

In pertractanda hac materia de attritione sacramentali, multa ab auctoribus ex aliis tractatibus et præsertim ex tractatu *De Spe* prolixe huc referri solent, inter alia, ea imprimis quæ timorem servilem, ejusque divisiones et varias denominationes concernunt. Nos, pro instituto, pauca tantum huc referimus, propriis suis locis relinquentes reliqua, quæ supponimus inde nota, aut ibidem inquirenda. Indicamus imprimis quosdam errores contra certam Ecclesiæ doctrinam.

Error Lutheri.

Lutherus innixus pernicioso principio, illud omne esse peccatum, quod non procedit a charitate habituali, contendit timorem pœnæ in peccatoribus radicitus malum esse, et attritionem ex illo conceptam, nedum gradus sit ad pœnitentiam et virtutis prosecutionem, novum esse peccatum, hominemque facere hypocritam et magis peccatorem.

Operæ pretium est ob oculos ponere quædam Lutheri verba ex ejus *Serm. de Pœnit.*, ubi dicit : « Contritio (sic enim cœpit vocari pœnitentia interior) duplici via

paratur, scilicet per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos in amaritudine animæ suæ, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem, et alia quæ possent tristitiam et dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera : hæc autem contritio facit hypocritam et magis peccatorem ; quia solum timore præcepti, et dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur, et communicantur. Si libere deberent remoto præcepto et minis pœnarum confiteri, certe dicerent, sibi non displicere vitam illam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri : imo quo magis timore pœnæ, et dolore damni conteruntur, eo magis peccant, et afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse. »

Exitialem hæresiarchæ doctrinam proscripsit Leo X, in Bulla *Exurge Domine*, art. 6. Quo autem impietatis proruperit Lutherus, ostendit articulus 5us, qui his verbis conceptus, et ibidem pariter proscriptus est : *Animæ purgatorii peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem et horrent pœnas.*

Error Jansenii.

Simili fere ratione, sed minus crude erravit Jansenius, dum lib. 5, *De gratia Christi Salvat.*, cap. 17, docet : « Impossibile est, ut ille, qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque detestetur, ut non peccet. » Et ibid., cap. 25 et 26, ex professo probat timorem illum, etiam supposita fide, naturalem esse, ex propriis viribus naturæ, non vero ex impulsu et gratia Spiritus sancti ; ac dein, cap. 29, probat eum pœnæ timorem invitum esse ac violentum, *qua non peccatum, sed aliud quidpiam fugitur.*

Errorem identidem restauratum iterum proscripsit Alexander VIII, damnans sequentes propositiones, nempe 15^am^ : *Timor gehennæ non est supernaturalis*, et 16^am^ : *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

Error Quesnelli.

Ad rem præcipue pertinent propositiones Quesnelli, insidiosissimi damnatarum doctrinarum restauratoris,

damnatæ a Clemente XI, in Constitut. *Unigenitus*. Tales inter alias sunt 60ª : *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem;* 61ª : *Timor non nisi manum cohibet : cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur;* 62ª : *Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo;* 67ª : *Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

Opposita Concilii Trid. doctrina.

Erroribus istis adhuc opponimus doctrinam Concilii Trid. initio N. præc. prolatam : ubi inter alia notanda sunt verba : *si voluntatem peccandi excludat,* quæ evidenter supponunt, quod attritio ex metu gehennæ et pœnarum concepta, istam voluntatem excludere possit ; alias enim frustanea conditio apposita fuisset. Item can. 8, sess. VI : *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse , aut peccatores pejores facere ; anathema sit.* Ubi cum dicatur *per quem,* et non *cum quo,* eo manifestius supponitur, metum gehennæ cohibere posse peccandi voluntatem. Maxime autem hic valet can. 5, sess. XIV, quem vide sub init. hujus tractatus.

Postquam canonem proxime laudatum citaverat Perrone, n. 42, in nota subdit : « Hic satis mirari non possumus prudentiam Patrum Tridentinorum, qui ita asseruerunt doctrinam catholicam , ut detegerent ac damnarent errores protestantium, simulque varias scholarum quæstiones declinarent. Etenim 1.° ea recensent doloris motiva, quæ æque consistere possunt sive *cum amore,* sive *sine illo ;* 2.° statuunt quidem, contritionem ex illis motivis conceptam *verum et utilem* esse dolorem , minime vero asserunt eam esse *sufficientem ;* 3.° adstruunt demum, hujusmodi contritionem præparare ad gratiam, ast non dicunt utrum *remote* an *proxime.* »

Ad scopum nostrum obtinendum, adhuc pauca subjicimus.

An ille qui ex solo metu gehennæ peccatum detestatur et fugit, virtualiter habet hunc actum : Vellem peccare, nisi gehennam metuerem ?

R. Negative ; cum enim sciat et agnoscat peccatum

ducere ad gehennam, hanc timet et aversatur propter se, et peccatum ejusque affectum propter ipsam. Hinc ille potius dicit : Cum detur gehenna, quam metuo et fugere volo, nullatenus volo peccare.

Qui peccatum detestatur ex solo gehennæ metu, non habet virtualiter hunc actum : Vellem peccare, nisi gehennam metuerem.

Itaque hic actus, licet habeat pro objecto proximo malum pœnæ, excludere tamen potest affectum peccandi, eo quod talis pœna non nisi per exclusionem complacentiæ et affectus peccaminosi evitari possit : neque formaliter aut virtualiter excludit alia etiam motiva detestandi peccatum, sed potius ad illa viam parat, licet hic et nunc ab illis præscindat : unde etiam nulla est ratio dicendi, quod dolens ex solo metu gehennæ, non doleret ex alio motivo, si gehenna non esset.

Objicitur.

Dices 1.° Multi tamen ita a natura comparati sunt, ut peccarent, si metus inferni eos non cohiberet ; ergo intus latentem , implicitum et conditionatum affectum ad peccatum servant, sicque virtualiter dicunt : Vellem peccare, nisi gehennam metuerem.

R. Neg. conseq.; ex actibus conditionate futuris nemo bonus est aut malus ; alias similiter dici posset, illum qui solius æternæ mercedis intuitu peccatum fugit, ad illud latentem, implicitum et conditionatum affectum servare, in hypothesi nempe quod ea merces non existeret. Et vero non pauci ita sunt a natura comparati, ut si Dei aut virtutis amore non ducerentur, in iis vel illis occasionibus peccarent : num ideo abstinendo a peccatis ex motivo amoris, aut ex honestate virtutum, latentem affectum ad peccatum retinent et virtualiter dicunt : Vellem peccare, ni Deum diligerem, aut ni ducerer honestate virtutis ?

Dices 2.° Attritio ex timore gehennæ non causat displicentiam peccati secundum se, sed tantum ut est inductivum gehennæ ; ergo non tollit affectum peccati secundum se.

R. Non tollit directe et immediate affectum peccati secundum se, trans. vel conc.; non tollit indirecte et mediate, neg.; nam indirecte saltem et mediate non vult peccatum secundum se, cum nolit id quod inducit gehennam.

Quandonam timor gehennæ præsumitur excludere omnem affectum ad peccatum ?

Quandonam metus gehennæ excludat omnem affectum ad peccatum.

R. Quando ex motu divinæ gratiæ vere est appretiative summus, ita nimirum ut quis timeat et fugiat gehennam super omnia alia mala, quorum perpessio, secundum ordinem rerum a Deo statutum, ad offensionem divinam vitandam necessaria est. Quod si timor appretiative minor fuerit, pro aliquibus tantum casibus affectum ad peccatum excludet : nec ideo tamen malus dicendus est, cum aliquid boni operetur partialiter a peccato avertendo, licet necdum satis efficaciter avertat ab omni ; quo casu in confesso est apud omnes, quod attritio ex tali metu concepta ad Sacramentum Pœnitentiæ sit insufficiens ; quia, secundum omnes, attritio sacramentalis debet esse talis, ut peccandi voluntatem excludat.

N.° 42. Qualis contritio imperfecta, seu qualis attritio requiratur in Sacramento Pœnitentiæ.

Quæst. I. *An attritio concepta ex solo metu gehennæ et pœnarum, seu mere servilis vel formidolosa, ut vocant, sufficit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam ?*

Attritio mere formidolosa non sufficit.

R. Quamvis talem attritionem sufficere plures affirment, cum aliis tamen potius asserendum videtur eam non sufficere, sed requiri, ut attritio sacramentalis aliquem Dei amorem seu dilectionem saltem imperfectam adjunctam habeat.

Argumentum contrariæ sententiæ

Qui affirmant præfatam attritionem sufficientem esse, ita ratiocinantur : Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. IV, tractans ex professo de attritione et illis motivis ex quibus communiter concipitur, alia non assignat quam vel considerationem turpitudinis peccati, vel gehennæ et pœnarum metum, nulla facta mentione dilectionis, atque ex his motivis conceptam attritionem ait disponere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam ; ergo attritio ex illis motivis et signanter ex dicto metu concepta ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam sufficit.

NB

Qui negant attritionem pure formidolosam sufficere, adeoque aliquam Dei dilectionem requirunt, observant ingentem esse differentiam inter verba *disponere* et *sufficere*, ac Patres Tridentinos priori verbo usos esse, ut

controversiam catholicorum, quoad conditiones in attritione sacramentali requisitas, declinarent, ita tamen ut damnarent errorem Lutheri, qui docebat contritionem ex metu conceptam prorsus malam esse, adeoque nulla ratione disponere ad justificationis gratiam. Unde, inquiunt, licet attritio, de qua agitur, ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam disponat, ut docet Tridentinum, non sequitur, quod disponat *proxime* et adæquate, sive quod *sufficiat*.

Igitur huc referunt id quod testatur Pallavicinus, *Hist. Trid.*, cap. 10, scilicet, ut ex eodem narrat Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. 7, cap. 13, n. 7 : « Testatur idem probatissimus historicus, supra citatum decretum cap. 4, sess. 14, fuisse prius ita concinnatum, ut in eo diceretur, attritionem ex metu gehennæ et pœnarum *sufficere* ad gratiam Dei in Sacramento impetrandam, sed, intercedente Joanne Æmiliano, Tudetano Episcopo, ablatum fuisse verbum illud *sufficere*, ejusque loco subrogatum verbum *disponit*, quod profecto æquivocum est, et referri potest cum ad dispositionem proximam, tum ad remotam. » Paulo ante retulerat modo ejusdem historici hæc verba : « Quantum ex actis conjicio, theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur tanquam inhonestum improbantium pœnæ timorem ; non item ut ferret sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor, non solum absque contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit), sed etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. »

Nota. Dum supra diximus, quod plures sustineant sufficientiam attritionis pure formidolosæ, seu ex solo metu gehennæ et pœnarum conceptæ, id tantum diximus, quatenus et ipsi attritionem sub his terminis ut sufficientem adstruunt. Attamen fere dubitari potest, an plerique eorum adstruere velint attritionem quolibet Dei amore destitutam. Quinimo Tournely, *De Pœnit.*, quæst. 5, art. 3, dicit : « Theologi illi qui post Concilium Tridentinum sententiam attritionis defendunt vel impetunt, omnem Dei amorem ab attritione non excludunt, sed eum solum qui veræ et propriæ charitatis est, ac justificat hominem ante Sacramentum actu perceptum. » Nota.

De illa Tournelii observatione conqueritur Drouin in hunc modum : « Benigna hac Tournelii explicatione ex adversariis nonnulli hodierno tempore adeo fidunt, ut asserere non vereantur, neminem attritionem pure formidolosam seu omnis expertem amoris, tanquam ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientem propugnasse ; ut si eos audiamus, tot eximii viri qui in ejusmodi attritionis insufficientia demonstranda laborarunt, contra umbras larvasque, ut dici assolet, dimicaverint. » Ita ille, *De Pœnit.*, quæst. 4, cap. 4, art. 5, § 2. Quidquid sit, necessitatem alicujus amoris Dei in suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ recentiores plerique expresse profitentur, ita ut de opinione opposita saltem accipi possit id quod testatur Liebermann, videlicet eam auctoritate sua sensim fuisse exutam, ut vix hodie patronum inveniat.

Quæst. II. *Proba quod attritio sacramentalis aliquam Dei dilectionem includere, seu aliquem Dei amorem conjunctum habere debeat.*

In attritione sacramentali aliquam requiri Dei dilectionem, probatur argum. deducto 1.° ex Scriptura

R. Probatur 1.° argumento deducto ex Scriptura et Patribus.

Scriptura sacra generatim commendat dilectionem Dei et conversionem ex toto corde, qua peccatores a perverso creaturarum amore recedant et ad Deum convertantur. Deut. IV, 29: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen ex toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tuæ ;* et ibid., ℣. 6 : *Audi Israel: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.* Hoc præceptum instaurans Christus, Matth. XXII, 37, addidit : *Hoc est maximum et primum mandatum.* Joel. II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* I Joan. III, 15: *Qui non diligit manet in morte.*

et Patribus ;

Inter SS. Patres, Chrysostomus, *Hom. 4 in II ad Cor.*, n. 6, ait : *Cum peccaveris ingemisce, non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quod Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem... ut Filium quoque suum tua causa tradiderit.* Augustinus, *Serm. 7*, de tempore, qui nunc tribuitur Cæsario Arelatensi, alias *Serm. 117*, in append. tom. 5 edit. Bened., n. 2 : *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei.*

Cum igitur Scriptura et Patres dilectionem Dei et conversionem ex toto corde generatim adeo inculcent, atque inde constet peccatores a perverso creaturarum amore averti et ad Deum converti debere, utique conversione totius cordis, ita ut creaturam inter et Deum cor divisum non teneant ; inde recte infertur, quod imperfecta contritio, ut sit vera ad Deum conversio, ac adeo proxima ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam dispositio, aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem includere sive conjunctam habere debeat.

Hic maxime notandum censemus id quod bene observat Tournely his verbis, loco cit., concl. 1 : « Scio equidem hæc Scripturæ testimonia, si ad litteram urgeantur, non imperfectum modo, sed etiam perfectum ac veræ charitatis amorem Dei, et conversionem peccatoris extra Sacramentum exprimere : verum illa cum aliqua restrictione, et accommodate ad efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ intelligi debent et exponi, ita ut contritio perfecta ex amore Dei perfecto necessaria sit ad gratiam justificationis extra Sacramentum obtinendam ; imperfecta vero ex amore Dei non ita perfecto, sufficiat cum Sacramento, quod instituit Christus in subsidium infirmitatis humanæ, et ut medium efficax assequendæ gratiæ. Ex citatis ergo testimoniis, probatur saltem, in omni vera contritione necessariam esse peccatoris ad Deum conversionem,quæ sine amore aliquo Dei vix potest intelligi, sive perfecto, sive minus perfecto, apposite ad modum quo justificatio obtinetur, in Sacramento aut extra Sacramentum. »

Prob. 2.° argumento deducto ex Conc. Trid., quod sess. XIV, cap. I, loquens de pœnitentia quovis tempore necessaria, ait : *Ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum odio peccati et pio animi dolore detestarentur*. Sane pius ille animi dolor de tanta offensione aliquem erga Deum affectum et amorem significat. Atque hic etiam propter analogiam Sacramenti Baptismi et Pœnitentiæ valet illud Concilii Arausicani II, can. ult. sic decernentis : Deus *ipse nobis,nullis præcedentibus bonis meritis, fidem et amorem sui prius inspirat, ut et Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, et post* 2.° ex Concilio Trid.

Baptismum, cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sint placita, implere possimus.

Idem luculentius constat ex eodem Tridentino, quod licet cit. sess., cap. IV, agens de attritione, expressam dilectionis mentionem non faciat, tamen illius mentionem facit sess. VI, cap. VI, ubi inter dispositiones in adultis baptizandis exigit aliquam Dei dilectionem, qua *illum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*. Ex quo concludi potest, talem dilectionem, ut minimum, necessariam esse in peccatoribus per Sacramentum Pœnitentiæ cum Deo reconciliandis ; cum peccata post Baptismum commissa, cæteris paribus, graviora sint, quam ea quæ ante illum perpetrata fuerunt.

Hoc argumentum pressius urgebat clerus Gallicanus, dum in comitiis anni 1700 hanc propositionem : *Attritio ex gehennæ metu sufficit sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta et supernaturalis est,* damnavit restricte his verbis : *Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est....*, et in iisdem comitiis ita docebat: « Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita... ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei et spei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet. »

Qualis dilectio Dei requiratur disputant.

Quæst. III. *Qualis amor Dei imperfectus requiritur et sufficit, ut contritio imperfecta inde orta vel cum eo conjuncta sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ ?*

R. Non concordant auctores, qui cæteroquin alicujus amoris imperfecti necessitatem propugnant.

1ª sententia requirit amorem Dei benevolum,

Prima sententia est eorum qui requirunt amorem benevolum, quo nempe Deus diligitur quatenus est in se summe bonus et perfectus, vel qui elicitur ex eodem motivo ex quo elicitur actus charitatis.

Hi ipsi de cætero, nec quoad modum loquendi, nec quoad rem ipsam omnino consentiunt.

Non omnino consentiunt quoad modum loquendi :

Aliqui enim cum Billuart illum amorem non vocant amorem charitatis, sed simpliciter amorem benevolum, quia charitatis nomen exclusive reservant amori benevolo perfecto et de se justificativo. quem aliqui simpliciter amorem vocant benevolum,

Alii cum Drouin et Berti amorem benevolum quem requirunt appellant etiam charitatem actualem, sed initialem et imperfectam, quia revera oritur ex eodem motivo, ex quo elicitur actus charitatis. Hunc loquendi modum sequitur Cardinalis Gerdil in opere inscripto : *Dell'attrizione ossia sulla necessità di qualche principio di amor di Dio per conseguire la justificazione nel Sagramento della Penitenza ;* quod reperitur inter ejus Opera omnia, edit. Rom. 1821. Expendendum tamen ibidem relinquit theologis, an non satius foret charitatis nomen tribuere soli charitati habituali, vel actuali quidem, sed per se justificanti ; quo minus frequens esset inter ipsos Baianismi imputatio , quam contra anonymum , quem refutat, gravissimis verbis a sua sententia et loquendi ratione amolitur Eminent. Auctor. nonnulli vero charitatem initialem dicunt,

Non omnino consentiunt quoad rem ipsam :

Aliqui enim, sed pauci, exigunt quidem amorem benevolum, sed non super omnia ; quia, inquiunt, si esset super omnia, esset de se justificans, adeoque non necessarius cum Sacramento. Hanc explicandi rationem indicant Simonet et Sardagna, et hac via existimant intelligi et explicari posse dilectionem initialem, quam requirit Tridentinum, dum loc. cit. exigit, ut adulti baptizandi *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.* Ultro utique fatemur ista ratione indicari aliquod dilectionis initium, quod etiam Dei donum est, et junctum cum aliis aliquem influxum habere potest in attritionem sacramentalem rite efformandam ; sed non intelligimus, cur talis amor benevolus, qui non est super omnia, adeoque *in se* non satis validus ut Deum præferat omni creaturæ, nihilominus dicatur absolute necessarius ad valorem et fructum Sacramenti ; omnis quippe verus Dei amor, qui cæteroquin ut necessarius proponitur , omnino intelligendus et proponendus videtur tanquam vel non super omnia, ut pauci loquuntur,

in sua specie appretiative summus, quo nimirum Deus ametur super omnia, saltem ut bonus nobis seu summum bonum nostrum.

vel etiam super omnia, ut alii volunt.

Alii cum Berti et Billuart requirunt actum amoris benevoli vel charitatis imperfectæ, qui tamen simul sit amor Dei super omnia. Horum sententiam secutus est Cardinalis Gerdil in opere supra citato.

Istum amorem, licet appretiative summum et super omnia, adhuc vocant imperfectum, quamdiu per augmentum graduum intensionis ulterius accedens non fit magis intensus et vehemens ; hinc amorem istum, licet sit super omnia, illo intensionis vel vehementiæ augmento destitutum, vocant debilem et remissum, initialem tantum, et insufficientem ut extra Sacramentum, sufficientem vero ut cum Sacramento justificet.

Horum sententiam non sequimur, quia, ut N. 21 dictum est, omnis amor Dei benevolus super omnia, quo Deus ex proprio charitatis motivo absolute et vere super omnia amatur, nobis videtur eo ipso satis vehemens et intensus, ut sit perfectæ charitatis actus, de se justificans : talis autem et tantus amor non attritionem, sed perfectam contritionem indicat. In hunc sensum dicit Liebermann, quod illos probare non possit, qui amorem charitatis exigunt, quem *initialem* vocant, et quem tamen volunt esse et appretiative summum, et cordi dominantem ; sua enim sententia, ut dicit, hic amor non est initialis, sed perfecta charitas. Et hoc ipsum est, quod S. Alphonsus, n. 440 et seqq., adeo inculcat, probans quod « contritio orta ex charitate prædominante, licet remissa, deleat peccatum. »

2ª sententia requirit amorem spei seu concupiscentiæ.

Secunda sententia est eorum, qui existimant sufficere amorem spei, seu, ut plures loquuntur, amorem concupiscentiæ, quo videlicet Deus diligitur quatenus bonus nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo et finis ultimus. De amore concupiscentiæ loquitur S. Thomas 2ª 2æ, quæst. 26, art. 3, ad 3, dicens: *Quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem quo Deus amatur amore concupiscentiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quam amore concupiscentiæ : quia majus est in se bonum Dei, quam bonum quod participare possumus fruendo ipso.*

Hic amor spei seu castæ concupiscentiæ essentialiter est etiam verus et proprius amor Dei, in sua specie appretiative summus et super omnia, Deumque rebus omnibus creatis præferens, licet adhuc sit imperfectus et initialis, si conferatur cum eminentiore illo amore, quo Deus ex proprio charitatis motivo diligitur super omnia, et qui proprie est amor amicitiæ.

Hæc secunda sententia est longe communior et verior. Probatur Breviter autem suadetur hoc argumento. Cum ex dictis requiratur aliquis Dei amor, hic vero non debeat esse amor benevolentiæ vel charitatis quo Deus absolute et vere ametur super omnia, quandoquidem de se justificandi vim habeat; nec aliunde videatur esse ratio dicendi ad valorem et fructum Sacramenti opus esse quodam amore benevolentiæ non appretiative summo seu super omnia, quandoquidem *in se* non esset satis validus ad Deum omnibus rebus creatis præferendum; recte concludi potest, sufficere alterius speciei et veri etiam nominis amorem, qui in spe fundatur, aut ex ea velut ex radice nascitur.

Et confirmatur 1.° ex innumeris Scripturæ sacræ testi- et confirmatur ex Scriptura moniis, quæ mercedis æternæ desiderium, et qui cum eo conjunctus est amorem concupiscentiæ, modis omnibus excitant et commendant, adeo ut fere dici possit cum Liebermann, eum fere unicum amorem esse, quem ubique prædicant et fovent. Sic Matth. V, octo beatitudinibus suum cuique assignatur præmium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, etc. Psalm. CXVIII, 112: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Tit. II, 12 et 13: *Abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Confirmatur 2.° ex sensu Patrum, e quibus S. Augu- et Patribus. stinus, *Serm. 334*, in natali Martyrum, n. 3, (alias *48*, de Sanctis): *Hoc est*, inquit, *Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi; præter illum nihil sufficit tibi.* Et *Serm. 178*, n. 11, (alias *19*, de verbis Apostoli): *Aliud est*, ait, *timere pœnam, aliud est amare justitiam. Amor*

castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cœlum et terram.... sed desidera videre Deum tuum... Ecce propter quam visionem fac bonum ; ecce propter quam noli facere malum.

Objectiones. Objiciunt patroni prioris sententiæ plures Scripturæ et Patrum textus, quibus proponitur præceptum diligendi Deum ex toto corde et ex tota anima, et ex quibus inferunt necessitatem amoris benevoli vel charitatis appretiative summi et super omnia, attamen initialis seu minus intensi, ut vocant, ubi agitur de justificatione per Sacramentum obtinenda.

R. 1.° Nemo catholicorum negat præceptum charitatis diligendi Deum ex toto corde et ex tota anima. Hoc præceptum positivum suo tempore et sæpius in vita adimplendum esse quisque novit pœnitens et agnoscit. Sed hoc præcepto obligari pœnitentem, ut Deum revera diligat amore benevolentiæ vel charitatis appretiative summo et super omnia, præcise ut digne et fructuose suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ, hoc negant defensores posterioris sententiæ ; quia talis amor quo Deus appretiative super omnia vere et sincere diligitur, per se justificat, pœnitens autem ad hoc Sacramentum accedens, justificatus esse non debet.

R. 2.° Iidem textus urgebantur olim ab iis qui ad Sacramentum exigebant amorem omnino perfectum et contritionem perfectam ; nec magis urgeri possunt pro necessitate amoris benevoli initialis, quam omnino perfecti : ergo illi textus, ad Sacramentum extensi, probant nimium. Quod si vero defensoribus prioris sententiæ liceat pro arbitrio eos explicare de amore benevolo appretiative summo, attamen initiali seu minus intenso, atque eos ita extendere ad justificationem intra Sacramentum, licebit quoque patronis posterioris sententiæ eosdem exponere de necessitate amoris benevoli appretiative summi et super omnia extra Sacramentum, vel de amore concupiscentiæ, non vero benevolentiæ, in Sacramento.

Objiciunt 2.° hunc Conc. Trid. sess. VI, cap. VI, textum : *Disponuntur ad justitiam, dum excitati divina gratia... in spem eriguntur, fidentes Deum propter Christum sibi propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem*

diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Ex quibus verbis concludunt, in sensu sæpius supra exhibito, necessitatem actus amoris benevoli vel charitatis : quia Tridentinum fidei et spei modo recensitis dilectionem superaddit, et quia , juxta ipsos, diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, est ipsum diligere tanquam primitivam et fontalem justitiam, adeoque tanquam summum bonum in se et infinite perfectum.

R. Concilii verba non necessario important, nec adeo superaddunt dilectionem in sensu ab objicientibus intento : quia Concilium, in quantum loquitur de adulto per Baptismi (vel Pœnitentiæ) Sacramentum justificando, dicit quidem, quod debeat *incipere* diligere Deum, non autem dicit tanquam summum bonum in se, sed *tanquam omnis justitiæ fontem,* id est, justitiæ seu gratiæ nobis dandæ, ita ut Concilium sumat justitiam eo sensu quo dixerat : *disponuntur ad justitiam.* Hoc amore Deus diligitur tanquam omnis justitiæ seu justificationis auctor et tanquam bonus nobis, quin sic diligens perfectius motivum, nempe bonitatem Dei absolutam, positive excludat, sed ab eo simpliciter abstrahit, quemadmodum in multis casibus recte operamur ex aliquo motivo particulari, licet perfectius motivum positive non excludamus, sed simpliciter ab eo abstrahimus.

Ad dictorum intelligentiam conducit id quod habet S. Thomas, 1ª 2ªe, quæst. 40, art. 7, in corp., dicens : *Ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare.* Illis Angelici Doctoris verbis inter alia etiam usus est S. Alphonsus, et tum demum concludit : « Hæc autem omnia in attritione includuntur, dum qui cum illa et spe veniæ ad Sacramentum accedit, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem diligere incipit. »

Merito igitur concluditur, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam non requiri cum attritione amorem benevolentiæ vel charitatis, sed sufficere ut illa adjunctum habeat aut includat amorem spei seu castæ concupiscentiæ.

Cæterum, juxta omnes, omnino expedit, ut pœnitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis ex ipso charitatis motivo. « In praxi consultissimum, ait Lacroix, n. 881, ut quantum fert tempus et occasio, procuretur a confessariis et eliciatur a pœnitentibus contritio (perfecta), tum quia est maximi meriti deletque multum etiam de pœnis, tum quia licet aliquis contendat ad contritionem, forte tantum attritionem attinget ; ubi e contra, si voluntarie sistat in infimis aliis motivis, præsertim pœnæ, signum est animi non satis conversi ad Deum, estque credibile sæpe in tali homine remanere servilitatem sive occultum affectum non deserendi peccatum, nisi incumberet pœna.» Huic incommodo occurrit contritionis formula, quæ in Catechismo diœcesano proponitur.

Equidem probandæ non sunt illæ contritionis formulæ, in quibus per hæc aut similia verba : *non doleo quia cœlum amisi vel quia infernum merui,* etc., priora ista motiva *positive* excluduntur ; nam merito dolemus de peccatis, quia per ea infernum et pœnas meruimus ac cœlum amisimus ; et pœnitentes rudes et inveterati peccatores hujusmodi motivis efficacius percelluntur et disponuntur ad perfectius motivum charitatis. Aliud est si dicatur : *doleo, non tantum quia cœlum amisi et infernum merui, sed etiam et maxime quia te summum bonum offendi,* etc. ; nam tunc motiva debito ordine conjunguntur.

Quomodo autem facile de attritione ad contritionem quis progrediatur , exemplo probat S. Alphonsus , in *Praxi confessarii,* cap. 1, n. 10.

N.° 43. De modo et tempore quo elici debet contritio ad Pœnitentiæ Sacramentum requisita.

An ad valorem et effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur contritio formalis seu explicita ?

In Sacramento requiritur contritio formalis seu explicita,

R. Affirmative : requiritur enim actus proprius contritionis, adeoque necesse est ut voluntas vere et explicite doleat ac detestetur peccatum, ut colligitur ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. III, ubi dicit : *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio ;* quæ verba proprie

et simpliciter intellecta, indicant veram et formalem contritionem, ita ut non sufficiat dolor virtualis seu implicitus in alio actu, qui non est contritio.

Hinc non sufficit dolor solum existimatus, sed debet reipsa existere, quæcunque peccata confitearis, sive mortalia, sive venialia. Ista existimatio, seu bona fides, potest quidem excusare pœnitentem a peccato sacrilegii, non potest tamen supplere defectum partis essentialis.

Nec sufficit dolor implicitus in sola voluntate in posterum non peccandi, cum propositum non peccandi de cætero stare possit cum complacentia de peccato præterito; quam tamen complacentiam necessario excludere debet dolor requisitus ad Sacramentum et remissionem peccatorum.

Nec sufficit dolor solum implicitus in desiderio absolutionis, seu in voluntate desiderante percipere fructum Sacramenti, aut in aliqua oratione, qua pœnitens solum petit veniam a Deo de peccatis suis; quia ibi non est formalis actus doloris.

Imo nec sufficit dolor virtualis seu implicitus in solo actu charitatis; quia licet actus dilectionis Dei, si sit perfectus, se solo sufficiat ad remissionem peccatorum, non tamen sufficit ad valorem et fructum Sacramenti, cujus pars essentialis est dolor formalis; quamvis in praxi vix fieri poterit, quin confessurus, adeoque de peccatis suis actu cogitans, si eliciat actum amoris Dei super omnia, non etiam formaliter doleat de peccatis suis, etsi forte fervore amoris absorptus, dolorem suum non advertat.

Quod attinet ad propositum non peccandi de cætero, an sufficiat implicitum, dictum est N. 17.

An contritio debet præcedere confessionem?

R. 1.° Certo debet præcedere *absolutionem*, quia est dispositio et materia ad illam. Et quidem tutius præcedit inchoatam absolutionem, licet non improbabile sit sufficere, ut eliciatur ante ultimum instans prolationis verborum formæ. præcedens saltem absolutionem.

2.° An vero ad valorem Sacramenti necessario præcedere debeat confessionem seu *accusationem*, disputatur, sed communius negatur, ut magis dicetur N. 50.

An contritio jam ante elicita debet esse actualis, seu actu formaliter existens in ipsa susceptione Sacramenti?

Sufficit tamen virtualis, seu actualis virtualiter perseverans,

R. Negative, sed sufficit ut ante elicita sub absolutione adhuc virtualiter perduret, sicque moraliter connexa sit cum absolutione sacramentali.

Non obstat quod in aliis Sacramentis major requiratur connexio materiæ et formæ ; quia Pœnitentiæ Sacramentum institutum est per modum judicii, quod facilius patitur moram aliquam inter dolorem, accusationem et absolutionem. Actualis tamen contritio est optima, quia magis disponit pœnitentem ad gratiam Sacramenti, et ideo pœnitentes sub prolatione formæ absolutionis contritionem utiliter renovant.

Quamdiu contritio censetur virtualiter perdurare, ut sufficiat ad Sacramentum?

sic ut censeatur satis connexa cum confessione et absolutione, ut cum iis totum sacramentale constituat.

R. Generatim, quamdiu censetur satis connexa cum confessione et absolutione, ut cum iis totum sacramentale constituat : in particulari vero id definiendum est ex circumstantiis.

Hinc validum censetur Sacramentum, dum quis mane dolens de peccatis proponit proxime confiteri, et post tres vel quatuor horas primum confitetur. Item, dum vesperi ad confessionem se præparans actum contritionis elicit, et mane confitetur, etiamsi tunc doloris actum non renovet. Idem videtur extendi posse ad longius tempus, prout fert intentio pœnitentis, qua præsentem contritionem refert ad Sacramentum hoc vel illo die suscipiendum : facile enim ipsa censetur virtute sua perdurare, dum ipsa postea movet ad confitendum. Unde S. Alphonsus, in *Hom. Apost.*, tract. 16, n. 20 : « Non dubito, inquit, asserere... semper perseverare dolorem saltem per unum aut alterum diem, dum confessio est doloris effectus. »

Nota 1.° In supradictis supponitur dolorem non fuisse retractatum seu revocatum, aut per actum contrarium, nimirum per novam complacentiam vel consensum in peccatum de quo doluit, aut per quodcunque peccatum mortale ; qui enim ante doluit de peccatis mortalibus, et iterum peccat mortaliter, utique per illum priorem dolorem non erit nunc dispositus ad Sacramentum.

Nota 2.° Ex supradictis etiam utcunque intelligitur, quomodo dormiens, vel in deliquium animi vel in delirium lapsus, possit habere contritionem sufficientem, ut in casu necessitatis absolvatur; censetur enim virtualiter perdurare ultima contritio, ante actu elicita. Attamen semel tantum in illo statu absolvi potest, donec aliqua mutatio illius status certiorem aliquam dispositionem probabilem faciat, iteratamque absolutionem suadeat.

Generatim quidem supponitur, quod omnes christiani cunctos suos actus contritionis, quos indies aut identidem eliciunt, referant ad Sacramentum in periculo mortis suscipiendum ; nihilominus pro majori securitate et utilitate multum expedit fidelibus commendare, ut illam intentionem forment et interdum renovent.

An dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus debet elici ex intentione suscipiendi Sacramentum ?

An debeat elici ex intentione suscipiendi Sacramentum.

R. Affirmant plures, quia alias non esset actio sacramentalis, sicut attactus instrumentorum in ordinatione sine intentione suscipiendi Sacramentum, non sufficeret pro materia ordinationis. Alii vero sustinent illam intentionem non requiri, sed sufficere, ut contritio a sacerdote in materiam Sacramenti assumatur ; quia Tridentinum contritionem exigens de hujusmodi intentione nihil dicit, et contritio sine illa intentione habere potest omnes conditiones a Tridentino recensitas. Juxta hanc sententiam, qui concione aliqua permotus conciperet dolorem, et contritionem eliceret, nihil cogitans de confessione, et postea, data occasione, ex desiderio consequendæ veniæ faceret confessionem, ita tamen ut ipsum dolorem ex aliqua distractione non renovaret, haberet dolorem sufficientem ad impetrandam gratiam Sacramenti. In praxi prior sententia tenenda est, cum agatur de valore Sacramenti.

An ad consequendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, præter dolorem requiruntur etiam explicite actus fidei et spei ?

An requirantur explicite actus fidei et spei.

R. S. Alphonsus, n. 439, sic resolvit : « Affirmant Concina, Hurt.... Negant vero Bon., Azor. et Escob., quia, ut dicunt, nulla sufficienti ratione probatur actus fidei et spei in confessione explicite requiri. At ipse Escob. et Lugo recte dicunt (has sententias optime conciliando)

quod, cum quis accedit ad confessionem vere pœnitens, necessario elicit explicite (non jam reflexe, sed quidem exercite) actus fidei et spei ; cum enim accedit ad recipiendam remissionem suorum peccatorum, procul dubio explicite etiam credit virtute Sacramenti illa sibi remittenda, et explicite sperat per Sacramentum Deum remissurum sibi peccata propter merita Christi. »

N.° 44. De institutione, necessitate ac utilitate confessionis.

S. Thom., Supplem., quæst. 6.

Errores circa confessionis institutionem et necessitatem.

Novatores, qui Sacramenti Pœnitentiæ virtutem aut necessitatem inficiantur, speciali quodam furore contra confessionem sacramentalem debacchari solent ; eamque, vel non a Christo institutam, sed ab hominibus inventam, aut saltem liberam esse contendunt, nequaquam vero ad peccatorum veniam obtinendam sive necessitate medii sive necessitate præcepti requisitam.

Jam medio ævo quidam, teste Alcuino eorum coætaneo, negarunt eam a Christo institutam aut præceptam fuisse. Sæculo XIV, Wiclef docuit eam non esse necessariam, ubi habetur contritio perfecta : quod damnatum fuit in Concilio Constantiensi. Lutherus modo agnoscit confessionem utilem, imo necessariam esse, modo eam vocat *cruentissimam animarum carnificinam*. Calvinus prius fassus est confessionem ab antiquis Ecclesiæ temporibus usitatam ac valde utilem esse, sed a Christo præceptam non fuisse ; postea eam vocavit *rem pestilentem, tyrannidem*, etc. Tandem sæculo elapso Eybel, doctor Vindebonensis, cum protestantibus ausus est impugnare confessionis antiquitatem et divinam institutionem, in opere germanico, quod condemnavit Pius VI, Const. *Mediator Dei*, 21 Nov. 1784.

Antequam contra hos omnes confessionis necessitatem et divinam institutionem probare aggredimur, præmittitur quæstio :

Quid est confessio sacramentalis ?

Definitio confessionis

R. Est voluntaria peccatorum suorum accusatio facta sacerdoti jurisdictionem habenti, ad remissionem

eorum impetrandam virtute clavium.

sacramentalis.

Dicitur *accusatio;* quia fieri debet per modum reprehensionis et vindictæ in seipsum ; et sic distinguitur a simplici narratione.

Dicitur *voluntaria,* et *peccatorum suorum,* ut excludatur ea quæ fit in foro externo delictorum alienorum accusatio, aut propriorum coacta confessio.

Dicitur : *sacerdoti jurisdictionem habenti ;* quia in ministro Sacramenti Pœnitentiæ requiritur potestas ordinis et jurisdictionis.

Dicitur : *ad remissionem eorum impetrandam ;* hic enim debet esse finis confitentis : unde si peccatorum manifestatio fiat solummodo consilii causa, aut intentione irridendi vel pertrahendi confessarium in peccatum, non erit confessio sacramentalis.

Ultimo additur : *virtute clavium ;* et ita sacramentales non sunt confessiones generales, quæ in officiis divinis recitantur.

Proba confessionem peccatorum mortalium post Baptisma commissorum ex institutione Christi necessariam esse ad eorum veniam impetrandam.

R. Propositio duo complectitur : confessionem a Christo institutam esse, tum eamdem esse necessariam ad peccatorum mortalium veniam impetrandam ; utrumque vero simul probatur.

Confessio peccatorum mortalium ex institutione Christi necessaria est ad veniam eorum impetrandam. Probatur.

Probatur 1.° Constat modo ex NN. 25 et 36, Sacramentum Pœnitentiæ esse a Christo institutum, et necessarium ad veniam impetrandam peccatorum post Baptismum commissorum : atqui confessio est pars essentialis Sacramenti ; ergo et ipsa a Christo instituta et eadem ratione necessaria est.

Minor probatur ex ipsis verbis institutionis hujus Sacramenti : ex illis enim evidens est, prout N. 25 dictum fuit, sacerdotes a Domino constitutos esse judices cum facultate ligandi et solvendi, seu retinendi ac remittendi peccata : jamvero nemo potest esse æquus judex in causa sibi incognita, adeoque sacerdotes debent cognoscere pœnitentium peccata ; atqui illa cognoscere non possunt nisi peccatores ea confiteantur ; ergo confessio peccatorum est pars essentialis Sacramenti, adeoque necessaria ex institutione Christi.

Prob. 2.° ex decisione Conc. Trid., sess. XIV, can. 6, tum can. 7 et 8, qui in limine hujus tractatus reperiuntur.

Prob. 3.° ex constanti universalis Ecclesiæ traditione et praxi, quæ non modo probant confessionem sacramentalem ab initio Ecclesiæ in usu fuisse, verum etiam habitam fuisse ut a Christo institutam et necessariam ad salutem.

Sæculo I, S. Clemens Rom., *II Epist. ad Corinth.*, cap. 8, fideles adhortans ad pœnitentiam in hac vita agendam ut salventur in altera, subjungit : *Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* Ergo jam tunc confessio in usu erat tanquam pars pœnitentiæ, et non secus ac ista necessaria peccatoribus ad salutem.

Sæculo II, Tertullianus in lib. *De Pœnitentia*, cap. 12, aperte confessionem vocat : *institutam a Domino exomologesim ;* necessitatem vero ejus sic exponit ibidem : *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit..... Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ* (Baptismi) *munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris ?* Eamdem necessitatem, cap. 10, adhuc pressius inculcat, sic interpellans eos quos pudor a confessione retraheret : *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi ?* Ergo si peccator non confiteatur ut absolvatur, latens seu peccatum celans damnatur. Omnino itaque exigit confessionem delictorum etiam occultorum. Ministros autem quibus confitendum est, designat cap. 9, ubi inter actus pœnitentis hunc enumerat : *Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari ;* ita ut dubium superesse nequeat, Tertullianum agere de confessione sacramentali sacerdotibus facienda.

S. Irenæus, ejusdem ætatis scriptor, de mulieribus a Marco præstigiatore seductis refert, *Adv. hæreses*, lib. 1, cap. 6, quod quædam crimen suum secretum confessæ fuerint, aliæ vero hoc ipsum veritæ de vita Dei desperaverint. Ergo ut prorsus necessaria ad salutem habebatur tunc hujusmodi confessio.

Sæculo III, Origenes plurimis in locis de confessione peccatorum agit. *Hom. 2 in Levit.*, n. 4, inter media

quibus impetratur peccatorum remissio, illud enumerat: *Cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quærere medicinam. Hom. 3 in Levit.*, n. 4, docet omnia peccata, etiam secretissima, et vel sola cogitatione commissa, proferenda esse in judicio et a diabolo publicanda; remedium vero indicat: *Si in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus.* Idem, *Hom. 2 in Psalm. 37*, n. 6: *Edocet nos Scriptura divina*, inquit, *quia oportet peccatum non celare intrinsecus.* Quod autem agat de confessione sacerdoti facienda et quidem de secreta confessione, liquet ex iis quæ subdit, tum de confessarii electione facienda: *Circumspice diligentius cui debeas peccatum tuum confiteri; proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere;* tum de non propalando delicto nisi ex maturo hujus consilio: *Si nimirum intellexerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt et tu ipse facile sanari.*

Verba S. Cypriani supra citantur N. 25.

Ex IV sæculo abundant Patrum testimonia: unum proferemus S. Basilii, qui in *Regulis brevioribus*, ad interr. 288 ait: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.*

Testimonia aliorum Patrum hujus sæculi, Hilarii, Ambrosii, Athanasii, Gregorii Nysseni, etc., tum sæculi sequentis, signanter Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, etc., require apud Bellarminum, aliosque.

Unum adhuc appellamus ex sæculo VI Fulgentium, qui formulam conscripsit confitendorum coram sacerdote peccatorum; inter quæ legitur hoc: *Ego corpus Domini et sanguinem ejus polluto corde et corpore sine confessione et pœnitentia sciens indignus accepi.* Quo sane demonstratur, confessionem SS. Eucharistiæ susceptioni, juxta Ecclesiæ mentem et disciplinam, necessario præmittendam fuisse ab iis qui se gravioribus delictis contaminassent.

His omnibus catholicorum doctorum et Patrum testimoniis accedit doctrina de divina confessionis institutione ac necessitate, tum confessionis usus constanter

vigens apud Græcos, Armenos, Coptos, Æthiopes et reliquas orientales sectas Nestorianorum et Monophysitarum, quæ a sæculo V ab Ecclesia Romana divisæ sunt ; de quibus consulatur Rénaudotius, *Perpétuité de la foi*, t. 5, lib. 3 et 4. Ergo jam ante illud tempus hæc communis erat fides omnium ecclesiarum ; nemo enim dixerit Orientales ab Ecclesia latina eam postea fuisse mutuatos.

Prob. 4.° argumento præscriptionis, quo vel solo ineluctabiliter probatur confessionem sacramentalem a Christo esse institutam et necessariam ad salutem. Constat enim, sæculo XV et XVI quo a novatoribus impugnari cœpit, istam communem omnium ecclesiarum tam Orientis quam Occidentis fidem fuisse; ergo semper eadem hæc fuit in universa Ecclesia etiam anterioribus sæculis. Alioquin enim novitas contra antiquam fidem in Ecclesiam introducta fuisset : quod impossibile probatur, eodem modo quo id præstitum fuit *De Eucharistia*, N. 23, quoad dogma de præsentia reali; multo vero minus hæc novitas in utramque Ecclesiam introduci potuisset post schisma Ecclesiæ orientalis. Locum citatum consule pro argumenti evolutione.

Ex dictis patet, quam absurda sit calumnia Calvini affirmantis confessionem inductam fuisse ab Innocentio III, in Conc. Later. IV ; scilicet, non magis tunc instituta fuit confessio quam communio, sed utriusque præceptum determinatum , sic ut tenerentur fideles saltem semel in anno et sacramentaliter confiteri et communicare.

Objectiones. Obj. 1. Ubi veteres de confessionis necessitate loquuntur, agunt vel de confessione publica, quæ ad disciplinam illius ætatis pertinebat , vel de confessione secreta soli Deo facienda. Unde S. Joan. Chrysost. : *Deus te confitentem solus audiat*, inquit; et alibi : *Dic Deo : Peccavi : nihil aliud abs te nisi solum istud exigo*. Ergo.

R. Neg. antec. Etenim in prolatis supra testimoniis et alibi, conceptis verbis loquuntur de confessione secreta sacerdoti facienda, eamque clare discernit Origenes, loc. cit., a confessione publica, quæ, in quibusdam saltem regionibus, usu obtinuit pro aliquibus delictis. Sed, nedum hæc universaliter commendaretur, ubi indiscrete fieret, reprehensa fuit a Pontificibus. Sic S. Leo,

Epist.136, carpit *illam* ut vocat, *contra apostolicam regulam præsumptionem,* qua quidam Siciliæ Episcopi cogebant pœnitentes omnia peccata publice proferre, et rationem addit : *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta.*

Quoad S. Chrysostomum, ipse in objectis textibus soli Deo confessionem faciendam esse dicit, ad exclusionem confessionis publicæ palam et coram omnibus faciendæ, non vero ad exclusionem ministerii sacerdotalis. Hoc itaque potissimum sensu dixit S. Chrysostomus soli Deo aperienda esse peccata, quia publice non sunt declaranda, tanquam *in theatro,* inquit, *nec ei qui ea palam exprobret et probris impetat.* Præterea soli Deo fieri dicitur confessio, etiamsi fiat per ministerium sacerdotis, tum quia sacerdos non suo, sed Christi nomine eam excipit, tum quia propter inviolabile confessionis secretum, perinde est ac si soli Deo intra conscientiæ arcana fieret; atque inde fit ut apud veteres confessio aliquando dicatur fieri soli Deo, aliquando Deo et sacerdoti.

Aliunde S. Chrysost. non uno loco sacramentalem confessionem ejusque necessitatem prædicat, signanter *Hom. 9 in Epist. ad Hebr.,* ubi docens quomodo oporteat medicamentum Pœnitentiæ adhibere, et se erga sacerdotes gerere, dicit oportere, ut pœnitens non in genere dicat : Sum peccator, sed peccata *per species cogitet et supputet et dicat : hoc et illud peccatum admisi.* Quid luculentius ?

Obj. 2.° Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, sæculo IV confessionem abrogavit, prout referunt Socrates et Sozomenus ; ergo tunc non habebatur ut necessaria ex institutione divina.

R. Neg. antec.; non enim confessionem sacramentalem abolevit Nectarius, sed munus tantum presbyteri pœnitentiarii, uti fatetur Dallæus, Calvini sui calumniam hic non approbans. Unde Sozomenus, qui factum illud enarrat, ipse observat, quod *in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat ;* et ex testimoniis S. Joannis Chrysostomi et Joannis Jejunatoris, qui post Nectarium sedem Constantinopolitanam occuparunt, certo constat usum confessionis in ea Ecclesia perdurasse. Si quæ igitur confessio a Nectario abolita fuit, non equidem

secreta , sed publica tantum secretorum peccatorum manifestatio, qualis manifestatio occulti delicti, a nobili fœmina cum diacono in ecclesia admissi, scandalo locum dederat et abolendo illi pœnitentiarii muneri, quod sæculo III post Decii persecutionem institutum fuerat, ut refert Socrates. Hoc igitur officio abrogato, modus confitendi ad pristinam simplicitatem rediit.

Obj. 3.° Ante Innocentii III tempora multi erant in ea sententia, quod sufficeret confessio soli Deo facta, ut testantur Magister Sententiarum, qui lib. IV, dist. 17, sententiam illam ut falsam opinionem rejicit quidem, sed non damnat ut hæresim, et Gratianus, qui *dist. 1, Causa 33, qu. 3, De Pœnit.*, liberum unicuique judicium in hac re permittit. Ergo.

R. Neg. conseq. Ante Conc. Later. IV pauci quidem in hac re errantes a perpetua Ecclesiæ traditione recesserunt ; multo autem plures veritatem etiam ante Conc. Later. strenue et constanter asseruerunt, uti, collectis eorum sententiis, probat Natalis Alexander, *Hist. Eccl.*, sæc. XIII, disp. XII. Priorum tamen opinionem ut hæresim non damnat Magister Sententiarum , vel quod nulla adhuc prodiisset solemnis Ecclesiæ definitio, vel quod ita sentientes potius ex ignorantia quam ex pertinacia errarent.

Circa textum Gratiani notandum, quod illa distinctio de Pœnitentia a multis non habeatur ut genuinus Gratiani fœtus ; quod præterea auctor ibidem, cap. 60, aperte sententiam amplectatur veram , peccata scilicet sine confessione oris non dimitti. Plerique insuper putant ibidem nequidem disseri de necessitate confessionis ex jure divino, sed de alia quæstione, nimirum, an peccata aliquando dimitti possint sine confessione per contritionem cum voto Sacramenti tantum ; vel juxta alios, de illa, an contritione perfecta ante confessionem delenda sint peccata, etsi postea ex præcepto Christi confessio subsequi debeat.

Obj. 4.° Incommoda confessionis : et 1.° quidem, dicunt moraliter impossibile esse peccata integre confiteri, vel ob defectum memoriæ, vel ob nimiam erubescentiam ; unde eam *tormentum* et *carnificinam animarum* vocant; 2.° confessionem perniciosam esse peccatoribus,

tum quia de materiali confessione solliciti, vix curant de peccatis dolere et se emendare, tum quia facilitate veniæ confisi peccata securius perpetrant, tum quia ex recordatione peccatorum facile in illicitas delectationes incidunt. 3.° Adduntconfessionem periculosam esse confessariis, qui ex auditione peccatorum crebro in tentationes et peccata proruunt : hinc *Constitutiones* editæ adversus *sollicitantes*, etc. — Ergo, concludunt, fieri non potest ut res adeo perniciosa a Salvatore sit instituta, et omnibus post Baptismum lapsis necessaria.

R. 1.° generatim, quod illa incommoda partim ficta sint aut exaggerata, partim ex hominum vitio et abusu proveniant, adeoque nihil probent contra divinam institutionem ; alioquin omnia Sacramenta pariter rejicienda forent , cum nulla sit res, quantumvis sacra , qua abuti non possit hominum malitia.

R. 2.° ad singula :

Ad 1um. Impossibilis quidem censeri posset confessio, si teneremur ad exprimenda illa peccata, quorum memoria haberi nequit ; sed, ex doctrina Conc. Trid., tenemur tantum ad confitendum illa, quæ post debitum ac diligens examen menti subeunt. Quod vero ad verecundiam spectat , dicendum cum eodem Conc., quod *ipsa hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur.* Idque tot exemplis comprobatur, quot peccatores confessione rite sunt usi et reconciliationem cum Deo adepti.

Ad 2um. Nulli peccatori perniciosa est confessio, nisi quis ea abuti velit ex malitia. Per se autem nedum obsit contritioni et emendationi, nata est et dolorem excitare et contra relapsum præmunire. Ipsi protestantes , ut Leibnitz , Starck, et alii citati apud Feller, Schefmacher et Bergier, fassi sunt nullum aptius frenum excogitari posse ad homines a vitiis retrahendos. Neque adeo periculosa est peccatorum recordatio , quæ fit in spiritu pœnitentiæ, uti hic fieri oportet.

Ad 3um. Confessarii periculum, si quod occurrat, orationis et gratiæ divinæ subsidio facile superant ; imo diuturna experientia constat, ipsos, dum debita prudentia illud munus adimplent , non solum inde

scandalum non pati, sed e contra in bono firmari et magnum thesaurum meritorum sibi comparare. Prætensis illis confessionis incommodis opponimus veras illius et maximas utilitates.

Quænam sunt utilitates confessionis ?

Confessionis utilitates.

R. 1.° Imprimis qui debite confitetur et absolutionem recipit, cum gratia sanctificante, quæ vi Sacramenti infunditur ex opere operato, obtinet præclaros illos pœnitentiæ effectus de quibus NN. 6 et 36.

2.° Necessitas peccata sacerdoti in confessione exponendi plures a peccatis retinet, qui aliter facile in ea prolaberentur.

3.° Recta consilia, instructiones, remedia quæ a confessariis proponuntur, non solum a peccatis retrahunt, sed ad virtutem maxime excitant. Quocirca dicit Catech. Rom., n. 45 : *Omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse.*

4.° Magna quoque utilitas reipublicæ accedit ex eo, quod multa mala, quæ judices civiles corripere nequeunt, per sacerdotes in confessione emendentur : auferuntur scandala, dimittuntur injuriæ, sedantur inimicitiæ, dissolvuntur contractus iniqui, reparantur injustitiæ, multaque impediuntur mala, quibus pax et tranquillitas publica graviter quandoque turbaretur.

N.° 45. De præcepto divino confessionis ; quos et quandonam obliget.

S. Thom., Supplem., quæst. 6, art. 3 et 5.

Confessio necessaria est necessitate medii

Quandoquidem confessio necessaria sit ad salutem eadem ratione ac ipsum Sacramentum Pœnitentiæ cujus pars est, sequitur illam, non secus ac istud, necessariam esse necessitate medii, in re vel in voto, omnibus post Baptismum in grave peccatum lapsis.

et necessitate præcepti divini.

Sed simul infertur, eam necessariam esse necessitate præcepti divini, quum nihil certius a Deo præceptum sit, quam ut adhibeatur medium ad salutem consequendam necessarium. Unde ad quæstionem :

An datur præceptum divinum confitendi?

R. Dari hujusmodi præceptum divinum confitendi et Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendi, fide certum est, ut colligi potest ex argumentis præc. N. productis, et definitum est in Conc. Trid., sess. XIV, can. 6.

Confirmatur ulterius ex eo, quod si lex adeo onerosa non fuisset a Christo data, sed jure mere ecclesiastico introducta, nec sine reclamationibus, nec in omnibus locis usu recepta fuisset; consuetudine etiam facile fuisset abrogata; aliqui tandem, maxime reges et principes, dispensationem impetrassent: atqui nihil horum contigisse legitur; ergo evidens est, quod ex jure divino ortum habeat.

Quosnam obligat præceptum divinum confitendi, seu Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendi?

Quosnam obliget præceptum divinum confessionis.

R. Obligat omnes baptizatos qui illius suscipiendi sunt capaces, et conscii sunt peccati mortalis nondum clavibus Ecclesiæ directe subjecti. Obligat autem aliquando per se, aliquando per accidens.

Quandonam obligat hoc præceptum divinum per se?

Quandonam obliget per se,

R. 1.° Obligat *per se* in periculo vero aut fundate præsumpto mortis, vel amentiæ, vel alterius impedimenti, ob quod prævidere quis potest, se nunquam habiturum occasionem confitendi peccata sua. Ratio est, quod ille qui in tali circumstantia non confiteretur, exponeret se periculo præceptum divinum nunquam adimplendi, adeoque censeretur illud non velle adimplere.

Quandonam habeatur tale periculum mortis, explicatur in tract. *De Eucharistia*, N. 65.

Porro ex necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, et præcepto divino confitendi et Eucharistiam sumendi in periculo mortis, sequitur medicos obligari ad suos ægrotos tempestive monendum, et coram Deo graviter reos esse, si periculum celando voluntarie sint causa, ut quis sine Sacramentis decedat.

2.° Extra mortis periculum, seu in decursu vitæ præceptum divinum confessionis etiam *per se* obligat eos qui mortaliter peccaverunt, ut communius et probabilius sustinetur. Idque supponere videtur Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, ubi, postquam animadvertit *jure divino necessarium et institutum esse*, ut Christifideles

confiterentur, addit, Ecclesiam statuisse, *ut præceptum confessionis saltem semel in anno,... impleretur.* Ergo determinavit tantum Ecclesia, ut illud ipsum præceptum jure divino institutum saltem semel in anno impleretur.

Revera Sacramentum Pœnitentiæ a Christo institutum est, tanquam medium ordinarium quo fideles obtinerent remissionem peccatorum mortalium et gratiam illa non amplius committendi, simul ac deterrerentur a recidiva ; ergo a peccatoribus illud adhibendum est, et non diutius differendum. Tempus autem quo hoc Sacramentum recipiendum est, a Domino non fuit determinatum, sed determinationi Ecclesiæ relictum. Unde recte videtur concludi, quod præcepto ecclesiastico satisfaciens eo ipso satisfaciat præcepto divino, quatenus per se obligat, licet præceptum contritionis citius obligare possit. Cfr. N. 23.

An in periculo mortis tenetur confiteri, qui non habet nisi peccata venialia, aut mortalia jam legitime in confessione exposita ?

R. Negative ; quia nullum habet peccatum, quod necessario in confessione exponi debeat : per accidens tamen ad confessionem teneri potest, vel ad avertendum scandalum, vel ad suscipiendam gratiam illius Sacramenti, si speciatim ea indigeat ad vincendas tentationes.

Quandonam præceptum divinum confessionis obligat per accidens ?

quandonam per accidens.

R. 1.° Obligat ante susceptionem Eucharistiæ illum qui sibi conscius est peccati mortalis nondum clavibus Ecclesiæ subjecti, ut dictum est *De Eucharistia,* N. 32 ; an vero teneatur ille, qui ante communionem recordatur peccati indirecte tantum clavibus subjecti, discussum est ibidem.

An similiter conscius peccati mortalis teneatur confiteri antequam suscipiat aliud Sacramentum vivorum, aut functionem sacram exerceat, an vero in his casibus sufficiat conteri, discussum fuit *De Sacramentis in genere,* NN. 37 et 45.

2.° Obligat generatim in omnibus casibus in quibus obligat præceptum contritionis, juxta dicta N. 23, quando scilicet in istis casibus peccator fundate dubitat,

utrum ad contritionem perfectam pertigerit. Cumque nemo facile præsumere debeat se ad eam pertigisse, consequens est, quod ordinarie in illis casibus confessio sacramentalis instituenda sit. Ideo qui curam habent salutis suæ, non diu post peccatum differunt confessionem.

3.° Obligat quoties confessio est medium necessarium ut aliquis gravem tentationem superet.

4.° Disputatur inter theologos, an præceptum confessionis obliget præcise ratione specialis periculi obliviscendi peccata, casu quo confessio differretur. Affirmant aliqui cum Catech. Rom., n. 59, quia tenemur procurare saltem per ordinaria media ut confessio sit integra, quale medium in casu esse dicunt, non ultra differre confessionem. Plerique tamen alii negant, quorum sententiam communem vocat S. Alphonsus, n. 665. Horum ratio est, quod pro integritate confessionis requiratur quidem diligens examen, uti præscribit Conc. Trid., sed ultra non requiratur diligentia summa et extraordinaria, qualis est indilata idcirco confessio.

N.° 46. De præcepto ecclesiastico confitendi, et tempore quo obligat.

S. Thom., Supplem., quæst. 6, art. 3.

An datur præceptum ecclesiasticum confitendi, et quandonam datum est ?

Præceptum ecclesiasticum confitendi

R. Affirmative ; recitatur inter quinque præcepta Ecclesiæ et datum est in Conc. Later. IV, sub Innocentio III, anno 1215, ac refertur in jure canonico, lib. 5 Decret., tit. 38, cap. 12, his verbis : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.*

Illud præceptum confirmavit Conc. Trid., sess. XIV, verbis N. præc. citatis ; et eos qui fideles illo præcepto ligari negaverint, anathemate percussit, eadem sess., can. 8.

Dicitur in citato capitulo : *Omnis utriusque sexus fidelis,* id est omnis baptizatus ; qui enim baptizati non sunt, legibus Ecclesiæ non subduntur.

Additur : *postquam ad annos discretionis pervenerit ;* antea enim peccare non potest, nec hujus Sacramenti suscipiendi capax est.

Verbis : *Omnia sua solus peccata confiteatur,* indicatur confessionem debere esse integram ; dicitur autem *solus,* ad significandum quod confessio secreta, non vero publica esse debeat.

Quis intelligitur per proprium sacerdotem ?

proprio sacerdoti,

R. Secundum modernam Ecclesiæ disciplinam intelligitur omnis sacerdos habens jurisdictionem in confitentem, juxta dicenda N. 65 et seq.

Qualem confessionem præscribit præceptum ecclesiasticum confitendi semel in anno ?

qualem confessionem præscribat,

R. Præscribit confessionem sacramentalem, quam comitentur contritio, absolutio et satisfactio ; id est, susceptionem integri Sacramenti Pœnitentiæ. Constat ex eo quod præceptum ecclesiasticum sit determinativum præcepti divini ; hoc autem ipsam Sacramenti susceptionem præscribit, ut ex allatis argumentis liquet. Patet etiam ex eo quod Conc. Lateranense jubeat, ut pœnitens *injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere ;* pœnitentia autem sacramentalis non imponitur, nisi absolutio concedatur.

Hinc deducitur, præcepto confessionis divino aut ecclesiastico non satisfacere, qui omnia sua peccata confitetur, sed absolutionem non percipit, sive ob defectum contritionis, sive quia casui reservato obnoxius est, a quo confessarius absolvere non potest, sive alia quacunque de causa.

Item sequitur, non satisfieri per confessionem sacrilegam aut aliter invalidam. Hinc damnavit Alexander VII hanc propositionem 14^am^ : *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Qua parte anni institui debet annua confessio ?

qua parte anni instituendam.

R. Præceptum Ecclesiæ secundum se non requirit ut certo anni tempore, sed tantum ut *saltem semel in anno* Sacramentum Pœnitentiæ suscipiatur. Licet autem qui semel in decursu anni est confessus, non teneatur vi

præcepti ecclesiastici confiteri in Quadragesima vel tempore paschali, solent tamen omnes fideles confiteri circa Pascha, ut se præparent ad sacram communionem, quæ tunc sumenda est ex præcepto Ecclesiæ. Et illum quidem morem maxime laudat Trid., sess. XIV, cap. V, dicens : *Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ : quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum.*

Nota, quod olim Synodus provincialis Mechliniensis anni 1570, tit. 1, cap. 5, præceperit pastoribus, ut illos qui tempore Quadragesimæ confessi essent, in registro describerent, nec alios, quam sic descriptos, ad Sacramenta, etiam Matrimonium, aut sepulturam admitterent. Mos ille in registro annotandi confessos tempore Quadragesimæ in nostra diœcesi obsolevit, sed tenentur tamen parochi invigilare, ut omnes subditi præcepto satisfaciant.

A quo tempore computandum est initium anni intra quem Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum est ?

A quo tempore computandum sit initium anni.

R. Non conveniunt theologi : alii initium anni statuunt a prima Januarii ; alii a tempore paschali ; alii ab ultima confessione. Juxta omnes præcepto satisfit, dum confessio singulis annis instituitur circa Pascha, ut moris est, et habet communis fidelium apprehensio.

An qui integro anno non est confessus, tenetur quamprimum confiteri ?

Qui integro anno non est confessus tenetur quamprimum.

R. Affirmative ; quia tempus unius anni non determinatur ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam obligationis adimpletionem, ut in simili casu dictum est de communione paschali ; *De Eucharistia*, N. 39.

Proinde qui post annum elapsum negligit confiteri, continuat et indies auget peccatum suum omissionis.

Juxta plures non tenetur anno sequenti bis confiteri, quia, ut ait Neesen, sic usu receptum est, et substantia præcepti posita fuit semel eo anno confitendo.

Multi tamen aliter sentiunt, et putant manere obligationem anno currente iterum confitendi, saltem si peccator post primam illam confessionem et ante finem anni in peccatum aliquod mortale incidat. Et hoc probabilius

censet S. Alphonsus, casu quo in priori confessione nulla peccata mortalia currentis anni confessus fuisset ; secus vero, si cum peccatis anterioris anni exposuisset saltem aliquod mortale hoc anno admissum.

An peccator qui initio vel in decursu anni prævidet circa finem impedimentum obventurum, tenetur jamjam confiteri?

Tenetur nunc qui prævidet postea obventurum impedimentum.

R. Affirmative ; quia tempus implendi præceptum modo currit, sicuti similiter agendum est, quando incepta quindena paschali prævidetur impedimentum communioni circa finem obventurum, ut *De Euchar.*, N. 60, dictum est.

Quare Conc. Lateranense statuendo confessionem semel in anno instituendam esse, addit verbum saltem ?

R. Quia fieri potest ut divinum præceptum sæpius in anno obliget, ob periculum mortis vel alias causas præc. N. designatas. Insuper dici potest, Concilium per illam vocem voluisse insinuare, quod desideret et utile judicet, ut fideles pluries in anno confiteantur.

N.° 47. Quinam obligentur præcepto annuæ confessionis.

In præcepto Ecclesiæ N. præc. citato, generatim quidem præcipitur annua confessio omnibus utriusque sexus fidelibus qui ad annos discretionis pervenerunt : specialis tamen est difficultas quoad pueros, et illos de quorum usu rationis dubitatur ; tum quoad mutos qui ore confiteri nequeunt ; ac tandem quoad eos qui non nisi venialia admiserunt. Ideo de his in particulari inquiritur in sequentibus quæstionibus.

I. *Quandonam censetur puer ad annos discretionis pervenisse, ita ut ob hujus defectum non eximatur ab obligatione annuæ confessionis ?*

Quandonam censeatur puer ad annos discretionis pervenisse,

R. Quando talem rationis usum adeptus est, ut sufficienter discernere possit inter bonum et malum morale ad peccandum etiam mortaliter, et sufficientem Sacramenti notitiam acquirere. Unde dicit Catech. Rom., *De Pœn. Sacram.*, n. 58 : *Illud universe statuendum videtur, eo tempore confessionem puero indictam esse, cum inter bonum et malum discernendi vim habet in ejusque mentem dolus cadere potest. Nam cum ad id vitæ tempus quisque*

pervenerit, in quo de salute æterna deliberandum est, tum primum sacerdoti peccata confiteri debet; cum aliter salutem sperare nemini liceat, qui scelerum conscientia premitur.

Ut judicetur puerum tali discretione frui, non sufficit quod discernere possit inter bonum et malum sensibile, vel inter verum et falsum, ad quod minor usus rationis requiritur quam ad discernendum inter bonum et malum morale ; neque sufficiens indicium est quod dicat mentiri esse malum, eo quod propter mendacium a patre fuit punitus ; sed probabilius erit signum si matri suadenti mendacium aut furtum respondeat sponte, id esse malum vel Deum offendere, aut si se abscondat ad malum turpe perpetrandum.

II. *In qua ætate perveniunt pueri ad usum rationis sufficientem ut sciant discernere inter bonum et malum morale?*

R. Illa ætas generatim definiri non potest, cum usus rationis in aliis citius, in aliis serius adveniat, ratione temperamenti, educationis, exercitii, etc. Communiter quidem pueri eo perveniunt circa annum ætatis septimum vel octavum. Attamen S. Gregorius M., *Dialog.*, lib. 4, cap. 18, refert puerum quinquennem mortuum et damnatum fuisse ob blasphemias quas proferre solitus erat ; Gerson quoque, tract. *De arte audiendi confessiones*, part. 2, affirmat se experientia didicisse istius ætatis pueros fuisse inquinatos peccatis carnalibus : adeo ut aliquando dicere liceat cum S. Augustino : *Tantillus puer et tantus peccator.* qua ætate.

Ordinarie vero pueri quinque vel sex annorum sufficientem discretionem non habent ad peccandum, adeoque præcepto non tenentur, neque absolvendi sunt, sed cum blanda monitione et benedictione dimittendi.

Interim omnes pueri istius ætatis a parochis ad confessionem invitandi sunt, tum ut videatur num forte peccaverint, tum ut confiteri discant et assuescant, atque monita salutis accipiant, quibus ad vitam christianam efficaciter excitari solent.

Quoad pueros septem, octo, vel novem annorum, cum hi ordinarie sufficientem usum rationis habeant ad peccandum, tenentur parochi et parentes procurare, ut saltem semel in anno ad confessionale accedant.

A fortiori hoc dicendum est quoad pueros decem,

undecim, vel duodecim annorum, licet nondum satis instructi sint ut ad primam communionem admittantur. Non raro enim hujusmodi pueri peccati etiam mortalis rei deprehenduntur; et tunc certo ad confessionem obligantur, pro qua minor requiritur discretio quam pro communione, ut *De Euchar.*, N. 44, dictum fuit.

III. *Quandonam pueri confitentes absolvendi sunt?*

Quandonam pueri sint absolvendi.

R. In quacunque ætate puer peccati mortalis reus inveniatur, a confessario excitari debet ad contritionem, et absolvi, nisi sit ex iis qui propter pravam consuetudinem, etc., indispositi judicantur.

Si puer tantum venialiter peccaverit et dispositus appareat, absolutio quoque sine speciali ratione ei differenda non est, ne gratia Sacramenti diutius privetur : quod imprimis tunc obtinet, ubi subest dubium an mortale aliquod lateat peccatum.

Ex dictis patet, culpabilem fore confessarium, qui generaliter non absolveret pueros, nisi cum ad primam communionem proxime præparantur; nam illos qui graviter peccarunt, in Dei inimicitia diu relinqueret cum gravi eorum detrimento spirituali ac ipsius æternæ salutis periculo, nec satis provideret ut hi pueri adimpleant præceptum confessionis annuæ.

Ad temperandam formidinem absolvendi parvulos, juvat considerare cum Steyaert, *Append. 43* : « Puerilia vitia virilem pœnitentiam non requirere, sed tantum ætatulæ motivisque illi accommodis correspondentem. » Neque ut signum indispositionis habendum est, quod pueri circa ipsum confessionale conspiciantur quædam puerilia agere, ludere, ridere, etc., cum hæc pertineant ad naturalem levitatem et inconsiderationem istius ætatis, et in se gravia non sint.

Studeat autem confessarius motiva contritionis suggerendo sua verba eorum captui accommodare, implens illud Apostoli I, Cor. IX, 22 : *Omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaciam.* Modus aptus eos excitandi ad contritionem videri potest apud S. Alphonsum, in *Praxi confessarii*, n. 91.

In hac diœcesi insuper serventur, quæ circa confessionem puerorum præscribuntur in Statutis diœcesanis, n. 286-289.

IV. *An confessarius potest aut debet absolvere puerum, de quo dubitat an sufficienti usu rationis polleat ?*

De iis quorum sufficiens rationis usus est incertus.

R. 1.° Si ille puer versetur in periculo mortis, absolvi potest ac debet, ne, si forte sit reus gravis peccati et tantum imperfecte contritus, ob negatam absolutionem salutis dispendium patiatur ; sed addi tunc debet saltem interne conditio : *si peccasti,* vel : *si es capax,* juxta dicta N. 34.

R. 2.° Extra periculum mortis, talis puer confitens peccata quæ essent mortalia casu quo adfuerit sufficiens usus rationis, etiam absolvi debet sub eadem conditione, si perduci possit ad dispositionem quæ videtur legitima ; ratio est, quod alias diu relinqueretur forte in statu peccati mortalis contra præceptum divinum, et cum periculo in illo moriendi aut etiam prolabendi in plura peccata.

R. 3.° Extra periculum mortis talis puer non confitens nisi venialia, absolvi potest sub eadem conditione, præsertim si detur ratio timendi ne forte sit obnoxius peccato mortali occulto, in sequentibus casibus :

Primus casus est, dum confitetur puer ad implendum præceptum confessionis annuæ. Ita S. Alph., *Homo Apost.*, tract. ult., n. 38, aliique. Pro ratione allegant quod adimpletio præcepti, ad quod forte tenetur, sit sufficiens ratio Sacramentum dubium sub conditione conferendi.

Secundus casus est, si talis puer Sacramentum Confirmationis suscipere debeat. Si tamen vixerit adeo christiane ut omnino confidere liceat, quod mortali obnoxius non sit, poterit etiam sine absolutione ad Confirmationem admitti.

Tertium casum, sed minus certum, tradit S. Alphonsus, loco cit., his verbis : « Probabiliter plures doctores dicunt, quod pueri isti dubie dispositi absolvi possunt, saltem post duos vel tres menses, sub conditione, licet sola venialia afferrent ; ne careant diu gratia sacramentali et forte etiam sanctificante, si forte aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium, ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio. »

Nota. Idem quod de pueris quorum sufficiens usus rationis est incertus, dicendum est de adultis semiamentibus, de quibus dubitatur utrum habeant vel unquam habuerint usum rationis sufficientem ad peccandum : nimirum quod et illi ad confessionem invitandi sint et absolvendi, non tantum in periculo mortis, sed saltem semel in anno, imo, juxta plures, sæpius in anno. Forte enim pollent usu rationis sufficiente et obliganțur præcepto confessionis ; neque ipsi diu relinquendi sunt in statu dubio peccati mortalis. Merito advertunt plures theologi, facilius absolvi posse qui non nisi in certo quodam genere delirant, in iis vero sapiunt quæ Deum ejusque cultum concernunt.

V. *An muti qui oraliter confiteri non possunt, obliganțur præcepto confessionis ?*

De mutis. R. Affirmative, dum nempe baptizati sunt et ad annos discretionis pervenerunt: unde et hi de Sacramenti virtute et dispositionibus ad illud suscipiendum requisitis, in quantum fieri potest, instrui debent.

Neque obstat quod illi ore confiteri nequeant, quandoquidem sufficiat ut aliis modis per nutus, scripturam, etc., peccata sua in quantum possunt explicent. Et si forte materialis integritas haberi non possit, formalis tamen adest et sufficit, ut dicetur N. 53.

Circa confessionem surdo-mutorum monet S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 102, et *Homo Apost.*, tract.ult., n. 44 : « Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad ejus confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest. Sed priusquam eum audiat, curet confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis et de modo tenendo ut eum percipiat et ab eo percipiatur ; et cum aliquod jam perceperit ejus particulare peccatum cum signo doloris, illum debet absolvere. »

VI. *An obligatur præcepto confessionis annuæ qui solum venialiter deliquit ?*

De iis qui venialiter tantum peccaverunt. Ante responsionem nota : 1.° Omnes theologi docent, atque ut certum habendum est, talem non teneri præcepto quatenus est divinum, quia hoc præceptum non concernit nisi peccata mortalia. 2.° Etiam certum

videtur, contra Soto et paucos alios, quod Ecclesia potuerit in lege sua illos comprehendere, qui non nisi venialia commiserunt ; quia confessio venialium est opus bonum, utile et meritorium, adeoque ab Ecclesia præcipi potest.

Sed quæstio tantum est, an Ecclesia de facto velit in sua lege : *Omnis utriusque sexus*, etc., comprehendere illos qui sola venialia commiserunt.

R. De eo non conveniunt theologi. Nonnulli, inter quos Alensis et S. Bonaventura, affirmant. Hi sententiam suam probant ex eo quod præfatus canon universaliter loquatur, neminem excipiens et nullam faciens distinctionem, adeoque et illos comprehendat qui tantum venialiter peccaverunt. Confirmant autem ex eo quod Ecclesia pœnas gravissimas statuerit contra transgressores, quas frustra intentaret, nisi omnes præcepto obligarentur : quum negligentes facile possent se eis subtrahere, dicendo se nullius mortalis delicti conscientiam habere.

Alii vero communiter, saltem post Concilium Trid., negant talem præcepto ecclesiastico annuæ confessionis teneri ; quorum sententiam et communem et veriorem vocat S. Alphonsus. Probatur autem ex eo quod præceptum ecclesiasticum est tantum determinativum juris divini quoad confessionis tempus, nihil innovans circa ejus substantiam, uti constat ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, dicente : *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenerint, impleretur.* Atqui præceptum divinum non obligat ad confessionem venialium ; ergo.

Confirmatur ex eo quod eod. cap. docet idem Conc. : *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit.... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Ergo in Ecclesia non exigitur, ut venialia quis confiteatur. Confirmatur etiam ex ipso textu canonis Conc. Later., quo præcipit, ut fideles confiteantur *omnia sua peccata fideliter* : quod sane non

nisi de omnibus mortalibus est intelligendum, cum omnia venialia confiteri certo nec debeant, nec possint.

Addunt tamen plerique patroni hujus sententiæ, quod ille qui non habet nisi venialia, teneatur nihilominus se præsentare ad tribunal confessarii, eique hoc declarare. Quod etiam animadvertit S. Thomas, qui *Suppl.*, q. 6, art. 3, postquam in corpore primam sententiam proposuerat, ad 3um hanc simul indicans, addit : *Et secundum hoc, etiam ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium ; sed sufficit ad Ecclesiæ præceptum implendum, ut se sacerdoti repræsentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse, et hoc ei pro confessione reputatur.* Et q. 8, art. 3, ad 4, eamdem conclusionem proponens, subjungit : *Et sacerdos ei in foro conscientiæ credere debet et tenetur.*

Pro praxi tandem observa, quod obligatio illorum qui mortaliter non peccaverunt, cum sit valde incerta, non possit tanquam certa imponi : omnibus tamen suadendum est ut præceptum confessionis annuæ observent ; neque expedit in catechismis aut concionibus hujus controversiæ mentionem facere, quia id facile pios offendere posset, tepidis vero et iniquis ansam præbere eludendi monita pastorum.

N.° 48. De pœnis annue non confitentium, et de causis excusantibus.

Quas pœnas incurrit ille qui negligit confessionem annuam ?

Pœnæ non confitentium annue.

R. Easdem ac ille qui non communicat in Paschate : in cap. *Omnis utriusque sexus,* ubi utrumque præceptum simul datur, decernitur, ut violator præcepti *vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*

Sed pœnæ illæ, prout *De Eucharistia,* N. 63, ex communi sententia contra paucos, fuit dictum, non ipso facto incurruntur, sed sunt sententiæ ferendæ. Adeoque parochus propria auctoritate nihil attentare potest, sed servet agendi rationem indicatam cit. N., ubi notatur, ne quidem, inconsulto Ordinario, ad privationem sepulturæ esse procedendum cum iis, de quibus *publice*

constat quod Ecclesiæ præceptum violaverint et absque ullo signo pœnitentiæ obierint; licet hi, ex Rituali Romano, *ipso jure* ab ecclesiastica sepultura excludendi sint.

Pueri autem ab his pœnis eximi solent ante annos pubertatis, juxta communem interpretationem. Suarez, disp. 36, sect. 8, n. 5.

Quænam causæ excusant a transgressione formali præcepti et consequenter liberant a pœnis?

R. Impotentia physica vel moralis, aliæque causæ ob quas lex humana cessare quandoque potest. De quibus disseritur in tract. *De legibus*. Causæ excusantes.

Nota, quod possint omnes confessarii confessionem audientes prolongare terminum confessionis annuæ vel differre absolutionem ad modicum tempus, ex rationabili causa concernente ipsam confessionem sacramentalem. Hujusmodi causæ sunt: si procuranda sit absolutio a censuris vel casu reservato; si confessio generalis instituenda sit; si pœnitens debeat prius instrui de scitu necessariis, aut melius disponi ad susceptionem Sacramenti.

Si vero causa dilationis confessionem non concernat, licentia a parocho concedenda est.

N.° 49. De frequenti confessione.

Sicuti usus confitendi venialia, ita frequentis confessionis adversarios, post Lutherum, se fecerunt Janseniani, contra quos utilitatem confessionis venialium in genere modo demonstravimus N. 29; hic vero de frequenti confessione seu frequenti usu Sacramenti Pœnitentiæ ulterius inquiritur.

An confessio frequens est consulenda?

R. Per se est omnino consulenda; quia in susceptione hujus Sacramenti multarum virtutum actus exercentur, uberrimi salutis fructus percipiuntur, et medium efficacissimum invenitur ad præcavenda peccata et progrediendum in virtutibus. Hanc praxim etiam exemplo suo comprobarunt viri sanctissimi, præsertim posterioris ætatis. Sic quotidie levissima quæque confitebatur S. Carolus Borr., qui, ut scribit vitæ ipsius auctor, summam hac via consecutus est cordis puritatem, quam in ipso hodieque demiramur. Frequens confessio per se consulenda,

Hinc S. Franciscus Sales., in *Introd. ad vitam devot.*, p. 2, cap. 19, postquam commendavit ut quilibet statim post peccatum commissum confiteatur, addit : *Humiliter et devote singulis octiduis confitere, et, si fieri potest, quotiescunque ad sacram communionem accedes, etiamsi nullum peccati mortalis in conscientia tua remorsum sentias ; per confessionem enim non tantum recipies absolutionem venialium peccatorum quæ confiteberis, sed et magnum robur ad ea in posterum evitanda, magnum lumen ad ea bene discernenda et abundantem gratiam ad omnem jacturam quam tibi intulerant, reparandam. Insuper exercebis virtutes humilitatis, obedientiæ, simplicitatis et charitatis ; imo in hoc solo confessionis actu plures virtutes quam in alio quocunque exercebis.*

Frequens confessio imprimis suadenda est sacerdotibus et cæteris clericis, religiosis ac monialibus ; tum quia ab Episcopis et religiosorum Ordinum institutoribus præcepta vel summopere commendata est, tum quia vi status quem amplexi sunt, ad vitam perfectiorem tenentur, atque experientia constat, vix contingere ut ad perfectionem quis perveniat atque in ea perseveret, nisi per frequentem usum confessionis. Cfr. Rodriguez, *Exercitium perfectionis*, p. 3, tract. 7, cap. 2.

subsequente absolutione,

Merito autem advertit Ill. Humbertus a Præcipiano, in Epist. past. 12 Octob. 1692, cap. 14, sanctissimos viros frequentem confessionem non præscripsisse consilii tantum aut remedii petendi causa, quin solliciti essent utrum absolutio semper subsequeretur necne ; additque necessariæ contritionis obtinendæ difficultatem exaggerandam non esse : « Salesium, inquit, audiamus, cujus unius auctoritas nobis plurimorum instar est. *Quæris*, inquit ille, collat. 18, *quomodo contritionis tuæ actum exiguo tempore elicere possis ? Dico tibi vix opus esse tempore, ut rite eliciatur ; cum tantum opus sit se coram Deo prosternere in spiritu humilitatis et doloris, quod ipsum offenderis.* Nam, ut ait S. Augustinus, *Contra Cresc.*, lib. 2, cap. 9: *Sive ad malum, sive ad bonum parvo momento animus commutatur.* »

per accidens dissuadenda.

Dictum est frequentem confessionem *per se* consulendam esse, quia *per accidens* fieri potest ut frequens

confessio ad tempus dissuadenda sit, ut si pœnitens inde sumat occasionem scrupulorum, si quis in frequenti confessione quærat immeritum pietatis nomen, aut humanum solatium, vel occasionem loquendi cum confessario, potius quam animæ profectum.

Nota, quod frequens confessio non tantum utilis sit piis et devotis hominibus, sed iis quoque qui in gravia peccata prolabi solent ; imo pro quibusdam recidivis et consuetudinariis fere unicum est efficax emendationis remedium.

N.° 50. An confessio aut Sacramentum Pœnitentiæ possint esse informia.

S. Thom., Supplem., quæst. 9, art. 1.

Prænotandum. Sub nomine confessionis *informis* duo distincta veniunt, prout confessio sumitur pro ipso Sacramento Pœnitentiæ, vel pro parte illius materiali tantum, et de utroque hic quæstio versatur.

Quid sit Sacram. Pœnitentiæ informe,

Ex tractatu *De Sacram. in gen.* colligitur quid sit Sacramentum informe, seu validum sed infructuosum : unde Sacramentum Pœnitentiæ informe esset Sacramentum validum quidem, sed non conferens gratiam propter aliquem obicem.

quid confessio informis.

Confessio vero, quatenus nempe est pars Sacramenti, non uno sensu dicitur informis. S. Thomas, loc. cit., eam sic vocat, dum non est formata charitate, seu dum fit in statu peccati mortalis. Jam vero ad valorem Sacramenti non requiri, ut sic confessio sit informata charitate, satis constat ex antedictis, cum ad valorem Sacramenti non requiratur nisi contritio imperfecta, per se non justificans, seu non inducens habitum charitatis ; et alioquin Sacramentum potius dicendum esset vivorum quam mortuorum.

Alii confessionem informem vocant, quæ fit absque prævia contritione saltem imperfecta, et de hac præsertim inquiritur :

An ad valorem Sacramenti sufficit confessio quæ fit absque contritione prævia, sic tamen ut contritio imperfecta accedat ante absolutionem ?

An ad valorem Sacramenti sufficiat confessio informis, defectu præviæ contritionis.

R. Negant Layman, Neesen, Concina et pauci alii pro ratione allegantes, quod ad valorem Sacramenti, non sufficiat mera narratio peccatorum, sed requiratur accusatio dolorosa ; deinde quod contritio tanquam materia hujus Sacramenti debeat esse sensibilis, talis autem reddi non possit, nisi per confessionem dolorosam.

Suarez vero, Lugo, Salmant., Billuart, et alii communius affirmant, et dicunt confessionem satis esse dolorosam ex eo quod peccata confessario declarentur in ordine ad absolutionem obtinendam. « Imo, dicit Billuart, diss. 4, art. 8, ipse dolor sequens aliquo sensu præcedit et influit in confessionem, in quantum quamdiu pœnitens flectit et humiliter petit seu exspectat sententiam judicis, tamdiu censetur moraliter perseverare in facta confessione, eamque ipso facto continuare. » Eadem ratione per illam confessionem facto continuatam sufficienter redditur sensibilis contritio, et sufficienter manifestatur confessario. Huic sententiæ favet Rituale Rom. dicens : *Audita confessione, confessarius ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur :* supponit enim hoc monitum sufficere dolorem elicitum post confessionem.

Cæterum, ut observat S. Alph. utramque sententiam concilians, n. 445, quando primæ sententiæ patroni dolorosam confessionem requirunt, nihil aliud videntur exigere, nisi ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed ut sit accusatio sui in ordine ad absolutionem obtinendam.

Igitur in praxi dum confessarius post confessionem debite factam excitavit pœnitentem ad contritionem, non tenetur ordinarie ipsum inducere ad novam confessionem in genere faciendam ; tum quia supponi potest quod pœnitens ante confessionem actum contritionis elicuerit, tum quia, si omiserit, equidem confessio per subsequentem contritionem fit sufficienter dolorosa.

Dicitur : *non tenetur ;* quia utiliter facere potest : sic enim pœnitens ad percipiendos Sacramenti fructus melius disponitur.

Dicitur : *ordinarie* non tenetur ; quia si pœnitens peccata simpliciter narrasset confessario sine intentione obtinendi absolutionem, aut ex malo fine, et deinde,

mutato animo et elicita contritione, cuperet absolvi, deberet prius, detecta et detestata prava intentione, si talem habuerit, induci ad novam confessionem, non singula peccata repetendo, sed in generali dicendo : *Accuso me de peccatis statim expositis*, vel ad interrogationem confessarii : *Accusas te de prædictis peccatis?* respondendo : *ita*, vel *me accuso :* sic enim habetur sufficiens accusatio peccatorum in ordine ad absolutionem obtinendam.

In catechismis autem et concionibus actus pœnitentis semper recenseri debent hoc ordine : contritio, confessio et satisfactio. Præterea fidelibus commendandum est, ut semper actum contritionis eliciant priusquam intrent in confessionale, ne explicatione peccatorum præoccupati illum elicere obliviscantur.

Jam circa alteram quæstionem, petitur :

An sacramentum Pœnitentiæ potest esse informe, id est, validum sed non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis?

An detur Sacram. Pœnitentiæ informe.

Ante responsionem, nota 1.° quod cætera Sacramenta, v. g. Baptisma, esse possint informia defectu contritionis, quia ab una parte hic defectus obesse potest gratiæ percipiendæ, ab alia vero parte non obest valori Sacramenti, siquidem contritio non pertinet ad ejus essentiam. Sed cum contritio sit de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, defectus ejus obstans effectui Sacramenti, videtur etiam obesse valori.

Nota 2.° quod nonnulli auctores existimaverint Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum licet infructuosum, etiamsi quis scienter omitteret omnem dolorem internum ; quia ad valorem Sacramenti sufficere aiebant contritionem oris, contritionem vero cordis requirebant tantum ad fructum Sacramenti percipiendum. Pro hac sententia citabant S. Thomam, *Suppl.*, q. 9, art. 1, dicentem : *Confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere sacerdoti, et clavibus Ecclesiæ se subjicere; et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.*

Verumtamen sententia illa antiquata videtur et nullum forte patronum amplius conservat ; ejusque fundamentum, quod nimirum ad valorem Sacramenti sufficiat contritio oris, evertitur a Concilio Florent., quod tanquam materiam hujus Sacramenti manifeste requirit *cordis contritionem*.

Ad S. Thomam vero respondent quidam sensum ejus esse, quod repeti non debeat eorumdem singulatim peccatorum confessio, si pœnitens postea confiteatur eidem confessario adhuc memori status sui.

Alii simpliciter agnoscunt S. Doctorem hic a communi sententia recedere, sed hanc opinionem, ex *Comment. in lib. IV Sentent.*, dist. 17, depromptam, postea implicite retractasse, dum dist. 23, q. 1, art. 4, docet, Sacramentum Pœnitentiæ habere effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, nimirum *remissio peccatorum, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ*. Unde videtur inferendum, S. Thomam in nullo casu Sacramentum Pœnitentiæ validum sed infructuosum admisisse, quidquid antea scripserit.

Nota 3.° Plerique auctores qui cum Suarez, La Croix, etc., admittunt dari Sacramentum Pœnitentiæ informe, supponunt pœnitentem vere contritum de peccato quod confitetur, sed ex motivo particulari, non se extendente ad omnia mortalia commissa, sufficiente tamen, juxta ipsos, ad valorem Sacramenti ; adeo ut simul consistere possit obex gratiæ ex defectu contritionis super mortali aliquo inculpabiliter omisso. Peccator v. g. commisit furtum et perjurium : de furto dolet ex speciali motivo virtutis justitiæ, illudque confitetur et absolvitur ; de perjurio autem inculpabiliter non cogitat, aut veniale reputans, negligit de eo conteri et confiteri.

Quæritur an in his et similibus casibus Sacramentum habendum sit ut validum, licet infructuosum, et an verum sit, quod inde concludunt, confessionem istam postea non esse iterandam.

R. Multi auctores cum Suarez, La Croix, Lugo, et Thomistis antiquioribus communiter, tenent partem affirmativam, Sacramentum scilicet in casu validum esse sed infructuosum, et, remoto obice, reviviscere. Horum sententiam probabiliorem vocat S. Alphonsus, n. 444.

Alii vero communiter cum Billuart, Henno, etc., Sacramentum in casu invalidum esse censent, nisi talis habeatur contritio, quæ se extendat, saltem virtualiter, ad omnia mortalia commissa : in nullo autem casu Sacramentum Pœnitentiæ informe seu validum et infructuosum admittunt.

Probatur hæc sententia 1.° ex doctrina Conc. Trid., quod nullibi insinuat alium requiri dolorem ad valorem Sacramenti, alium vero ad effectum ; sed e contra eodem tenore verborum contritionem tum ad Sacramentum, tum ad effectum ejus necessariam dicit. Ita sess. XIV, cap. III, postquam dixerat quod quasi materia hujus Sacramenti sunt ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio, addit: *Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Prob. 2.° ex eo quod contritio sacramentalis debeat esse conjuncta cum aliquo amore Dei super omnia: hic autem virtualem saltem continet detestationem omnium peccatorum mortalium. Cfr. N. 42.

Prob. 3.° ex eo quod sacramentalis contritio necessario involvat propositum non peccandi de cætero ; porro hoc certe debet esse universale, seu consistere in totali animi aversione ab omni peccato mortali postea committendo : talis autem non videtur dari, nisi quæ sit simplex aversio ab omni peccato sive commisso sive committendo. Ideo N. 19 dictum est, quod omnis vera contritio debet esse ita universalis ut ex motivo universali ad omnia peccata gravia se extendat, saltem implicite, sive ratione doloris quoad commissa, sive ratione propositi quoad futura.

Hinc concludunt: 1.° quod Sacramentum Pœnitentiæ infructuose susceptum sit invalidum, adeoque non possit censeri reviviscere.

2.° Quod peccata mortalia in tali confessione exposita, habenda sint tanquam non exposita, adeoque iterum in confessione exponenda sint.

N.° 51. De conditionibus seu qualitatibus confessionis.

S. Thom., Supplem., quæst. 9, art. 4.

Quot et quænam sunt conditiones seu qualitates legitimæ confessionis?

Confessio debet esse

R. S. Thomas loco cit. recenset sexdecim conditiones, quæ a Magistris, ut ait, assignantur his versibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

simplex,

1.° Confessio debet esse *simplex,* id est, peccata simpliciter exponenda sunt sine admixtione rerum quæ ad confessionem non pertinent ; quocirca dicit S. Antoninus: *Qui indigent consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post confessionem et absolutionem talia dicant, et non misceantur in confessione, ne contritionis vim diminuant.* Consonant Instructiones confessariorum hujus diœcesis, in quibus § 2, legitur : *Sedulo caveat ne in confessione misceant quæ ad eam non sunt necessaria, nisi quatenus ad salutarem instructionem evidenter pertinent ; pœnitens reliqua etiam narrare volens silere jubeatur.*

humilis,

2.° Confessio debet esse *humilis : interne* quidem, ita ut pœnitens in corde se humiliet coram Deo ; et *externe,* ita ut verba, habitus, totaque pœnitentis externa compositio humilitatem denotet ; unde genibus flexis fieri debet, et milites arma, ac clerici superpelliceum deponere solent.

pura,

3.° Confessio debet esse *pura,* seu fieri ex honesta intentione.

Principaliter quidem intendi debet remissio peccatorum cum cæteris effectibus Sacramenti ; sed secundario alii quoque fines honesti intendi possunt. Peccaret vero qui confiteretur ad acquirendam famam pietatis, etc.

fidelis,

4.° Confessio debet esse *fidelis,* ita ut peccata veraciter et sincere exponantur, prout conscientia dictat, nimirum mortalia ut mortalia, venialia ut venialia, certa

ut certa, dubia ut dubia, etc. Huic conditioni adversantur *mendacium* et *hypocrisis*, de quibus N. sequenti.

5.° Confessio sit *frequens*, de quo vide N. 49. frequens,

6.° Confessio sit *nuda*, id est, sine palliatione, verborum ambage aut inutili circuitu. nuda,

7.° Confessio sit *discreta*, id est, fiat verbis congruis, ita ut non lædatur charitas aliave virtus : quod præcipue circa peccata inhonesta servandum est. Unde et confessarius cavere debet ne indiscretis interrogationibus inducat pœnitentem ad indiscretas responsiones. discreta,

8.° Confessio debet esse *libens* : quo significatur quod pœnitens debeat libente animo sua peccata confiteri ut ab eorum onere liberetur. Et quidem, ut advertit Neesen, confessio omnimode coacta est invalida ; non vero si sit involuntaria secundum quid, ut quandoque contingit in pueris qui metu parentum ad confessionem accedunt ; nam cum ejusmodi involuntario potest consistere quod sit integra et satis dolorosa. libens,

9.° Confessio debet esse *verecunda*, ita ut pœnitens interius de fœditate animæ erubescat, et exterius cum aliqua erubescentia confiteatur. In quo peccant qui cum fastu et vanitate peccata exponunt. verecunda,

Hos confessarius patienter audiat, ne perturbentur et peccata reticeant, in fine vero de defectu monere debet.

10.° Confessio debet esse *integra*, ut nihil reticeatur, quod juxta Christi præceptum exponendum est. Circa hanc conditionem plures occurrunt difficultates, quæ N. 55 et seqq. solventur. integra,

11.° Confessio debet esse *secreta*, seu fieri soli sacerdoti ; id enim requirit decentia, necnon praxis Ecclesiæ : non est tamen de necessitate Sacramenti, ut patet ex eo quod olim Ecclesia quædam peccata publice declarari permiserit ; item ex eo quod in naufragio aut incendio liceat aliis audientibus confiteri : confessionem vero secretam sufficere ex institutione Christi, declaravit Conc. Trid., sess. XIV, can. 6 : *Si quis dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum ; anathema sit.* secreta,

lacrymabilis, 12.° Confessio debet esse *lacrymabilis,* seu conjuncta cum aliquo dolore, ut N. 50 explicatum est.

accelerata, 13.° Confessio debet esse *accelerata,* id est, non nimis dilata post peccatum, juxta dicta N. 25.

fortis, 14.° Confessio sit *fortis,* ita ut pœnitens ruborem et omnia impedimenta vincat, quæ eum a sincera confessione avertere possent. In quem finem utile est ut consideret quod melius sit uni sacerdoti ad strictissimum silentium obligato peccata aperire, quam in judicio universali coram omnibus cum maximo et irreparabili pudore manifestari ; præterea juvat, ut monet S. Bonaventura, si prius ea declarentur peccata quæ majori confusione afficiunt.

accusans, 15.° Confessio sit *accusans ;* definitur enim voluntaria peccatorum accusatio ; unde debite non confitentur qui peccata sua rejiciunt in alios.

parere parata. 16.° Tandem debet esse *parere parata* ; quia pœnitens debet esse paratus confessario obedire ejusque monitis morem gerere. Alii legunt : *punire parata,* quia pœnitens debet esse paratus adimplere pœnitentiam a confessario imponendam.

Inter has conditiones præcipue hic notandæ, et quarum defectu confessio facilius potest esse invalida, sunt *fidelitas* et *integritas,* de quibus in sequentibus dicetur.

N.° 52. De fidelitate confessionis et defectibus ei contrariis.

S. Thom., Supplem., quæst. 6, art. 4.

Contra fidelitatem confessionis peccatur imprimis per *mendacium,* dein per *hypocrisim :* unde quæritur :

De mendacio in confessione commisso. I. *Quantum peccatum committit qui in confessione mentitur, et an hoc vitiat Sacramentum ?*

R. Quadruplex distinctio facienda est :

1.° Si quis mentiatur in confessione accusando se de peccato mortali quod non commisit, vel negando mortale commissum et in hac confessione exponendum, committit grave sacrilegium, quia in re gravi pervertit judicium sacramentale ; unde non valet absolutio sic recepta.

Attamen scrupulosi qui bona fide exaggerant peccata sua, non sunt gravis culpæ arguendi ; non enim decipere volunt, sed securius eligere intendunt.

2.° Si quis mentiatur in confessione accusando se de peccato veniali quod non fecit, et illud veniale sit materia unica absolutionis, committit grave sacrilegium, quia reddit Sacramentum nullum defectu materiæ.

Si vero alia insuper peccata exponantur cum legitima contritione , non est nisi mendacium veniale, adeoque Sacramentum est validum. Ratio est, quod deceptio non sit in re gravi, et maneat materia sufficiens pro Sacramento.

3.° Si quis mentiatur in confessione negando venialе peccatum quod fecit, aut mortale jam directe virtute clavium remissum, non est per se grave, quia agitur de materia libera, quæ reticeri potest ; per accidens vero potest esse grave sacrilegium negare istud peccatum, v. g., si ratione consuetudinis aut periculi proximi declarandum sit.

4.° Si quis mentiatur in confessione circa rem levem quæ ad confessionem non pertinet ; v. g. circa nomen, ætatem, domicilium, etc., certe culpam mortalem non committit ; quia hoc nullatenus pervertit judicium sacramentale. Secus esset, si mendacium in materia gravi involveret peccatum mortale, v. g. gravem calumniam ; tunc enim confitens simul grave sacrilegium committeret, et Sacramentum redderet nullum propter indispositionem.

II. *Quomodo contingit confessarium in errorem induci per aliquam pœnitentis fictionem seu hypocrisim ; et quandonam hoc vitiat Sacramentum ?*

R. Id fieri potest his præcipue modis :

1.° Si quis utatur pluribus confessariis, quorum uni non nisi venialia pandit, quoties vero quid grave commisit, alteri confitetur. Steyaert quidem eam appellat gravem hypocrisim, sed cum Navarro, Sylvio, Suarez, etc., rectius dicitur, per se non esse peccatum mortale, nec absolutionem invalidare ; quia libera est electio confessarii, et supponitur aliunde nihil essentiale deesse. Attamen aliqua occurrit inordinatio, cum confessarius ordinarius in errorem inducatur circa vitam sui pœnitentis.

De fictione seu hypocrisi.

Dicitur : *per se non esse peccatum mortale,* quia *per accidens* posset in eo gravis defectus haberi, si nimirum pœnitens grave periculum incurreret ex eo quod status ejus ordinario confessario ignotus sit. E contra nullum erit peccatum, si fiat ex rationabili causa, puta ne reveletur complex, etc.

2.° Si quis fingat se instituere confessionem generalem et tamen aliquod peccatum antea confessum voluntarie omittat. Hæc erit levis tantum hypocrisis et absolutio valebit, si peccatum illud non sit necessario exponendum, ut si antea debite confessum et absolutum fuerit. Ratio est, quod nihil essentiale desit, nec pervertatur judicium confessarii circa necessaria. Imo nulla occurret inordinatio, si pœnitens habeat justam causam peccatum illud reticendi. E contra inordinatio erit gravis, et confessio nulla propter defectum integritatis, si peccatum mortale, quod omittitur, in ea necessario sit exponendum.

3.° Occurrit hypocrisis, si quis peccatum in anteriori confessione inculpate omissum, exponat tanquam jam commissum, vel contra. In his casibus per se non apparet gravis inordinatio ; quia equidem materia necessaria ut necessaria exponitur ; adeoque judicium sacramentale graviter non pervertitur, nisi *per accidens,* ut si confessarius interroget de relapsu post ultimam confessionem ad judicandum de consuetudine, de propositi firmitate, etc., et pœnitens peccatum post ultimam confessionem commissum confiteatur quasi antea inculpate omissum.

4.° Si quis peccatum mortale nunquam expositum in confessione confiteatur veluti antea expositum et rite per absolutionem remissum. In hoc casu, juxta plures invalidum est Sacramentum, nisi bona fides excuset, quia pœnitens, cum de materia necessaria faciat liberam, non confitetur integre, et graviter pervertit judicium confessarii. Alii vero censent hanc fictionem per se non invalidare Sacramentum, quia circumstantia temporis est accidentalis et extranea peccato ; modo tamen, ut plerique ex his auctoribus limitant, pœnitens circa tempus non mentiatur significando peccatum illud ante ultimam confessionem fuisse commissum.

Conveniunt autem fere omnes, esse leve tantum, si quis peccatum antea rite clavibus subjectum, jam iterato confiteatur veluti nunquam expositum in confessione ; hoc enim non ita pervertit judicium sacramentale.

N.° 53. De integritate requisita in confessione.

S. Thom., Supplem., quæst. 9, art. 2.

Duplici modo potest confessio esse integra : *materialiter* et *formaliter*, seu, ut alii dicunt, *moraliter*.

Quæ confessio sit integra materialiter,

Illa confessio dicitur *materialiter* integra, in qua uni eidemque confessario, in ordine ad unam eamdemque absolutionem sacramentalem, exponuntur quoad numerum, speciem et circumstantias debitas, omnia omnino peccata mortalia post Baptismum commissa, nondum directe et legitime absolutioni sacramentali subjecta.

quæ formaliter.

Confessio dicitur *formaliter* integra, quando uni eidemque confessario exponuntur, prout sunt in conscientia, omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, necdum directe et legitime clavibus subjecta, et quæ in hac confessione possunt et debent exprimi, quamvis forte ex legitima causa aliquod peccatum vel circumstantia omittatur.

Unde 1.° Potest confessio esse integra *materialiter* et *non formaliter ;* ut si quis confiteatur omnia peccata mortalia cum debitis circumstantiis, sed erronee putet veniale quod commisit esse mortale, illudque reticeat.

2.° Potest confessio esse integra *formaliter* et *non materialiter ;* ut si quis confiteatur omnia mortalia quæ post diligens examen reperit, sed unum ex oblivione inculpabili omittat.

3.° Potest confessio esse integra *materialiter* et *formaliter simul ;* ut si quis post diligens examen recordetur omnium peccatorum mortalium quæ commisit, illaque accurate confiteatur.

Qualis integritas confessionis requiritur, materialis an formalis ?

Necessitas integritatis formalis.

R. 1.° Requiritur semper et in omni casu integritas formalis.

Probatur 1.° ex munere judicis et medici quo funguntur confessarii in hoc Sacramento :

Tanquam judices enim a Christo constituti ut ejus vice peccata remittant aut retineant, prudens et justum judicium ferre non possent, si pœnitentibus liceret pro libitu partem tantum peccatorum mortalium confiteri et cætera celare ; ergo, etc.

Aliunde constituti sunt et medici pœnitentium ; atqui, ut apposite dicit S. Thomas, loco cit., in corp., quemadmodum corporis medicus totam habitudinem infirmi perspectam habere debet, ut ei recte medeatur, ita sacerdos omnia pœnitentis peccata mortalia cognoscere debet ; unde concludit : *Ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet ; quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.*

Prob. 2.° ex sensu Ecclesiæ, quæ, uti loquitur Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, *semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem.* Quod quidem confirmat argumento supra producto ex munere judicis et medici quo funguntur confessarii, et concludit : *Oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint... Qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* Cfr. can. 7, ubi contrarium damnatur.

Necessitas integritatis materialis.

R. 2.° Ex argumentis supra productis sequitur lege divina præceptam esse integritatem etiam materialem, ubi hæc haberi potest, sed cum pœnitentes ab ea non raro excusentur ex justis causis, ob quas confessio potest esse formaliter, licet non materialiter, integra, et sufficiens ad valorem et fructum Sacramenti, sola integritas formalis dicenda est necessaria necessitate Sacramenti.

Quæ sunt causæ ex quibus provenire potest, ut confessio sit integra formaliter, non materialiter ?

Causæ ab integritate materiali excusantes :

R. Tres assignari solent, scilicet : 1.° oblivio vel error, aut ignorantia non graviter culpabilis ; 2.° impotentia physica ; 3.° impotentia moralis.

I. Casus in quibus prima causa occurrit sunt :

1.° Dum pœnitens, præmisso diligenti examine, non recordatur alicujus peccati mortalis; 2.° dum in examine quidem peccati recordatur, sed in confessione ex inadvertentia illud omittit; 3.° si ex ignorantia aut errore non graviter culpabili putet peccatum mortale quod commisit, non esse peccatum vel tantum esse veniale, illudque ideo non confiteatur. 1.° Oblivio vel error,

In istis casibus confessionem esse legitimam expresse docet Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, dicens: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

II. Secunda causa ex qua provenire potest ut confessio sit tantum formaliter integra, est *impotentia physica;* nisi enim hæc ab integritate materiali excusaret, in plerisque circumstantiis confessio foret impossibilis, ubi tamen voluntas Christi non fuit pœnitentes Sacramenti beneficio privare, ut constat ex unanimi doctorum sensu et Ecclesiæ praxi. Casus præcipui sunt: 2.° impotentia physica,

1.° Si moribundus, incepta confessione, amittat loquelam, aut ita debilis sit, vel ita mors urgeat, ut omnia peccata debite confiteri nequeat. De moribundo qui nullum signum doloris aut confessionis dare potest, dicetur ubi de absolutione danda vel neganda.

2.° Si in incendio, naufragio, vel prælio, etc., plures de vita periclitentur, ita ut tempus deficiat ad singulorum confessiones singillatim et integre audiendas, satis est ut quisque breviter aliqua peccata aperiat, aut generatim dicat se peccasse graviter aut leviter contra charitatem, justitiam, etc.; imo si periculum imminens illa non permittat, possunt omnes simul aliquo signo, ut tunsione pectoris, confiteri, et, elicita contritione, simul absolvi, adjecta pro pœnitentia brevi oratione statim recitanda.

3.° Si mutus nequeat peccata integre confiteri per gestus aut scripturam; vel si confessarius non intelligat idioma pœnitentis, et aliqua sit necessitas confitendi, satis est, ut peccata declarent, quantum possunt. Cfr. N. 62 de modis quibus confessio fieri possit.

3.° impotentia moralis :

III. Tertia causa ob quam fieri potest, ut confessio sit tantum formaliter integra, est *impotentia moralis*. Locum habet præcipue in sequentibus casibus :

1.° Quando ex confessione materialiter integra sequeretur fractio sigilli sacramentalis, ut si confessarius exponendo proprium peccatum, simul revelare deberet peccatum et personam sui pœnitentis ; etenim ex voluntate Christi arctius obligat sigillum quam integritas confessionis.

2.° Dum ex confessione materialiter integra imminet grave malum spirituale aut temporale vel confessario, vel pœnitenti, vel tertio. Ratio est, quod præceptum integritatis materialis, utpote positivum, non obliget cum tanto incommodo.

Hinc non obligat, si confessarius non posset, etiam eminus, integram confessionem excipere sine evidenti periculo mortis, pestis aut alterius morbi contagiosi. Ita Suarez, Pontas, Concina, S. Alphonsus, n. 485. Alii tamen non pauci, ut refert Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 19, n. 19, sustinent, confessarium ob periculum contagionis non posse se subtrahere ab onere audiendi integram confessionem, cum partem tantum audiens, statum conscientiæ pœnitentis exploratum habere nequeat ; sed huic rationi videtur satisfacere confessarius, si pestiferi confessionem solum abrumpat, cum de ejus statu et dispositione satis securus fuerit.

Similiter non obligat integritas materialis, si pœnitens diutius manendo apud confessarium incurreret periculum mortis aut captivitatis. Item, si diutius hærendo in examine aut confessione peccatorum carnalium, pœnitens incurreret periculum præstandi novum consensum, aut graviter scandalizandi confessarium, quem sciret valde infirmum in hac materia. Item, si scrupulosus integre confiteri non posset, quin exponeretur gravi periculo lædendi sanitatem mentis aut corporis.

Quoad damnum a tertio incurrendum, patet hoc vix esse timendum ; quid vero censendum sit de casu, ubi ex confessione peccati sequeretur revelatio et infamatio complicis, discutitur N. seq.

Diligenter advertendum est, quod ut grave incommodum ex confessione peccati oriturum inducat impotentiam moralem, requirantur tres conditiones : *Prima*, quod incommodum debeat esse extrinsecum confessioni, sive non per se oriri ex ipsa confessione. Unde non potest quis peccatum grave omittere, quia se minus a confessario æstimandum putet, aut multo pudore suffundatur ; hæc enim gravamina intrinseca sunt confessioni, quæ, illis non obstantibus, a Christo præcepta fuit. *Secunda*, quod debeat adesse gravis ratio confitendi huic confessario : si enim possit adiri alius, aut confessio aliquantisper differri sine magno detrimento, id fieri debet. *Tertia*, quod illud solum peccatum vel illa sola circumstantia omitti possint, quæ causant periculum. hujus conditiones.

Advertendum insuper est, peccata in confessione omissa ex oblivione vel alia justa causa, in sequenti confessione, causa cessante, exponenda esse, cum non sit satisfactum præcepto Christi jubentis, ut omnia peccata mortalia ad sacerdotes deferantur judicanda et pœna plectenda; cfr. N. 28, ubi refertur contraria propositio damnata ab Alexandro VII. Non tamen idcirco tenetur pœnitens quamprimum potest, confiteri, nisi in periculo mortis ; sed aliter sufficit quod non differat ad notabile tempus : imo cum Bonacina aliisque videtur dicendum, quod sufficiat ea exponere, quando vi alterius causæ tenebitur confiteri. An vero quis teneatur ante sacram communionem, vide *De Eucharistia*, N. 32. Sed hic quæritur Peccatum ex justa causa omissum, cessante causa, exponi debet

An peccatum mortale inculpabiliter omissum exponi debet in proxima confessione, seu prima quæ fit post cessationem causæ omissionis ?

R. Videtur omnino affirmandum, cum S. Franc. Sal., *Lettres*, ed. Paris. 1817, epist. 69 : aliter enim illa proxima confessio non foret formaliter integra, siquidem sine justa causa omitteret pœnitens peccatum mortale, cujus, tanquam necessario clavibus subjiciendi, conscientiam habet ; non secus ac si omitteret peccatum deletum per contritionem perfectam aut per Sacramentum vivorum bona fide susceptum cum contritione imperfecta. in confessione proxime sequente,

An cum peccatum mortale inculpabiliter in confessione omissum postea exponitur, super eo dari debet absolutio ?

et absolutio super eo danda.

R. Negant aliqui, inter quos Collet ; sed alii communiter affirmant ; quia ex institutione Christi ideo omnia peccata clavibus subjici debent ut a sacerdotibus directe remittantur, et justa pœna plectantur, quod sine absolutione fieri non potest.

Magnus pœnitentium concursus non excusat ab integritate materiali.

Nota inter causas ab integritate confessionis excusantes censeri non posse magnum concursum pœnitentium in aliqua solemnitate, etiamsi integre confiteri non possent, quia multi illa die privarentur beneficio Sacramenti aut indulgentiæ. Unde ab Innocentio XI, damnata fuit hæc propositio 59ª : *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis vel indulgentiæ.*

N.º 54. An propter integritatem confessionis liceat peccatum complicis vel tertii revelare.

Sine justa causa in sacro tribunali non licet revelare complicem aut peccatum tertii.

Prænotandum, tam in sacro tribunali quam extra illud parcendum esse famæ proximi, ita ut peccet qui sine justa causa eam lædit etiam in secreto fori sacramentalis.

Unde nullatenus potest pœnitens revelare complicem vel peccatum tertii, si possit sine eo integre peccata sua confiteri, nec detur alia justa causa revelandi, proportionata damno inferendo alteri. Propterea præscribunt Instructiones confessariorum hujus diœcesis § 3 : *Quod si pœnitens per imprudentiam nomen complicis revelaverit, aut ad revelandum se paratum exhibeat, monendus est, id non esse faciendum in hoc tribunali, in quo quilibet est sui, non alterius accusator.*

Infertur non esse licitum propalare delictum proximi cum ejus infamia ad confitendum peccatum veniale tantum, aut mortale jam directe virtute clavium remissum, nisi forte ex graviori causa fiat, aut nisi alter videatur consentire, ut si eidem confessario confiteri soleat.

Ordinarie tamen

Ordinarie tamen non graviter peccant, qui in confessione indiscrete revelant delictum tertii, tum quia

communis opinio non judicat infamiam magni æstimandam esse, quæ infertur sub sigillo sacramentali, nisi forte agatur de crimine valde enormi ; tum quia ordinarie id fit bona fide et ex inadvertentia aut simplicitate. Contrarium dicendum esset, si pœnitens peccatum tertii revelaret ex odio, ad ei nocendum, quo casu et ipsum Sacramentum, defectu contritionis, invalide et sacrilege susciperet. Sed quæritur

qui indiscrete revelant, non peccant graviter.

An pœnitens potest confiteri peccatum suum cum circumstantia alioquin necessario exprimenda, si illam declarare nequeat quin confessarius veniat in notitiam complicis criminis ; v. g. maritus commisit incestum cum uxoris suæ sorore unica nota confessario ?

R. Distinguendo. Si nulla sit necessitas aut justa ratio confitendi huic confessario, sive alius facile adiri possit, cui mulier est ignota, non potest pœnitens priori confiteri cum infamatione complicis ; et S. Alphonsus parum probabilem censet sententiam aliquorum dicentium hoc non esse de præcepto, sed tantum de consilio.

Integritas confessionis aliquando causa est detegendi peccatum complicis.

Si vero adsit justa ratio huic confessario confitendi, communior et verior sententia, quam post Suarez, Morinum, Van Roy et plures alios tenet S. Alph., n. 489, contra Navarrum, Dianam, etc., docet, quod possit pœnitens suo confessario confiteri, et tunc integre peccatum exponere teneatur. Ratio est, quod ab una parte hæc infamatio complicis, non secus ac propria pœnitentis infamatio, sequens in casu ex divino præcepto integre confitendi, sit quodammodo confessioni intrinseca ; et ab alia parte non possit complex esse rationabiliter invitus, quandoquidem scire debuerit, confessionem peccatorum integram obligare ; adeoque peccando se subjecerit periculo infamationis apud confessarium, si alterius spiritualis utilitas hoc exigeret.

Interim monet S. Thomas, *Opusc. 33*, q. 6, et *In IV*, dist. 16, q. 3, a. 2, ut in tali casu occultetur persona complicis quantum fieri potest, dicendo v. g. : Commisi adulterium cum affini in primo gradu lineæ transversæ.

Quænam censetur justa causa confitendi confessario cui complex notus est ?

R. Non requiritur gravis necessitas, ut si urgeat periculum mortis aut præceptum annuæ confessionis vel

Quænam sit justa

causa confitendi confessario cui complex notus est.

communionis, aut si pœnitens non celebrando vel communicando incurreret infamiæ notam, sed minor necessitas seu spirituale damnum sufficit, ut si pœnitens alium confessarium accedere nequeat nisi difficulter, aut post notabile tempus, imo si deberet remanere sine absolutione per biduum, aut etiam per diem, ut sentit S. Alphonsus, n. 490. Imo, etsi quis alium confessarium commode habere possit, sufficit, juxta Morinum, *De Pœnit.*, cap. 16, n. 9, si hic confessarius sit specialiter utilis, ut pœnitens ex occasione peccati vel aliis incommodis eripiatur ; et juxta S. Alph., loco cit., si quis difficulter alteri quam consueto confessario conscientiam aperiret.

Addit idem ex La Croix : « Sæpe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario qui hos novit ; id enim communiter faciunt ad consilium petendum, vel ad leniendum dolorem ; alioquin ipsis nimis durum foret novos confessarios adire. » Imo, uti observat Billuart, alias sequeretur quod parochus cui apprime noti sunt omnes parochiani, vix ullum ex eis posset audire. Merito concludit Gury, n. 382, quod generatim non habeatur ut gravis obligatio confessarium, complicis causa, mutandi, nisi forte de crimine valde gravi agatur.

An infamia tertii qui non fuit complex sed objectum peccati, apud solum confessarium incurrenda, eximit ab integritate materiali confessionis : puta si filius confiteri debeat, quod revelaverit alteri patris sui occultum adulterium, et justa sit ratio confitendi confessario cui pater est notus ?

An ab integritate excuset infamia tertii apud solum confessarium incurrenda.

R. Negative cum Morino, Billuart, Antoine, etc., contra Suarez aliosque, qui dicunt æquum non esse ut pater post unam injuriam, alteram ex hujus confessione percipiat. Sed respondetur, hanc materialem infamationem non magis attendendam esse in foro sacramentali quam in foro exteriori, ubi multo gravior est. Integra enim cognitio conscientiæ pœnitentium spectat ad bonum commune pœnitentium et auctoritatem judicii sacramentalis : quæ sane ratio æque gravis est ac multæ aliæ propter quas communiter censent theologi licitum esse viro discreto revelare crimen alterius, ut puta ad petendum consilium, ad consolationem quærendam, etc.,

eoque magis quod in foro sacramentali secretum sit maximum et infamia quasi nulla.

« Observandum tamen, ait Billuart, pœnitentem in casu hujus secundæ conclusionis, majorem cautelam debere adhibere, atque strictius et cum aliquo suo incommodo teneri quærere confessarium cui ignotus sit alter iste tertius, quam in casu primæ conclusionis, quia iste tertius non complex non consensit interpretative sui manifestationi, sicut complex. » Posset etiam confiteri hoc modo : Detraxi, revelando adulterium occultum personæ, cui æque obstrictus sum ac proprio patri.

Quid servare debet confessarius in interrogationibus circa complicem peccati, quod pœnitens confitetur ?

Quid servandum in interrogationibus circa complicem.

R. Potest ac debet quandoque inquirere, non personam, sed qualitates complicis, non quis, sed qualis sit, siquidem qualitas constituat interdum circumstantiam in confessione exponendam. Ita in peccatis carnalibus inquirendum est circa complicem, an persona sit conjugata, voto obstricta, consanguinea et an in primo vel secundo gradu, ut cognoscatur an sit adulterium, incestus, etc.; inquiri aliquando etiam debet, an habitet in eadem domo, an sit ancilla, etc., ut confessarius possit judicare de dispositione pœnitentis et remedia præscribere, licet sic forte veniat in cognitionem complicis. Sed petere non potest nomen complicis, nec cætera quæ non sunt necessaria ad integritatem confessionis, sed hanc odiosam reddunt. Unde in Instruct. confess. supra citatis præscribitur : *Complicum nomina confessarius non inquirat, uti nec ipsorum pœnitentium : neque curiose indaget de loco individuali, die aut hora, quibus commissum fuerit peccatum, nisi præcise in quantum opus fuerit ad detegendam gravitatem peccati.*

Non licet complicis nomen petere sub prætextu eum corrigendi.

Neque excusaretur confessarius eo titulo, quod nomen complicis inquireret, ut ipsum corriperet et ad meliorem frugem adduceret ; nam munus confessarii est impedire peccata pœnitentis, non vero aliorum. Unde cum in regno Portugalliæ quidam confessarii pœnitentes compellerent, etiam per negationem absolutionis, ad nomen ac locum habitationis complicis designandum, ut ipsi complicem corripere possent, Benedictus XIV abusum illum, priusquam inolesceret, præfocandum

duxit per Const. *Suprema*, 7 Jul. 1745, et rursus per Const. *Ubi primum*, 2 Jun. 1746 ac per Const. *Ad eradicandam*, 26 Septemb. 1746, in qua expresse decrevit et declaravit: *Memoratam praxim, in seipsa et ubique locorum ac temporum, apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere.* Porro *docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV,* ipso facto incurrunt excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam, ab eodem Pontifice impositam et a Pio IX in Const. *Apostolicæ Sedis*, part. II, art. 1, confirmatam.

Cum eo autem consistit quod confessarius teneatur quandoque hortari ac etiam compellere pœnitentem ad manifestandum complicem vel tertium, non sibi, sed superiori illius vel etiam judici; quando scilicet pœnitens versatur in casibus, de quibus in tract. *De jure et justitia*, et infra, ubi de confessario sollicitante, dicetur.

Quænam pœnæ statutæ sunt contra confessarios qui inquirunt nomen complicis?

Pœnæ statutæ contra inquirentes nomen complicis.

R. Benedictus XIV, Const. *Ubi primum*, loquens de confessariis qui sub denegatione absolutionis nomen complicis requirunt, statuit, eos *suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.* Sed jam antea Archiepiscopus et Episcopi veteris provinciæ Mechliniensis, in epistola 23 Aprilis 1697, severe prohibuerant confessariis inquirere nomina complicum idque sub pœna suspensionis, prout in cit. epistola videri potest.

N.° 55. De examine conscientiæ præmittendo confessioni.

Conc. Trid., sess. XIV, cap. V.

Requiritur in examine conscientiæ diligentia

Ex præcepto divino integre confitendi consequens est, diligens conscientiæ examen confessioni præmittendum esse, sine quo hæc integritas moraliter haberi nequit: qui enim ad aliquid tenetur, simul tenetur ad media necessaria adhibenda. Unde Conc. Trid., loco cit., docet: *Oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum*

post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.

Quanta diligentia requiritur in hoc examine ?

R. Requiritur et sufficit talis, qualem vir prudens adhibere solet in rebus magni momenti, seu talis, quæ sufficit ad rèmemoranda omnia peccata mortalia prout in confessione exponenda sunt, in quantum pro uniuscujusque statu et conditione moraliter fieri potest, quin Sacramenti frequentatio, adeoque peccatorum reconciliatio exinde reddatur nimis ardua ; quod esset alienum a benigna Christi voluntate et misericordia : unde non requiritur diligentia summa, sed mediocris seu ordinaria tantum. saltem mediocris,

Inde patet non eamdem diligentiam ab omnibus necessario adhibendam esse, sed eo majorem, quo quis diutius a confessione abstinuit, quo plura mortalia commisit, quo minus singulo die conscientiam examinavit et commissorum rationem habuit. Timoratis vero frequenter confitentibus, ait Billuart, sufficit modicissimum examen, cum mortalia committere non soleant, et si quod infeliciter admiserunt, facillime recordentur. Rudes quoque et indocti tam accurati examinis capaces non sunt, ac bene educati et instructi. sed non eadem in omnibus.

Convenienter institui potest hoc examen, successive perscrutando decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Ecclesiæ, etc., prout traditur in explicationibus Catechismi Mechliniensis.

An pœnitens qui labilem habet memoriam, tenetur peccata sua conscribere, ne in confessione aliqua omittat ?

R. Cum Suarez, Neesen et communi, negative ; quia, ut aiunt, scriptura est de se publicum instrumentum et subjacet periculis : unde extraordinaria hæc reputatur diligentia, non necessaria ; sed laudabilis tamen, dummodo nimia vitetur anxietas, propter quam scrupulosis est prohibenda. Non tenetur pœnitens sua peccata scribere ob periculum aliqua omittendi.

An negligentia in examine conscientiæ commissa aliquando involvit gravem culpam, adeoque Sacramentum sic susceptum invalidat ?

R. Affirmative, quando nimirum negligentia est valde gravis et cum sufficienti advertentia. Ita graviter peccant, qui multorum gravium peccatorum rei nullam Negligentia in examine

aliquando Sacramentum invalidum reddit,

vel levem admodum diligentiam adhibent ad ea singillatim cognoscenda, ita ut censeantur interpretative velle unum aut plura mortalia omittere, seu, ut loquitur Catech. Conc. Trid., ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possint. Confessarius hoc animadvertens, debet tales instruere de obligatione melius conscientiam discutiendi, et benigne dimittere ad aliam horam aut diem, nisi necessitas spiritualis pœnitentium aliter suadeat ; quo casu eos adjuvare debet aptis interrogationibus.

Ex eo autem quod pœnitens peccata sua obscure, sine ordine, sine numero aut circumstantiis confiteatur, non semper concludi potest, ipsum se non debite examinasse ; forte enim clarioris et ordinatioris confessionis per se capax non est, sed confessarii ope indiget.

Hinc recte monent Herinckx , Bossaert et alii, rudes et incultos non facile dimittendos esse ob defectum examinis, quia vix inde fructum bonum sperare licet ; ordinarie enim redeunt sine meliori cognitione peccatorum suorum. Potius igitur a confessario adjuvandi sunt per interrogationes congruas ; idque etiam si confessionem generalem instituere debeant ; ordinarie enim a confessario vel leviter adjuti pleniorem acquirent cognitionem, quam si sibi relicti extraordinarium tempus et diligentiam adhiberent. Consulatur S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 20. Circa modum interrogandi pœnitentes vide infra N. 60 et 61.

An ob defectum examinis confessio aliquando est repetenda ?

et propterea repetenda est confessio.

R. Affirmative ; quando nimirum hic defectus fuit graviter culpabilis et ante absolutionem non fuit reparatus , tunc enim et hæc invalida fuit. Idem judicandum, si ex ignorantia graviter culpabili peccatum mortale fuit omissum. Caveat tamen confessarius ne indiscrete repetitionem confessionis imponat. Ideo ad sequentes regulas attendat :

Regulæ servandæ in imponenda repetitione confessionum ob peccata omissa.

I. Cum repetitio confessionum plerisque pœnitentibus videatur onus valde grave, imponenda non est ob omissionem peccatorum ex defectu examinis aut ex ignorantia, nisi omissio fuerit quasi directe voluntaria, vel negligentia fuerit *valde supina et quasi affectata* , ut loquitur Steyaert, *De Pœnit.*, § 9, n. 8.

II. Non est imponenda obligatio repetendi confessiones pœnitenti qui est in bona fide, quando merito timetur, ne id facere recuset aut negligat, nec generatim quotiescunque adest impotentia physica aut moralis. Sed tunc conetur confessarius hic et nunc e pœnitente expromere confessionem, quantum fieri potest, integram.

III. Qui culpabiliter in confessione omisit peccatum mortale, et postea istius sacrilegii immemor instituit confessiones aliunde non invalidas, tenetur quidem confessionem sacrilegam iterare, non vero subsequentes quæ propter bonam fidem fuerunt formaliter integræ et validæ. Ita Sylvius, Antoine et alii.

IV. Quando pœnitens detegit peccata antea omissa, quia ignorabat esse mortalia, videndum, an illa forte a culpa formali, saltem gravi, non excusentur, ratione ignorantiæ invincibilis aut difficulter vincibilis, qualis videtur admittenda etiam in agente practice contra remotiora juris naturæ principia. Imo etiamsi tale quid sit, in quo non videatur admittenda ignorantia invincibilis practica excusans a gravi, equidem dari potest ignorantia invincibilis speculativa de gravitate peccati admissi, et practica de obligatione illud confitendi, quæ obligatio est juris positivi tantum ; consequenter potest omissio esse prorsus inculpabilis et confessio valida, adeoque non iteranda, sed tantum supplendum quod omissum erat.

Sed videndum est, an pœnitens non retinuerit affectum, saltem virtualem, ad istud peccatum, ut si vixerit in consuetudine delectationis venereæ aut pollutionis, de quo ex frequentia relapsuum est judicandum : tunc confessiones factæ tempore quo duravit ille pravus affectus, essent invalidæ, ob defectum contritionis, quæ cum pravo hujusmodi affectu non potest consistere ; si vero postea cessavit affectus, sequentes confessiones, si aliunde nihil defuit, censentur validæ.

Ad rem elucidandam, supponatur homo triginta annorum, qui confitetur, se in juventute ab anno circiter 17° ad 24um plures habuisse voluntarias pollutiones et venereas delectationes, quas nunquam confessus est, non putans esse peccata, usque dum nuper hoc audivit : inde vero a 24° anno, se matrimonio

junctum ab illicitis abstinuisse. Quanquam in praxi judicandum sit, illum graviter peccasse per voluntarias pollutiones et morosas delectationes, non illico concludendum confessiones fuisse invalidas. Si enim bona fide videatur processisse, paratus ad declaranda peccata quæcunque mortalia cognovisset, et interim non servaverit affectum ad illam turpitudinem, judicantur confessiones validæ, et satis est confiteri quæ inculpabiliter omissa fuerunt. Sed si ex magna frequentia relapsuum judicetur affectus pravus perdurasse, confessiones eo tempore factæ etiam judicantur invalidæ, licet forte ob inadvertentiam indispositionis non formaliter sacrilegæ. Ideo repetendæ sunt confessiones illæ, non vero sequentes, quæ, cessante pravo affectu, fuerunt institutæ. Interim in similibus casibus expendet confessarius, non tantum quid stricte necessarium, sed etiam quid utile sit pœnitenti, et propterea consulendum.

N.° 56. De obligatione peccata confitendi secundum speciem et numerum.

Quomodo peccata mortalia exponenda sunt, ut eorum confessio sit integra ?

Peccata mortalia exponi debent :

R. Exponi debent 1.° secundum ipsum actum peccaminosum, sive externum, sive internum tantum per desiderium aut delectationem morosam, etc.; 2.° secundum speciem propriam ; 3.° secundum numerum ; 4.° secundum circumstantias, si quædam adfuerint in confessione declarandæ, de quibus N. 59 dicetur ; tandem 5.° certa ut certa, dubia ut dubia sunt proponenda.

An qui actum peccaminosum perpetravit, non satisfacit declarando voluntatem seu desiderium internum, quod ubi plene deliberatum est, videtur continere totam malitiam actus ?

1.° secundum ipsũ actum internum aut externum ;

R. Non satisfacit ; quia præceptum Domini est, ut declarentur ipsa peccata, seu actus mali, et non tantum eorum malitia ; atqui non declararet sed celaret actum suum malum, qui postquam externe peccavit, internam tantum voluntatem confiteretur. Qui vero declarat actum externum voluntarium, eo ipso declarat actum internum conjunctum ; non vicissim.

Proba peccata in specie et non tantum in genere exponenda esse.

R. Probatur ex auctoritate et ratione Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, dicentis : *Constat enim sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Confirmatur ex damnata per Alexandrum VII propositione 25ª : *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens : Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* 2.° secundum speciem,

Patet hic per speciem peccati intelligendam esse speciem infimam, quandoquidem juxta species infimas diversificatur malitia peccatorum, et non tantum juxta species remotas. Ideo qui fornicatus est, non satisfacit declarando tantum, se commisisse externum actum luxuriæ, cujus fornicatio simplex est species, licet ipsa luxuria species dici possit respectu intemperantiæ, sub qua continetur. et quidem secundum speciem infimam.

Si autem recordetur pœnitens se commisisse peccatum aliquod quod putat fuisse grave, quin tamen in specie illud recordetur, declarare debet in genere aut in specie remota, sicut potest, melius expositurus dum memoriæ recurret.

Notandum etiam, quod pœnitens clare et distincte quantum potest, peccatum cum requisitis omnibus exponere debeat; et si advertat confessarium ea non audivisse, vel non intellexisse, tenetur ea repetere; prout accidere potest si quis confiteatur sub sono organi, aut confessario surdastro. Imo si quis de industria ita confiteretur ut non intelligeretur, sacrilegium committeret et confessio iteranda foret.

An pro confessione venialium non sufficit generaliter dicere : Peccavi decies venialiter, non explicando actum vel speciem ?

R. Non sufficit ; sed requiritur, ut saltem species peccati exprimatur, v. g. dicendo : Aliquoties officiose mentitus sum. Circa modum utiliter confitendi venialia consulatur S.Franc. Sales., *Introd. ad vit. dev.*, p. 2, cap. 19. Quid si sint venialia tantum.

Proba numerum peccatorum mortalium in confessione exponendum esse.

3.° Peccata confitenda secundum numerum.

R. Probatur ex eo quod omnia et singula peccata sunt exponenda, juxta dicta supra ; qui autem pluries idem peccatum patravit et numerum non exprimit, æquivalenter unum aut plura peccata celat. Quandonam autem sint peccata numero distincta, explicatur in tractatu *De peccatis*.

Sequitur, non rite confiteri pœnitentem, qui dicit v.g.: aliquoties vel sæpe blasphemavi ; ideo monendus est a confessario ut numerum melius, in quantum potest, determinet.

An pœnitens qui solitus fuit confiteri sine numero, cogendus est ad anteriores confessiones repetendum ?

Quid si pœnitens fuerit solitus confiteri sine numero.

R. Recte respondet Sylvius distinguendo: si iste pœnitens ex proposito omiserit numerum exprimere, aut sciens quod esset exprimendus, ideo non expresserit quia non interrogabatur, omnino est cogendus ad illarum confessionum repetitionem, neque antea absolvendus. Similiter si per ignorantiam crassam aut affectatam sic fuerit confessus.

Si autem bona fide processerit, præcedentes ejus confessiones non sunt iterandæ, sed sufficit ut jam declaret illa peccata eorumque numerum, quæ quoad numerum in præcedentibus confessionibus omisit.

Quid facere debet pœnitens qui, facto diligenti examine, dubitat quoties præcise peccatum mortale commiserit ?

Quid si de numero ipse dubius hæreat.

R. Debet declarare numerum verisimiliorem, addendo particulam *circiter*, aut *plus minusve*, vel similem ; sed formulæ istæ adjici non possunt, si numerus sit certus.

Quid, si pœnitens ne quidem numerum verisimilem valeat dicere ; aut si rudis inconsiderate aliquem numerum proferat : Centies, millies, *etc. ?*

Quid si ne verisimilem quidem numerum indicare possit.

R. Confessarius debet eum adjuvare, inquirendo quoties in mense, in septimana, vel in die, illa peccata committere soleat ; deinde quot diebus, mensibus vel annis continuaverit in peccatis.

Si pœnitens etiam tempus non valeat determinare, interrogetur an cœperit illa peccata committere a pueritia vel a tempore primæ communionis ; an post initum

matrimonium, vel ex occasione habitationis, sociorum, etc. Interrogandi similiter sunt isti rudiores pœnitentes circa numerum peccatorum internorum : sed apposite de his observat S. Alphonsus in *Praxi confess.*, n. 20 : « Post duas vel tres interrogationes non debet angi confessarius, si ei judicium quod facit, videtur esse nimis confusum ; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. »

Numerus minutorum furtorum cognosci potest ex summa totali et quantitate singulis vicibus surrepta ; sicut ex eadem quantitate et vicibus colligitur summa totalis.

Dum pœnitens explicat numerum hoc vel simili modo : Per annum integrum quinquies vel sexies quotidie blasphemavi, confessarius satis cognoscit statum pœnitentis et numerum peccatorum, quin per multiplicationem arithmeticam eorum computum faciat.

Quid agendum pœnitenti, qui confessus numerum verisimilem addendo plus minusve, *postea comperit se errasse circa numerum ?*

Quid si postquam confessus est numerum verisimilem, postea comperiat se errasse.

R. Distinguendo : 1.° Si numerus reperiatur minor, non tenetur errorem confessario manifestare, quia peccata commissa sufficienter confessus est.

2.° Si numerus reperiatur major, sed non notabiliter, nihil iterum est agendum ; quia realis numerus censetur satis expressus per formulam *plus minusve.*

3.° Si numerus reperiatur notabiliter major, excessus in sequenti confessione exponendus est, quia non censetur comprehensus sub prima declaratione.

Ut discernatur an excessus sit notabilis necne, notandum est, quod dictæ clausulæ *circiter, plus minusve,* etc., non significant quantitatem absolutam, sed majorem vel minorem, prout numerus cui adjiciuntur est major vel minor. Unde censet Billuart, respectu ad 5 excessum modicum esse unum vel duo ; ad 10 duo vel tria ; ad 20 tria vel quatuor ; ad 50 quatuor vel quinque ; ad 100 quinque vel sex. Idem fere censent De Lugo et alii apud S. Alphonsum, n. 466.

Quod si quis numerum determinatum expresserit sine particula dubitativa, et postea deprehendat se sæpius peccasse, omnem excessum confiteri tenetur, quia nullo modo fuit contentus in prima confessione.

An in confessione peccatorum venialium declarandus est numerus ?

Veniali-um nume-rus non debet ex-primi.

R. Negative ; sunt enim materia libera : unde absolvi potest qui confitetur dicendo : *Officiose mentitus sum*, vel *aliquoties officiose mentitus sum*.

N.° 57. De obligatione confitendi peccata mortalia dubia.

S. Thom., Supplem., quæst. 6, art. 4.

Peccata mortalia triplici modo du-bia.

Prænotandum 1.° Triplex dubium circa peccatum mortale hic distingui potest : primum, an peccatum fuerit *commissum;* secundum, an peccatum certo commissum sit *mortale ;* tertium, an peccatum certo commissum et certo mortale jam fuerit debite *in confessione expositum*.

Prænotandum 2.° Dubium potest esse positivum vel negativum : *positivum,* quando adsunt motiva gravia ac sufficientia ad probabilem intellectus assensum uni vel alteri parti contradictionis ; *negativum,* quando ex neutra parte adsunt motiva adeo momentosa.

His præmissis, quæritur :

An datur obligatio confitendi peccata mortalia dubia ?

An con-fitenda.

R. Multum hac in re dissentiunt auctores.

Prima sententia generali-ter affir-mat.

Non pauci universaliter affirmant, pro triplici dubio supra descripto : si tamen prudens et non spernendum sit dubium, et aliunde pœnitens propter grave incommodum non videatur eximendus ab hac integritate confessionis.

Hanc obligationem probant ex ratione et verbis S. Thomæ, loc. cit., ad 3 : *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente ; quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri ; non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, et judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram.* Loquitur S. Doctor de casu ubi de peccato commisso dubitatur an sit mortale, sed ratio eadem, aiunt, valet pro cæteris dubiis.

Idem probant ex Concilio Trid., quod, sess. XIV, cap. V, universaliter pronuntiat a pœnitentibus recensenda esse *omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent,* et paulo post, *ea peccata, quibus* (quisque) *se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit,* non distinguendo scilicet inter certa et dubia; sed de solis venialibus dicit, quod *taceri citra culpam possint.*

Alii vero plures, doctrinæ probabilisticæ addicti, primam sententiam rejiciunt; licet propterea non universaliter negent peccata dubia esse confitenda, neque inter se perfecte concordent: distinguere namque solent tum inter peccata dubie commissa, dubie mortalia et dubie confessa, tum inter positive et negative dubia. Contrariæ sententiæ patroni discrepant et varie distinguunt,

Quoad peccata mortalia *dubie commissa*, satis consentiunt ea non esse confitenda, saltem per se et speculative loquendo, si dubium sit positivum, ita ut probabilis ratio suadeat peccatum non fuisse commissum, etiamsi forte adhuc probabile sit fuisse commissum. Quamvis autem plures aliter sentiant in dubio negativo, S. Alphonso tamen cum aliis, præsertim in *Hom. Apost.*, tract. 16, n. 31, et tract. 15, n. 34, probabilior est sententia quod non detur obligatio confitendi ejusmodi peccata dubia, sive dubium sit positivum, sive negativum. Rationes a S. Doctore adductæ sunt: 1.° Quia Concilium Trid. non dicit confitenda esse peccata *ut sunt in conscientia* vel *memoriæ occurrunt,* nempe vel ut certa vel ut dubia, quemadmodum supponunt adversarii, sed *quorum conscientia* vel *memoria habetur:* porro hæc verba important certam peccati notitiam, siquidem nemo proprie dicitur *conscius* vel *memor* rei de qua dubitat. 2.° Quia non debet onus certum imponi ex lege dubia: lex autem de confitendis mortalibus dubiis est dubia.

De peccatis autem *dubie mortalibus* probabilistæ idem fere statuunt ac de peccatis dubie commissis: utrobique enim eædem currunt rationes.

Plura de his omnibus vide apud S. Alphonsum, n. 473 et seq.

Denique quod attinet mortalia *dubie confessa,* juxta probabilistas omnes confitenda sunt in dubio negativo, quando nempe nulla positiva et gravis ratio suadet

peccatum fuisse in confessione expositum. Si vero dubium sit positivum, ita ut habeatur vera probabilitas de peccato jam confesso, etiamsi adhuc concurrat probabilitas in contrarium, non ita conveniunt. Multi ex eis, et sane gravissimi theologi, ut Suarez et De Lugo, tenent pœnitentem in eo casu ab obligatione ulterioris confessionis eximi : sive, ut aliqui dicunt, ob generalem rationem quod quisque possit licite se conformare opinioni vere probabili ; sive quia lex habens contra se opinionem probabilem evadit incerta et proinde non amplius obligat, ut dicunt alii. Verum S. Alphonsus, n. 477, et in secundo elencho quæst. reform., sub XVI et XVIII, re diligenter expensa, contendit peccata dubie confessa omnino confitenda esse, sive dubium sit negativum, sive positivum ; quia lex divina præcipiens confessionem mortalium certorum est certa, cui non satisfit per impletionem incertam.

sed quoad praxim conveniunt.

Cæterum *practice loquendo,* omnes probabilistæ fatentur pœnitentibus omnino suadendum esse, saltem ordinarie, ut peccata mortalia, quocunque modo dubia sint, sincere exponant ; quia id magis absterret a peccatis et simul prodest ad conscientiæ tranquillitatem.

Dicitur : *saltem ordinarie :* quia quandoque adest specialis ratio pœnitentem ab hoc onere eximendi : quam limitationem pariter admittunt sententiæ cæteroquin generaliter affirmantis.

Regulæ ad discernendum an pœnitens sit eximendus necne ab onere confitendi peccata dubia.

Ad hoc ipsum discernendum inserviunt sequentes regulæ :

Prima. Scrupulosi ordinarie non tenentur confiteri peccata mortalia dubia cujusvis classis, quia ordinarie eorum dubia non sunt fundata, et aliunde ob grave damnum ipsis obventurum eximuntur ab hac obligatione, quæ juris positivi tantum est.

Secunda. « Eximi debent, ut ait S. Alphonsus, n. 476, ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia (seu dubie commissa, seu dubie mortalia) ii qui sunt timoratæ conscientiæ et non solent deliberate lethaliter peccare ; hi enim in dubio rationabiliter, imo moraliter certo credere possunt non consensisse, quia præsumptio sumitur ex communiter contingentibus.... Qui habitualiter

Deo adhæret, et valde timet ne divina gratia privetur, si contingat aliquando ab eo averti, magnam sibi vim inferre debet, ut remorsum conscientiæ contemnat, et in peccatum deliberate se projiciat : id autem non potest agere, nisi certo advertat malum quod amplectitur. »

Tertia. « E converso, ut dicit idem Sanctus, oppositum est censendum de eo qui est assuetus de facili in peccata mortalia prolabi ; quia in dubio præsumitur iste consensisse : si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. »

Quarta. Pœnitentes rudes et ignari pariter obligandi sunt, ut peccata confiteantur de quibus dubitant an mortalia sint; quia non valent recte discernere inter mortalia et venialia ; quinimo ea quæ certo mortalia sunt, facile levia aut dubia existimant.

Quinta. « Ille, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat, an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe jam de illo confessum fuisse. » Ita plures auctores apud S. Alph., n. 477.

An potest absolvi qui confitetur solum peccatum dubium ?

An possit absolvi qui confitetur solum peccatum dubium.

R. Distinguendo : 1.° Si dubitet, utrum peccatum, quod certo novit se commisisse, sit mortale an veniale, vel utrum illud sit confessus, potest absolvi, si cætera requisita adsint, quia habetur materia certa.

2.° Si dubitet, utrum peccatum revera commiserit, non potest absolvi, nisi addat aliud peccatum certum, vel justa detur ratio absolvendi sub conditione *si peccasti*, juxta dicta N. 34.

Ad quid tenetur pœnitens, qui confessus est peccatum ut dubium et postea de eo certus redditur ?

Ad quid teneatur pœnitens qui confessus peccatum ut dubium postea de eo certus redditur.

R. Distinguendo: 1.° Si confessus sit peccatum ut certo commissum, sed sub dubio utrum illud antea confessus fuerit necne, vel an sit mortale vel veniale, non tenetur illud repetere, quia peccatum integre fuit expositum secundum objectum et circumstantias, prout supponitur, et confessarius simpliciter ab eo absolvit, secundum quod ligabat conscientiam pœnitentis, et non tantum

secundum propriam aut pœnitentis æstimationem de ejus malitia. In hoc casu videtur idem dicendum, modo absolverit confessarius, quamvis in tali aliquo actu nullam malitiam apprehendisset.

2.° Si pœnitens peccatum mortale confessus fuerit tanquam dubie commissum, et jam constet esse certo commissum, quidam, inter quos Steyaert, dicunt eum ad nihil teneri. Sed communis sententia, cui adhæret S. Alphonsus, n. 478, tenet pœnitentem obligari ad illud denuo confitendum ut certum : quia ex Conc. Trid. accusanda sunt omnia mortalia, quorum habetur conscientia seu notitia certa, pœnitens autem in casu habet conscientiam peccati mortalis ; neque ab hujus accusatione eum liberat confessio anteacta, quia in accusatione dubia nullo modo includitur certa, sicut in numero incerto cum addito *plus minusve* censetur includi certus non notabiliter excedens.

N.° 58. De circumstantiis exponendis in confessione.

Divisio circumstantiarum.

1.° Recolendum est ex tract. *De actibus humanis*, circumstantias alias esse quæ *mutant speciem* peccati, et quidem notabiliter, ut circumstantia rei sacræ in furto, quæ illud reddit sacrilegum ; alias esse quæ *non mutant speciem* peccati, sed illius malitiam *notabiliter aggravant*, aut *notabiliter minuunt* intra eamdem speciem, ut circumstantia rei pretiosissimæ in furto, aut parvæ quantitatis cibi in violatione jejunii ; tandem alias esse *leviter aggravantes* in eadem aut diversa specie, ut quod furtum sit commissum die festo, aut *leviter minuentes*, ut quod mulier in fornicationem consenserit ex levi metu, vel etiam *impertinentes*, ut quod furtum sit commissum mane aut vespere.

Error Lutheri.

2.° Notandum est, quod Lutherus in lib. *De captiv. Babylon.*, docere non timuerit, circumstantias locorum, temporum, personarum, etc., esse omnino contemnendas, et apud christianos unam esse circumstantiam, *nempe peccasse in fratrem* : quod Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, merito dicit a ratione alienum esse. Circa hanc materiam sequentes proponimus quæstiones :

Quæst. I. *Quænam circumstantiæ certo exponendæ sunt, ut confessio sit integra?*

Circumstantiæ notabiles mutantes speciem peccati mortalis debent in confessione exponi;

R. 1.° Necessario exponendæ sunt circumstantiæ notabiliter *mutantes speciem* peccati mortalis ; idque est de fide.

Constat ex Conc. Trid., quod sess. XIV, cap. V, docet *eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant,* et can. 7, contrarium asserentes damnat.

Confirmatur 1.° rationibus et verbis ejusdem Concilii, loc. cit., scilicet: *Quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Atqui hæc omnia pro recta Sacramenti Pœnitentiæ administratione requiruntur ; ergo.

Conf. 2.° Peccata confitenda sunt secundum speciem et numerum, uti constat ex N. 57 : atqui, dum adest circumstantia notabilis mutans speciem, sunt æquivalenter in uno actu duo peccata specie distincta, ut patet in furto rei sacræ, quod et furtum et sacrilegium involvit; ergo.

Quænam circumstantiæ speciem mutent, vide in tract. *De peccatis* : quæ autem frequentius occurrunt, sunt : circumstantia falsi in detractione ; circumstantia rei aut loci sacri in furto ; circumstantia voti, matrimonii, consanguinitatis aut affinitatis, in luxuriæ actibus externis, et plerumque in internis.

a fortiori illæ quæ faciunt peccata differre toto genere.

2.° Necessario exponendæ etiam sunt, et a fortiori quidem, illæ circumstantiæ quæ faciunt peccata differre *toto genere,* ut aiunt, nimirum : quæ de veniali faciunt mortale, uti circumstantia gravis damni prævisi ex levi furto ; item quæ de mortali faciunt veniale, uti imperfectio deliberationis actus. Sed in hoc ultimo casu circumstantia exponi non debet, nisi dum quis ipsum veniale peccátum vult confiteri.

Quæst. II. *An necessario exponendæ sunt etiam circumstantiæ quæ peccatum notabiliter aggravant, quin tamen mutent ejus speciem ?*

An exponendæ sint circumstantiæ

R. Controvertitur utrimque probabiliter.

Multi affirmant, inter quos Suarez, Melchior Canus, Sanchez, Sylvius, Billuart, etc.

notabiliter aggravantes in eadem specie.

Pro hac sententia allegantur rationes sequentes :

Rationes sententiæ affirmantis.

1.° Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, in quo confessarius est judex, pœnitens autem reus et sui accusator : atqui ut confessarius rectum ferat judicium pœnamque culpæ proportionatam imponat, debet cognoscere non solum speciem et numerum peccatorum, sed et totam eorum gravitatem ; hanc autem multum augent circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem speciem. Sic aliud ferendum est judicium de culpa illius qui mille aureos abstulit, quam si unum tantum abstulisset; ergo istæ circumstantiæ confessario declarari debent.

2.° Concilium Tridentinum, quamvis nec hanc, nec alias quæstiones inter catholicos controversas definire, sed tantum errores hæreticorum damnare voluerit, fundamentum tamen posuit hujus sententiæ ; etenim dum docet circumstantias speciem mutantes esse confitendas, adfert hanc ipsam rationem, quæ in primo argumento fuit proposita, scilicet ut confessarii possint *de gravitate criminum recte censere et pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere*. Atqui ratio illa æque et quandoque plus urget pro circumstantiis in eadem specie aggravantibus quam pro speciem mutantibus , ut patet in furto mille aureorum in loco sacro depositorum ; cum itaque posterior circumstantia *loci sacri* confitenda sit, etiam prior seu *magna quantitas* declarari debet. Ergo mens Concilii Trid. fuit has circumstantias declarandas esse in confessione.

Confirmatur : Catechismus Romanus, auctoritate Conc. Trid. editus, *De Pœnitentiæ Sacramento*, n. 62 et 63, clare docet circumstantias, de quibus agitur, confitendas esse. Idem præscribit S. Carolus Borromæus in *Instruct. confessariorum ;* quum autem tam S. Carolus quam auctores Catechismi Romani, Concilio Trid. interfuerint, juxta hujus Concilii mentem ea docuisse merito censentur.

Porro patroni hujus sententiæ observant, circumstantias quæ solent aggravare peccatum intra eamdem speciem, esse imprimis circumstantias *quantitatis, intensionis, modi* et *durationis*. Quantitas præcipue inquirenda est in peccatis injustitiæ ; intensio in passionibus

iræ, invidiæ, etc ; modus in voluntario, an nimirum sit directum vel indirectum ; duratio autem tum in peccatis internis, puta odio, delectatione morosa, etc., quia in his secus ac in externis,per se nulla duratio subintelligitur, tum in quibusdam peccatis externis, ut in injusta dilatione restitutionis, in occasione proxima peccandi, in consuetudine voluntaria, etc.

Ad dignoscendum autem an circumstantiæ intra eamdem speciem notabiliter aggravent, hæc a quibusdam traditur regula : In materia quantitativa, censetur circumstantia notabiliter aggravans, quando seorsim sumpta et ab actu separata, sufficeret ad peccatum mortale, ut qui furaretur decem francos, supposito quod quinque sufficiant ad peccatum mortale. In aliis vero materiis censetur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujusmodi materiis,v.g., totam noctem transigere in impudicitiis cum muliere ; per menses et annos perseverare in odio fraterno, etc. Si neutrum ex his occurrat, censetur tantum leviter aggravans.

Rationes sententiæ negantis.

Alii vero, inter quos S. Antoninus, S. Bonaventura, De Lugo,Vasquez, Lessius, etc., negant, per se loquendo, confitendas esse circumstantias notabiliter aggravantes.

Hæc sententia, quæ communior est et S. Alphonso, n. 468, probabilior, probatur sequentibus argumentis :

1.° Concilium Tridentinum in præcitatis capite et canone declarans doctrinam Ecclesiæ circa confessionem, solum statuit eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant ; ergo implicite agnovit illam obligationem non subsistere pro reliquis. Etenim si eadem ratio æque urgeret pro utrisque circumstantiis, sine causa Concilium limitasset totam doctrinam illam ad circumstantias quæ mutant speciem. Nec juvat dicere Concilium voluisse tradere doctrinam certam, et abstinere ab incertis et controversis ; nam, ut dicit De Lugo, id potuisset præstare utendo verbis generalibus, v. g., esse obligationem confitendi *saltem* circumstantias speciem mutantes.

2.° Si aliter esset, tum pœnitentes tum confessarii sæpe inter angustias fluctuarent ob dubium frequens de

circumstantiarum gravitate : nulla enim regula certa et in praxi probanda assignari potest ex qua dignoscantur circumstantiæ notabiliter aggravantes, v. g., pro duratione, intensione, modo, etc.

3.° Lex dubia non obligat, seu in dubio de existentia legis, melior est conditio libertatis possidentis : atqui dubia est lex de confitendis circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eamdem speciem ; ergo.

Confirmatur auctoritate S.Thomæ, qui *In IV*, dist.16, quæst. 3, art. 2, dicit : *Circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis.* Cfr. S. Alph., n. 468.

Aliqui, ut Sporer, Layman, excipiunt circumstantiam *quid*, quæ scilicet attingit integritatem substantialem peccati in individuo, prout est quantitas furti ; alii vero putant, nec admittendam *per se* esse hanc exceptionem, modo quantitas ut gravis declaretur.

Dictum est : *per se loquendo,* quia aliquando circumstantiæ illæ per accidens sunt confitendæ, scilicet : 1.° si inducant censuram vel reservationem ; 2.° si ad necessariam pœnitentis directionem is a confessario prudenter interrogetur, ut in consuetudinariis, occasionariis, et plerumque dum agitur de obligatione ad restitutionem ; 3.° si ratione earum multiplicentur peccata, et sic juxta S. Alphonsum declaranda est circumstantia quantitatis temporis per quod duravit odium vel concupiscentia carnalis in mulierem.

Cæterum fatentur sententiæ negantis patroni in praxi *ordinarie* expedire ut circumstantiæ notabiliter aggravantes declarentur, atque id fidelibus suadendum esse, tum ad majorem animi pacem et humilitatem, tum ad uberiorem fructum ex Sacramento percipiendum. Id tamen non intellige, ait Dumas, de accusatione peccatorum contra sextum præceptum.

Quæst. III. *An circumstantiæ notabiliter minuentes malitiam peccati, sic tamen ut maneat mortale, in confessione declarari debent ?*

An sint exponendæ circumstantiæ

R. Affirmant aliqui ; quia hoc requirit fidelitas confessionis, cum alioquin pœnitens se accusaret de peccato graviori quam revera commisit : et ita qui incendit

domum, non quidem ex deliberata voluntate sed ex gravi tamen et culpabili negligentia, non satisfacit confitendo incendium voluntarium, sed dicere debet fuisse factum ex negligentia gravi, adeoque indirecte tantum voluntarium. Verum negant alii plures, etiam ex iis qui circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie confitendas docent. Ratio est, ait Sylvius, partim quia non est necesse quod pœnitens in eo quod vere se accusat, seipsum excuset; partim quia quando diminutio non est tanta ut impediat malitiam mortalem in tali specie, non dicitur circumstantia notabiliter minuens, aut sufficiens ad valde variandum morale judicium. notabiliter minuentes.

Quæstio IV. *An in confessione exprimendæ sunt circumstantiæ non notabiles?*

R. Optime resolvit Wiggers: « Circumstantiæ quæ neque notabiliter augent, neque notabiliter diminuunt, non sunt necessario confitendæ, et quæ impertinentes sunt, debent omitti. Ratio prioris est, quia non mutant notabiliter statum pœnitentis: unde absque illis potest confessarius sufficienter de pœnitente judicare. Quæ autem aliquousque augent, salubriter possunt in confessione exprimi; quæ vero aliquantulum diminuunt, non debent ita facile allegari, ne videatur id fieri ad excusandas excusationes in peccatis. Ratio posterioris est, quia nihil faciunt ad pleniorem peccatorum cognitionem, et inutili verborum multitudine tempus consumitur. » Non sunt exponendæ circumstantiæ non notabiles.

Quæstio V. *An ad confessionis integritatem necesse est ut declarentur præambula et media adhibita ad peccandum?*

R. Distinguendo: 1.° Si ista præambula aut media contineant malitiam mortaliter malam distinctæ rationis ab opere, debent exponi, sive opus perficiatur, sive non: ratio est, quod tunc constituant peccatum distinctum ab opere, nec subintelligantur in confessione ipsius operis: ita maleficia adhibita ad inferendum damnum alteri necessario exprimi debent. Quandonam exponi debeant præambula et media adhibita.

2.° Si ista præambula aut media non contineant malitiam distinctam et tendant sine morali interruptione ad idem opus consummandum, v. g. joci et tactus ad fornicandum, conamina ad furandum, opere secuto, non debent distinctim explicari in confessione, nisi, ut plures volunt, sint extraordinaria, aut solito diutius

continuata : ratio est, quod tunc illa media unum totum morale efficiant cum opere principali, et in hujus declaratione sufficienter intelligantur.

3.° Si autem opus consummatum non sequatur, aut inter præambula seu media et opus intercedat moralis interruptio, distinctim exponi debent, quia tunc constituunt peccatum mortale distinctum.

Quæst. VI. *An consuetudo peccati mortalis, ex qua quis peccavit, in confessione exponenda est ?*

An exponenda sit consuetudo peccati mortalis.

R. 1.° Certum est quod confessarius de consuetudine aliquando interrogare debeat, ut de statu pœnitentis judicet et videat quæ remedia præscribenda sint : et tunc confessario interroganti tenetur pœnitens consuetudinem illam fateri. Unde damnata est ab Innocentio XI hæc propositio 58ª : *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

R. 2.° Si confessarius desuper non interroget, et agatur de consuetudine voluntaria, auctores non ita conveniunt. Plures censent tunc consuetudinem omnino in confessione declarandam esse. Ratio est, quod peccator, quamdiu voluntarie perseveravit in tali consuetudine, non tantum neglexit pœnitere, sed voluntarie ponendo et continuando istam peccatorum causam, fuit continue in voluntate peccandi virtualiter perseverante ; sicut ille qui voluntarie manet in occasione proxima peccati. Unde confessarius tanquam judex non potest recte judicare de culpabilitate talis pœnitentis, nec tanquam medicus congrua præscribere remedia, nisi cognita hac peccati consuetudine. Quocirca scribit Lacroix, n. 970 : « Tum confitenda est consuetudo, si adhuc sit volita, et pergat esse proxima occasio relabendi : sicut enim qui voluntarie et advertenter per actus frequentatos contrahit consuetudinem peccandi, quæ ipsi est occasio proxima novorum peccatorum, peccat dupliciter, nempe ipso actuali peccato, v. g. blasphemiæ, deinde contrahendo illam consuetudinem, quæ erit occasio proxima secuturarum blasphemiarum objective malarum ; ita etiam peccat dupliciter, qui blasphemat et voluntarie pergit augere vel retinere talem consuetudinem : ideoque confitens dicere debet : Blasphemavi sæpissime et ita blasphemando advertenter

induxi aut emendare nolui consuetudinem blasphemandi. »

Alii tamen negant per se consuetudinem peccandi accusandam esse : idque probabilius esse censet Gury ; quia consuetudo vel sumitur pro habitu ex malis actibus repetitis inducto, et eatenus, quamvis sit vitium, per se tamen non est peccatum ; vel sumitur pro iteratione ejusdem peccati jam alias declarati, et eatenus non facit ut peccatum iterum admissum atque hic et nunc confitendum, sit vel gravius ex parte objecti, vel diversum in sua specie.

Dicitur : *per se*, « quia, ut dicit idem auctor, aliquando per accidens declarari debet consuetudo, ut confessarius judicet de statu pœnitentis in ordine ad absolutionem dandam vel denegandam ; quod tunc locum habet, quando pœnitens prudenter dubitare potest de animi sui dispositione, vel merito timere potest, ne forte in hoc hallucinetur. »

« Cæterum, subdit, in praxi præstat pœnitentes hortari, ut peccandi consuetudinem confessario non ordinario aperiant. »

Quæst. VII. *An necessario declaranda est circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus?*

An exponenda sit circumstantia gradus incestus.

R. Juxta plures exprimendi sunt omnes gradus usque ad quartum sive consanguinitatis sive affinitatis ; quia, si diversam non faciant speciem, equidem diversam faciunt malitiæ gravitatem.

Juxta alios vero, qui negant necessitatem exprimendi circumstantias notabiliter aggravantes, circumstantia gradus *per se* tunc solum exprimi debet quando inducit speciem diversam. Quocirca P. Konings ex S. Alphonso breviter tradit sequentia :

« 1.° Probabilius incestus inter consanguineos et affines specie non differunt, cum nihil referat utrum conjunctio oriatur ex sanguine, an ex matrimonio ; nam ex *eodem motivo* prohibetur copula cum consanguineis, ex quo prohibetur cum affinibus : ideo circumstantia consanguinitatis vel affinitatis necessario exprimenda non est.

2.° Juxta communem DD. sententiam aperienda est circumstantia conjunctionis in primo gradu lineæ rectæ,

nempe inter patrem et filiam ; matrem et filium ; socerum et nurum ; socrum et generum ; novercam et privignum ; vitricum et privignam, ob debitum reverentiæ. Imo explicandum an filius peccarit cum matre, ratione *specialis* reverentiæ matri debitæ. — Idem dicunt de circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem. Attamen contrariam sententiam *æque probabilem* vocat S. Alph.

3.° *Probabilius* autem cæteri gradus consanguinitatis vel affinitatis non sunt necessario declarandi. »

N.° 59. De obligatione et modo monendi et interrogandi pœnitentem qui integre non confitetur.

Quæstio I. *An confessarius advertens pœnitentem integre non confiteri, debet eum monere ?*

Confessarius monere debet pœnitentem qui integre non confitetur.

R. Affirmative per se loquendo : nam confessarius, tanquam minister Sacramenti, tenetur curare ut omnes illius partes habeant conditiones requisitas, adeoque etiam ut confessio sit integra.

Hinc Bened. XIV, in Encyclica de præparatione ad Jubilæum anni 1750, dicit : *Quod si confessarius probe novit pœnitentem aliquibus peccatis gravari quæ nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiæ recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia quæ tamen culpa non vacat, cum putet sibi licere quod reipsa nefas est, e re erit confessarii, ne alioqui necessaria integritate confessio fraudetur, caute ac prudenter in memoriam pœnitentis revocare quæ omisit, illumque monere ac corrigere, ut rite comparatus Sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiat.*

Dictum est : *per se loquendo ;* quia si pœnitens bona fide procedat, aliquando in ea relinqui potest ; saltem quoad peccata jam confessa sed invalide ; cfr. NN. 55 et 63. Similiter si confessarius fundate præsumeret pœnitentem ob ignorantiam inculpabilem aut bonam fidem formaliter non peccasse, saltem graviter, posset aliquando eum relinquere in bona fide, aliquando vero eum instruere debet, prout discutitur proprio loco.

Notandum hic est, quod si pœnitens confessario notus sit, vel semel dixerit, quod v. g. sit conjugatus, opus

non sit ut ulterius id exprimat, dum se accusat de peccatis, quibus illa circumstantia malitiam notabilem addit ; censetur enim pœnitens se accusare de istis sub illa qualitate nota confessario.

Posset etiam pœnitens peccatum aliunde notum confessario declarare, dicendo : Confiteor istud peccatum cum circumstantiis, prout tibi notum est.

Quæstio II. *Quid faciendum est si pœnitens neget peccatum grave, quod confessarius novit ab ipso commissum esse ?*

Quid faciendum si pœnitens neget peccatum grave confessario aliunde notum.

R. Distinguendo : 1.° Si confessarius noverit istud peccatum ex relatione aliorum tantum, ordinarie standum est dictis pœnitentis, quia huic potius quam aliis in hoc sacro tribunali credendum est, et pro se et contra se loquenti, adeoque, nisi aliud quid obstet, absolutio dari poterit.

Dicitur : *ordinarie,* quia aliquando tanta potest haberi certitudo, quam infirmare nequeat denegatio pœnitentis.

2.° Si confessarius præsumere possit quod pœnitens ob bonam fidem v. g. graviter non peccaverit, vel peccatum oblitus sit, aut alteri confessario jam sit confessus, tanquam absolutione indignus propter istam negationem haberi non debet.

3.° Si vero confessarius certo sciat quod pœnitens peccatum commiserit et graviter in eo culpabilis fuerit, nec alteri sit confessus, sed sacrilege illud pergat negare, absolutio dari non potest, quum tunc constet confessionem non esse formaliter integram, adeoque Sacramentum foret invalidum.

Ut autem in simili casu negatio pœnitentis præcaveatur, expedit ut confessarius ipsum non dubitando interroget, sed positive dicat, se scire quod istud peccatum commiserit, eumque moneat ut de eo se accuset prout commissum est.

Quomodo se gerere debeat confessarius qui cognoscit peccatum pœnitentis ex confessione tertii, v. g. complicis, dicetur ubi de sigillo.

Quæstio III. *An etiam confessarius fundate dubitans num pœnitens integre confiteatur, tenetur eum interrogare ?*

Tenetur confessarius interrogare si

R. Affirmative, ob rationem datam supra ; scilicet, quod confessarius, tanquam minister Sacramenti, teneatur curare confessionis integritatem ; insuper debet

fundate præsumat pœnitentem non integre confiteri,

tanquam judex causam inquirere, et tanquam medicus scrutari vulnus pœnitentis : *frequenter* autem, uti observat S. Thom., *In IV*, dist. 19, *quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat.*

Hinc in cap. *Omnis utriusqus sexus*, generatim præscribitur, ut *sacerdos sit discretus et cautus..... diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.* Similiter in Rituali Rom. : *Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.*

Igitur cavere debet maxime, ne ex respectu humano, desiderio placendi, aut alio mundano motivo omittat interrogationes necessarias ; ideoque memor sit verborum Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Notandum tamen est quod confessarius non omnes sine discrimine pœnitentes interrogare debeat, sed eos tantum quos peccatum mortale omittere, vel non satis declarare speciem, numerum aut circumstantias debitas, rationabiliter præsumit.

Quæstio IV. *Qualis in his interrogationibus adhiberi debet diligentia ?*

idque cum mediocri diligentia ;

R. In interrogationibus illis non requiritur diligentia summa, sed mediocris, sicut de examine conscientiæ dictum est. « Nec refert, inquit Billuart, quod si confessarius plus examinaret, forte plus inveniret ; non enim hic attendendum est solum ad integritatem materialem confessionis, sed etiam ne summa et nimia industria in examinando reddatur Sacramentum pœnitentibus onerosum et odiosum. » Consentiunt De Lugo, *De Pœn.*, disp. 15, sect. 14 ; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tract. 14, dist. 8; Reuter, *Neo-confessarius*, part. 1, cap. 3, § 4, etc.

Igitur circa interrogationem pœnitentium duo pariter cavenda sunt, defectus nempe et excessus. Per defectum peccant confessarii quorum professio est, ut ait Steyaert, vix unquam aliquid interrogare : quod ex velocitate qua plurimos expediunt, colligere licet. E contra, ut addit, qui omnes indiscriminatim, saltem quos audire soliti non sint, longe lateque interrogant, ideoque paucissimos expedire solent, putandi sunt per excessum peccare.

Quæstio V. *An pœnitens interdum debet interrogari circa peccata de quibus nihil confitetur ?*

aliquando etiam circa peccata de quibus pœnitens nihil confitetur :

R. Affirmative, scilicet : 1.° Quando peccatum expositum ingerit suspicionem alterius peccati, eo quod soleant esse connexa, aut unum soleat esse effectus vel causa alterius. Sic ab ebrioso sæpe petendum est an in ebrietate non protulerit verba blasphematoria, juratoria, obscœna, etc.

2.° Quando pœnitens nihil confitetur circa peccata status sui, qui tamen apparet esse vitæ solutioris ; tunc interrogari debet circa peccata quæ ordinarie committuntur ab hominibus istius status, conditionis, artis vel ætatis : sic ab operario qui videtur negligentior, petere oportet an operam debitam impenderit.

Quæstio VI. *Quænam generatim observari debent quoad peccata de quibus interrogandi sunt pœnitentes ?*

circa quæ peccata.

Tria assignat S. Thomas, loc. cit., nimirum : *Primo, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare ; non enim oportet ut a milite quæratur de peccato clericorum, aut religiosorum, aut e converso.*

Secundo, ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt ; de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut, si commisit, dicat, et, si non commisit, non addiscat.

Tertio, ut in peccatis præcipue carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias...., ne sibi et confitenti noceat. Imo quoad hæc peccata merito advertit Steyaert, *De Sacram. Pœnit.*, in Append., § 17, potius committendum esse ut confessio exponatur periculo minoris integritatis, quam confitens periculo novi consensus, confessarius suspicioni et Sacramentum odio exponantur.

His plane consonat Rituale Romanum admonens confessarium, ut *caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim personas juniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.* Et in Instruct. pro confessariis hujus diœcesis apposite dicitur : *In primis monentur serio omnes et*

singuli confessarii, ut parce, caste et admodum caute interrogent circa peccata carnis, non solum quando virgines habent confitentes, sed etiam quando conjugatos aut quoscunque cœlibes.

Quæstio VII. *Quænam servanda sunt quoad modum proponendi interrogationes opportunas ?*

Quomodo interrogationes fieri debeant,

R. Servanda sunt sequentia : 1.° Ut interrogationes benignis et placidis verbis fiant, ne pœnitens timore correptus respondere non audeat.

2.° Interrogationes accommodentur capacitati et dispositioni pœnitentium : siquidem aliter rudes, aliter exculti ; aliter juvenes, aliter senes ; aliter timorati, aliter laxi, etc. interrogari debent. De rudibus speciatim monet S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 20, ut confessarius eos « interroget tantum de peccatis in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate ; imo, addit, cum pœnitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus, et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare. »

3.° Si suspicetur confessarius pœnitentem peccatum reticere ex pudore vel timore, expedit interrogationes incipere a majoribus, petendo v. g., an tam enorme crimen commiserit ut non audeat confiteri. Tunc enim pœnitens sæpe respondebit non esse tam enorme crimen et audebit propalare peccatum commissum quod sibi minus videtur, ut evadat suspicionem majoris. Attendat etiam confessarius in casu ad sequens monitum S. Francisci Sales., *Instruct. pro confess.*, cap. 1 : *Si pudore et verecundia eum* (pœnitentem) *laborare perspiciatis, animum illi et fiduciam addite, dicendo et ostendendo, non magis quam illum, vos angelos esse : minime videri vobis mirum, homines peccare : confessionem et pœnitentiam infinite majorem homini honorem afferre, quam peccatum attulerat confusionem : Deum primum, ac deinde confessarios non æstimare homines juxta id quod olim fuere, sed juxta id quod sunt modo : peccata denique in confessione declarata apud Deum et confessarium velut sepulta esse, adeo ut nulla eorum memoria supersit.*

4.° Si suspicetur confessarius peccatum omitti ex ignorantia vel simplicitate, interrogationes inchoandæ sunt a minoribus, ne forte pœnitens peccare discat ; vel a generalioribus, v. g., an non peccaverit contra justitiam, charitatem, etc., et ulterius progrediendo, prout responsa pœnitentis exigunt.

5.° Quando accedit peccator qui multis peccatis irretitus longam confessionem facere debet, ne confessarius nimis sollicita diligentia scrutari velit omnia omnino peccata, eorumque numerum, speciem et circumstantias : sic enim utrique nimis onerosa redderetur confessio, et parum prodesset ad integritatem, siquidem sæpe foret impossibile pœnitenti ad omnia respondere. De modo inquirendi numerum peccatorum vide dicta N. 56.

6.° Caveat generatim confessarius ne nimis subtiliter et anxie omnia revocet ad apices theologicos, quo se et pœnitentes scrupulis implicaret, seque audiendis confessionibus minus aptum redderet.

7.° Demum servetur hoc consilium S. Alphonsi in *Praxi confess.*, n. 6 : « Boni confessarii prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis quibuscum, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere. »

Expedit etiam ad prudens judicium efformandum, ut servetur id quod præscribit Rituale Rom., scilicet ut *confessarius inquirat de* (pœnitentis) *statu, nisi aliter notus fuerit, et quampridem sit confessus, et an impositam pœnitentiam adimpleverit ; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.*

De istis tamen interrogandi non sunt illi qui sæpe confitentur, graviter non peccant, nec illi qui noscuntur scire omnia quæ ad integritatem confessionis requiruntur, et ad eam se bene præparare, ut ecclesiastici aliique pii homines.

Quæstio VIII. *Quo tempore interrogationes fieri debent?* et quo tempore.

R. Si pœnitens sponte non declaret tempus ultimæ

confessionis, satius id petitur antequam incipiat peccata confiteri, quia illa notitia multum facilitat judicium confessarii circa peccata exponenda. Reliquæ vero interrogationes ordinarie convenientius fiunt postquam pœnitens cessavit loqui ; si enim hic enarrationem suam præconceptam cogatur interrumpere ut respondeat ad interrogationes confessarii, facile turbatur et aliquorum peccatorum obliviscitur.

In praxi procedi solet hoc modo : Post benedictionem pœnitenti impertitam, primum roganius quandonam pœnitens ultimo sit confessus, nisi ipse id sponte dicat, et responso accepto, damus ei fiduciam, dicendo v. g. *Valde bene, animose, quid exinde accidit ?* Tunc sinitur pœnitens se accusare de omnibus sine interruptione, nisi quod interdum per unum alterumve verbum juvetur ut cum fiducia pergat. Verum interea, si pœnitens aliqua dicat, de quibus interrogandus sit, confessarius illa speciatim retineat.

Ita quidem ordinarie et in brevioribus confessionibus et ubi de paucis interrogandum est, procedi solet ; sed in longioribus in quibus de multis inquiri oportet, sequenda est regula quam tradit S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 20, dicens : « Notandum est, melius esse si confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit pœnitens, quam ut differat examen usque ad finem ; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quæ audivit, aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa. »

Quæstio IX. *Si confessarius non recordetur alicujus puncti, de quo pœnitentem interrogare intendebat, an debet eum obligare ut confessionem renovet ?*

Quid si confessarius non recordetur puncti de quo intendebat interrogare.

R. cum Preingué, quod non videatur ad hoc teneri, quando confessio est prolixa et punctum oblivioni traditum non creditur esse ex illis de quibus pœnitens necessario instrui debet, ut in futuro peccata evitet: quia alias nimis grave onus pœnitenti imponeretur. Interim istud incommodum vitabitur si, ut statim dictum est, in longioribus confessionibus interrogationes non differantur usque ad finem confessionis, sed successive fiant.

Quæstio X. *Quomodo procedendum est cum pœnitente*

qui ex se nihil aut vix aliquid confitetur, et petit interrogari a confessario ?

Quid si pœnitens nihil ex se confiteus, petat ut interrogetur.

R. Disting. 1.° Si confessarius deprehendat id accidere ex gravi et culpabili neglectu examinis, pœnitens paterne corripiendus et dimittendus est, donec diligens examen instituerit, nisi necessitas spiritualis ejusdem aliter suadeat ; et siquidem negligentia videatur graviter culpabilis, monendus est, ut doleat et se accuset, quod sine debita præparatione Sacramentum Pœnitentiæ recipere voluerit.

Dicitur : *nisi necessitas spiritualis etc. ;* quia si adsit necessitas, ut si pœnitens debeat suscipere ultima Sacramenta, Matrimonium inire, etc., confessarius debet cum hic et nunc disponere et per aptas interrogationes adjuvare. Cfr. N. 55.

2.° Si quidem pœnitens se debite examinaverit, secundum suum statum et conditionem, sed ex verecundia, timore, simplicitate, ruditate vel ignorantia nesciat aut non audeat confiteri, dimitti non potest, sed benevole et patienter per interrogationes adjuvari debet.

Nota, quandoque accidere ut confessarius in personis simplicibus, etiam interrogando circa totum vitæ cursum, non obtineat nisi materiam dubiam: tunc pro absolutione serventur regulæ ante traditæ, signanter N. 54.

N.° 60. Interrogationes præcipuæ circa præcepta Dei et Ecclesiæ et obligationes diversorum statuum pro opportunitate faciendæ.

Quandoquidem confessario interdum onus incumbat interrogandi et examinandi pœnitentes qui non satis parati ad confessionem accedunt, aliquando etiam super peccatis totius vitæ, uti ex dictis supra liquet, juvat pro facilitate confessariorum hic proponere catalogum quarumdam interrogationum circa præcepta Dei et Ecclesiæ, et circa obligationes diversorum statuum, quæ in simili casu usuvenire possunt. Quænam ex illis utiliter proponi possint, quæ vero sint omittendæ, quæ aliæ addendæ, unusquisque confessarius pro sua prudentia judicabit ex circumstantiis personarum, etc.

Assigna interrogationes præcipuas quæ circa præcepta Dei fieri possunt.

Interrogationes circa præcepta Dei,

R. *Circa* 1um *præceptum.* An non dubitasti de punctis fidei, aut ea negasti ? An legisti aut retinuisti libros hæreticos, impios, schismaticos ? — Examinetur etiam an pœnitens cognoscat omnia scitu necessaria, necessitate medii aut præcepti.

An actus fidei, spei, aut charitatis non neglexisti ?

An desperasti de salute tua ? An ex præsumptione divinæ misericordiæ liberius non peccasti ?

An Deum aut res divinas aversatus es aut contempsisti ? An res sacras contempsisti aut profanasti ? Sacramenta sacrilege suscepisti ? An aliquam superstitionem commisisti ?

Circa 2um *præceptum.* An blasphemasti Deum vel Sanctos ? Quibus verbis ?

An verba juratoria protulisti ? Quæ ? An jurasti rem falsam vel illicitam ? An juramenta licita violasti ?

An vota Deo facta adimplere neglexisti ?

Circa 3um *præceptum.* An dies dominicas male traduxisti ? An fecisti vel fieri jussisti opera servilia ?

Circa 4um *præceptum.* An parentibus in re gravi inobediens fuisti ? An verba contumeliosa in eos dixisti ? An eis maledixisti ? mortem vel aliud malum optasti ?

An in alios superiores peccasti et quomodo ?

An justas eorum leges parvipendisti aut transgressus es ?

An societatibus a Sancta Sede aut Episcopo damnatis nomen dedisti ? Quoties earum conventiculis interfuisti ? Quæ mala ibidem perpetrasti ?

Circa 5um *præceptum.* An aliquem gravi odio prosecutus es ? Quanto tempore ?

An alicui gravia mala imprecatus es ? aut reipsa intulisti ? Quæ ?

An alium percussisti aut vulnerasti ? Ad duellum provocasti ? Occidisti ?

An propriam vitam temere exposuisti ? per gulam aut ebrietatem abbreviasti ?

Circa 6um *et* 9um *præceptum.* An voluntarie habuisti cogitationes inhonestas ? An desideria ? quamdiu duraverunt ? An verba impudica locutus es ? coram quot

et qualibus personis ? An ea libenter audivisti ? An indecenter te vestisti, et quo animo ?

An cecinisti cantilenas inhonestas, vel eas cum delectatione audisti ?

An legisti libros obscœnos, eosve retines ?

An inhonestos tactus vel oscula commisisti aut sine reluctatione passus es ?

An alios turpes actus commisisti, aut alium ad eos induxisti ? Quales personas ?

Circa 7um *et* 10um *præceptum*. An furatus es, et quantum ? An retinuisti rem alienam et quamdiu ?

An in emendo vel vendendo injuste egisti ?

An habuisti voluntatem furandi aut aliter injuste agendi ?

An debita solvere neglexisti ?

An proximo damnum intulisti ? injustam litem intentasti ?

An usuram commisisti ?

An rem proximi injuste concupisti ? ad eam occupandam iniqua media adhibuisti ?

Circa 8um *præceptum*. An falsum testimonium dixisti ? et juramento confirmasti ?

An aliquem apud superiores falso accusasti ?

An mentitus es in re gravi vel cum gravi damno proximi ?

An famæ alterius detraxisti ? An ei falsum crimen imposuisti ? An detrahentibus aut calumniantibus aurem præbuisti ?

An de aliis temerarie judicasti aut suspicatus es ?

An alteri grave malum exprobrasti ?

Quænam præcipuæ interrogationes fieri possunt circa præcepta Ecclesiæ ?

R. *Circa* 1um. An dies festos male traduxisti ? An in illis opera servilia fecisti ? aut ab aliis fieri jussisti ? circa præcepta Ecclesiæ,

Circa 2um. An diebus dominicis et festis Missam integre audisti ? An attente et devote ?

Circa 3um. An diebus abstinentiæ carnes aliosve cibos vetitos comedisti ?

An jejunasti dum poteras et debebas ?

Circa 4um. An singulis annis confessus es ? An integre et cum sufficienti contritione ?

Circa 5um. An singulis annis in Paschate communicasti ? An digne ?

circa obligationes status,

Quoad peccata quæ repugnant obligationibus status pœnitentis, circa quæ non raro specialiter examinandus est, juxta ante dicta, generatim observandum est, sæpe expedire ut id fiat, non tam interrogando, quam docendo, v. g. nosti obligationes status tui ; scis te teneri ad prolem christiane educandum, etc.; an istud rite præstitisti, etc.

Indica aliquas interrogationes quæ circa obligationes diversorum statuum pro re nata variis pœnitentibus proponi possunt.

R. I. *A patre vel matre* peti potest : an neglexisti curam prolium tuarum, quoad corpus vel animam ?

An neglexisti eas docere rudimenta fidei, ad catechismum mittere, et christiane educare ? An eis exempla pravitatis dedisti, aut in familia dari permisisti ?

An adultiores a pravis consortiis, conversationibus periculosis cohibere omisisti ?

II. *A conjugato :* An rixatus es cum comparte et qua de causa ? An contra obligationes status peccasti, leges honestatis transgrediendo, affectus erga alias personas fovendo vel aliter ?

III. *A puero :* An erga parentes inobediens fuisti ? An eis malum optasti ? An Deum orare, catechismum addiscere neglexisti ? An in ecclesia irreverentias commisisti ? An lusus inhonestos vel turpes lusisti aut aspexisti ?

IV. *Ab adolescente et puella :* Præter ea quæ de pueris dicta sunt, interdum, maxime si potum aut vanum ornatum diligant, inquiri debet : an cum personis alterius sexus conversatus es ? An nimis libere aut familiariter ? An cogitationes inhonestas habuisti ? An verba inhonesta dixisti vel audivisti ? Si negent, ulterius procedi non debet ; si affirment, de tactibus aliisque interrogari debent, ut supra ad 6um præceptum Decalogi indicatum fuit.

V. *A mercatore seu emente vel vendente :* An mendacia, dolos adhibuisti cum gravi damno proximi ? An fraudasti in pondere aut mensura ? Quantum et quoties ?

VI. *Ab operario vel opifice :* An operam debitam præstare neglexisti ? An causa fuisti quod alii operam

debitam non præstiterint ? An diebus dominicis aut festis laborasti ?

VII. *A caupone seu tabernario :* An ministrasti potum iis quos sciebas se inebriaturos ? An blasphemias, turpiloquia, detractiones tolerasti, ubi poteras impedire ? An peccatis alienis aliquo modo cooperatus es ?

VIII. *A medico :* An neglexisti studium necessarium pro casibus difficilioribus qui occurrunt ? An ægrotos visitare neglexisti cum gravi eorum periculo ?

An licentiam edendi carnes dedisti sine ratione sufficienti ?

An neglexisti tempestive monere infirmum ut Sacramenta suscipiat ?

IX. *A judice :* An injustam sententiam tulisti ?

An conveniens examen et studium præmittere neglexisti ?

An ex acceptione personarum vel affectu judicasti ?

An crimina legitime punire omisisti ?

X. *Ab advocato:* An suscepisti patrocinium causæ quam judicabas injustam ? An in defendendis causis justis negligentiam commisisti ? An fraudes vel injusta media adhibuisti ? An damna injuste causata reparare neglexisti ?

XI. *Ab iis qui officio funguntur,* peti debet an omnes officii partes accurate impleverint, an ex neglectu damna reipublicæ obvenerint, etc.

Quænam circa peccata mortalia in particulari a confessario inquirenda sunt, si pœnitens ea non declaret ?

R. Juxta dicta N. 56 inquiri debent actus peccati, species, numerus et circumstantiæ, saltem quæ speciem illius notabiliter mutant : hæc enim requiruntur ad integram et fidelem peccati confessionem, ut ibidem probatum est. circa peccatorum mortalium circumstantias.

Quapropter confessarius debet cognoscere regulas quæ circa distinctionem numericam et specificam peccatorum, item circa circumstantias alibi traduntur.

Ut vero hoc difficile munus rite adimplere valeat, nonnulla hic recensentur quæ circa peccata mortalia frequentius occurrentia inquirenda sunt ; cætera ex tractatibus hauriri debent, in quibus explicantur.

Circa juramenta inquiri debet, an pœnitens juraverit

falsum , an illicitum ; quæ verba protulerit , an non verba quæ simul blasphema sunt vel hæretica ; an et quæ damna secuta sint.

Circa blasphemias : quæ verba protulerit; quo animo, an per modum juramenti ea protulerit ; an scandalum dederit; an habeat consuetudinem illa verba proferendi.

Circa furtum : quid, quantum sustulerit ; a quali persona,aut loco; an cum intentione plus furandi; an solus vel cum socio; an et quale damnum proximus sit passus.

Circa cogitationes obscœnas : an in eis consenserit ; an desiderium habuerit malum perficiendi ; quale fuerit objectum, seu de quo cogitaverit ; an aliquod opus externum sit secutum ; quale.

Circa verba obscœna et turpiloquium : an esset natum multum scandalizare ; quot et quales personæ illud audiverint ; an sint passæ scandalum, etc.

Circa opera obscœna: in quo consistant, an in tactibus, osculis, etc. ; cum quali persona,consanguinea,affini,etc. sint peracta.

Circa detractionem : quid dixerit ; an verum sit vel falsum ; occultum vel publicum ; quot personis dixerit ; de quot et qualibus personis ; an detractio habuerit sequelas, ut damna, dissensiones, etc.

Circa auditionem detractionis : quam gravis fuerit detractio ; an eam audierit cum complacentia ; an detrahentem excitaverit, interrogando, ridendo, etc.

Circa ebrietatem : an fuerit perfecta, prorsus voluntaria ; an in ebrietate alia peccata commiserit, quæ prævidere potuit ; an habeat consuetudinem ; an bibendo notabile damnum intulerit uxori, liberis, etc.

Circa consuetudinem peccati mortalis : quamdiu duraverit; an fuerit aliquando retractata; quoties in die,etc., peccatum commiserit ; an aliis scandalum dederit ; an et quæ durante consuetudine Sacramenta sacrilege susceperit ob defectum contritionis, aut officia christiani hominis neglexerit, etc.

Notandum vero quod consuetudinarii vix cognoscant numerum verosimilem peccatorum,et interrogati soleant quasi divinando vagum numerum declarare : quare ab ipsis potius petendum est quoties in die, septimana vel mense peccaverint. Vide N. 56.

Circa occasionem proximam : quamdiu in ea permanserit; an sine necessitate vel justa causa ; quoties peccatum commiserit ; an aliis id notum sit, eosque scandalizaverit, etc.

N.° 61. De modo quo confessio sacramentalis facienda est.

S. Thom., Supplem., quæst. 9, art. 3.

Peccata manifestari queunt variis modis: vel per verba ore prolata, vel per nutus aut gestus, vel per scripturam sacerdoti præsenti datam aut absenti missam : confiteri quis potest vel immediate per se, vel mediate per alium. Unde quæritur :

Quonam modo regulariter debet fieri confessio sacramentalis ?

Confessio fieri debet voce propria.

R. Fieri debet voce propria, nisi adsit aliquod impedimentum physicum aut morale. Constat ex universali Ecclesiæ usu, « qui hic nunc obtinet vim præcepti, ait S. Alphonsus, n. 429, et proinde sine gravi causa foret illicita confessio aliter facta. »

Congruenter autem sic fuit institutum : 1.° Quia ex omnibus signis quibus solent homines cogitationes suas aliis manifestare, verbum orale est magis commune. *Sicut in Baptismo,* ait S. Thomas, loco cit., *ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo, ita in actu sacramentali, ad manifestandum ordinarie assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum. Alii autem modi sunt inducti in supplementum istius.* 2.° Quia ille modus oraliter confitendi est cæteris perfectior et aptior ad manifestandam integre conscientiam. 3.° Quia confert ad humiliationem peccatoris ; justum namque est, ut qui non erubuit peccando offendere Deum, jam erubescat, proprio oris verbo peccata confitendo.

Noluit tamen Christus ut confessio oralis esset de essentia Sacramenti ; ne ab ejus beneficio excludèrentur, qui vel physice vel moraliter a loquela sunt impediti, ut muti, aut ægroti ita oppressi, ut voce confiteri nequeant quin morbum aggravent, etc. Ideo additum fuit :

nisi adsit impedimentum physicum aut morale : tunc enim confessio fieri potest scripto , nutibus aut aliis signis, quibus, deficiente voce, solent homines cogitationes suas aliis manifestare.

An, urgente præcepto confitendi, ille qui voce confiteri non potest, tenetur id facere per nutus aut scripturam ?

Qui non potest voce confiteri, tenetur per nutus aut scripturam.

R. Affirmative ; et quidem quoad confessionem per nutus, obligationem communiter admittunt: quum enim in casu pœnitens per nutus confiteri possit licite et valide, nec modus ille confitendi extraordinarium adferat incommodum, nulla est ratio quæ pœnitentem ab observatione legis excuset. Quoad confessionem autem per scripturam, quidam obligationem negant ; quia, aiunt, modus hic semper est obnoxius periculo manifestationis. Communius vero et probabilius affirmant ; quia urget eadem ratio supra allegata : non enim videtur hoc medium nimis difficile; qui autem tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia, ut dicit S. Alphonsus. Periculum vero manifestationis, si timeatur, facile potest præcaveri : peccata enim in ipso momento confessionis conscribi, et charta lacerari aut comburi potest, statim ac a confessario lecta fuit.

Necessitas confitendi per scripturam occurrit, si mutus qui scribere didicit, non satis possit nutibus et gestibus omnia sua peccata manifestare confessario ; item si aliquis non habeat nisi confessarium surdastrum, cui ore confiteri nequeat, aut non nisi alta voce et cum periculo manifestationis.

Plures theologi, quibus subscribit Billuart, dicunt, quod a gravi saltem peccato excusaretur, qui præ vehementi pudore , ut aliquando contingit præsertim in puellis , confessionem scriptam traderet confessario, voce addendo : *Accuso me de omnibus quæ in hac charta descripta sunt :* tum quia vehemens ille pudor est aliqua ratio excusans et impedimentum confitendi omnia explicite verbo oris ; tum quia in verbis adjectis habetur aliqua oralis confessio. Præstat autem, ubi peccata in scripto legenda traduntur, ut confessarius, eo lecto , exigat ut pœnitens, non tantum de omnibus simul, sed de singulis etiam ore vel nutu se accuset ; sic enim minus receditur a communi Ecclesiæ usu, quæ

singulorum etiam peccatorum oralem confessionem exigit.

An pœnitens, deficiente confessario qui calleat ipsius idioma, potest aut debet confiteri per interpretem ?

An aliquando possit aut debeat qu's confiteri per interpretem.

R. 1.° Certum est quod pœnitens possit in casu confiteri per interpretem sacerdoti præsenti ; talis enim confessio certo est sacramentalis et sufficiens ad valorem Sacramenti ; adeoque et licita, si adsit justa causa, aut impossibilitas aliter confitendi integre.

R. 2.° An vero aliquando detur obligatio sic confitendi, non ita convenit inter auctores. Communiter tamen negant, saltem per se et vi præcepti confessionis, dari obligationem, et dicunt sufficere, ut in necessitate talis pœnitens confiteatur per nutus aut alia signa, in quantum potest. Ratio est, quod confessio cum tanto onere nullibi legatur præcepta, sive a Christo sive ab Ecclesia, nec sit usu recepta. Quinimo Conc. Lateranense, in cap. *Omnis utriusque sexus,* et post ipsum Tridentinum præscribunt tantum, ut pœnitens omnia sua peccata sacerdoti *solus* confiteatur ; qua voce excludi videtur confessio non tantum publica, sed et quæ fit per interpretem.

Dictum est : *saltem per se et vi præcepti confessionis ;* quia plures volunt, quod si quis in periculo mortis sit incertus de sua contritione, teneatur ex propria charitate, sibi in tanto salutis periculo succurrere confitendo per interpretem, ut fiat capax absolutionis. Verum id intelligendum arbitror, ait Billuart, si non possit nutibus exprimere aliquod peccatum, quod satis esset ad absolutionem.

An in necessitate confitens per interpretem, tenetur omnia peccata mortalia per eum manifestare sacerdoti ?

An confitens per interpretem teneatur confiteri integre.

R. Communius negant auctores, et dicunt sufficere, ut pœnitens per interpretem venialia confiteatur, aut aliquod mortale non infamans, præcise ut habeatur materia certa absolutionis. Aliqui tamen dicunt, omnia mortalia alias non declarata tunc exponenda esse per interpretem : unde omnino id suadendum est, quin tamen ut stricta obligatio imponatur.

Modus secrete confitendi per

Posset autem interdum sic adhiberi interpres, ut hic non deveniret in notitiam peccatorum pœnitentis : si

interpretem.

nimirum confessarius describat catalogum peccatorum, et interpres juxta ponat singulorum nomina in idiomate pœnitentis : poterit tunc hic ostendere confessario illa ex omnibus quæ admisit, et digitis numerum significare.

Alium modum indicat Voit, n. 574, qui usuvenire potest, etiam si pœnitens vel interpres legere aut scribere non valeat : scilicet, interpres ita sit a confessario et pœnitente separatus, ut neutrum videre possit, et confessarius proponat successive præcipua peccata contra præcepta Decalogi, Ecclesiæ, etc. Interpres singula proposita mox pœnitenti in suo idiomate recitet ; pœnitens si commiserit hoc quod proponitur peccatum, confessario nutu id significet, simulque numerum ex digitis demonstret. Hoc modo solus confessarius satis percipiet speciem et numerum peccatorum, quin interpres possit peccata pœnitentis cognoscere.

Nota. Quemadmodum propter solam integritatem confessionis non tenetur pœnitens peccata sua manifestare interpreti, ita, juxta Billuart aliosque, in necessitate confitens non tenetur ad integre confitendum, si id facere non possit nisi audientibus aliis, ut si in eodem lecto jaceant plures moribundi ; sed sufficit tunc declarare peccata audientibus nota, vel occultum aliquod peccatum sufficiens pro materia absolutionis. Ratio est, quod præceptum divinum integre confitendi non videatur ad hunc casum se extendere. Dicit enim Conc. Trid., sess. XIV, cap. V, loquens de publica delictorum confessione : *Non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.*

An valida aut licita est confessio per litteras aut internuntium facta sacerdoti absenti, et absolutio pœnitenti absenti impertita?

An valida aut licita sit confessio per litteras aut internuntium.

Nota. Celebris hac de re controversia agitata fuit in Hispania versus finem sæculi XVI. Ad hanc dirimendam Clemens VIII, anno 1602, sequens edidit decretum : *Proposita quæstione utrum liceat per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere?* —

Sanctissimus Dominus noster, auditis votis Patrum Theologorum, et re cum Illustrissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet: licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam et temerariam et scandalosam damnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. Hinc

R. 1.° Illicita et invalida est confessio, si fiat sacerdoti absenti, et hic absenti pœnitenti absolutionem tribuat.

Probatur 1.° ex præfato decreto, ubi talis confessio in omni casu illicita declaratur, et prohibetur ne aliquo casu aut quovis modo ad praxim deducatur. Sed si invalida non esset, nec esset in omni casu illicita ; nam in articulo mortis et in extrema necessitate omnia media valida sunt licita, id exigente supremo æternæ damnationis periculo.

Prob. 2.° ex ipsa forma absolutionis, quæ consistit in verbis: *Ego te absolvo*, etc., ore prolatis, non autem scripto exaratis, ut N. 31 dictum fuit. Porro hæc verba ore prolata personam præsentem indicant. Cumque ista aut æquivalens forma sit juris divini, videtur dicendum, contra Tournely, jure divino illicitam et invalidam esse prædictam confessionem et absolutionem, et non tantum jure ecclesiastico et vi decreti Clementis VIII.

Inde concludimus etiam ante præfatum decretum illicitam fuisse, utpote invalidam, hujusmodi confessionem et absolutionem ; imo invalidam esse semper absolutionem datam quovis modo in absentia pœnitentis, etiamsi hic prius præsens confessus esset. Quædam exempla equidem in contrarium producit Morinus, sed non probat in eis agi de confessione et absolutione sacramentali.

R. 2.° Illicita etiam, imo et invalida est confessio facta sacerdoti absenti, etsi dein pœnitenti præsenti absolutio detur, si nimirum in præsentia sacerdotis nullo modo renovetur confessio.

Probatur ex supra citato Clementis VIII decreto ; nam idem Pontifex, teste Archiepiscopo Armacano apud Coninck, in Congregatione Inquisitionis Romanæ, declaravit, se damnasse et prohibuisse adductam propositionem, non tantum copulative, sed etiam divisive, seu utramque propositionis partem separatim sumptam ; et Paulus V contrariam interpretationem ex scriptis Suarezii expungi jussit.

Dictum est : *si in præsentia sacerdotis nullo modo renovetur confessio ;* nec enim improbandus foret, qui in necessitate, v. g. in persecutione, carcere detentus scripto ad sacerdotem misso exponeret sua peccata, ut ab eo in transitu absolveretur, uno verbo aut nutu, in quantum posset, renovata expositorum confessione.

Notandum insuper, quod ipse etiam Clemens VIII declaraverit, se non voluisse damnare praxim absolvendi moribundum, cujus confessionem seu potius confitendi desiderium sacerdos non nisi per testes cognoscit. Ita cum citato Archiep. Armac. testantur Bellarminus, Lessius, etc. De hac quæstione cfr. Viva, Tournely, Billuart, etc.

Qualis præsentia pœnitentis requiritur ut valeat absolutio a confessario data ?

Qualis præsentia requiratur ad valorem absolutionis.

R. Requiritur et sufficit præsentia moralis. Hæc autem moralis præsentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent. Ita S. Alphonsus, ex Sporer aliisque, qui addunt talem præsentiam posse extendi ad viginti circiter passus, præsertim ubi pœnitens nondum est egressus ab aspectu confessarii. Non autem sufficit si sacerdos videat, aut alio sensu percipiat pœnitentem longe distantem. Merito tamen dicit Collet : « Non redarguerem, si quis carcere inclusus alium e regione stantem et elata voce, vel etiam nutibus, si loqui non possit, confitentem gravi de causa absolveret. »

Pariter defectu præsentiæ invalida non esset absolutio hominis quem in conspectu videres submergi in aquis vel e tecto prolabi, aut quem adveniens a circumstantibus audires statim in aquam cecidisse. Si autem ratione distantiæ dubium esset de præsentia requisita, absolvendus esset sub conditione.

N.° 62. De obligatione et modo repetendi confessionem peccatorum mortalium.

Quandonam repetenda est confessio peccatorum mortalium ?

Quandonam repetenda sit confessio peccatorum mortalium.

R. Quando Sacramentum, in quo exposita fuerunt, fuit nullum : sive id culpabiliter sive inculpabiliter acciderit. Nullitas autem Sacramenti provenire potest vel ex parte confessarii, vel ex parte pœnitentis.

Ex parte quidem confessarii, ut si confessarius non habuit intentionem absolvendi ; si formam omisit, aut substantialiter mutavit ; si jurisdictionem non habebat, nequidem ex titulo colorato, etc.

Ex parte pœnitentis invalidum est Sacramentum in multis casibus, uti liquet ex ante dictis : v. g., si pœnitens non habuit debitum dolorem de peccatis, aut firmum propositum se emendandi ; si gravem negligentiam commisit in examine conscientiæ, aut in confessione voluntarie et sine justa causa omisit peccatum mortale ; si confessionem fecit in finem graviter malum vel cum gravi hypocrisi aut mendacio, vel cum injusta detractione proximi, etc.

Cæterum advertendum est, juxta multorum sententiam, confessionem non esse necessario repetendam, nisi de ejus invaliditate moraliter certo constet ; quia, cum actus est certo positus, et suboritur disputatio an fuerit valide positus, obtinet hæc regula juris : *Standum est pro valore actus*. Cfr. S. Alph., n. 505.

Circa repetitionem vero confessionis a confessario imponendam pœnitenti, consulantur dicta N. 55, in fine, tum dicenda N. 63 de confessione generali.

Quomodo pœnitens confessionem invalidam repetere debet, si confiteatur eidem confessario ?

Quomodo si quis eidem confiteatur sacerdoti ;

R. 1.° Si confessarius adhuc habeat distinctam memoriam peccatorum mortalium quæ sibi declarata fuerunt, poterit iterata confessio perfici paucis his verbis : *Me iterum accuso de omnibus et singulis peccatis quæ confessus sum in præcedenti confessione;* addendo peccatum sacrilegii, si confessio fuerit formaliter sacrilega, et alia, si quædam peccata fuerint omissa aut postea commissa.

Hæc conclusio in casu quo confessarius adhuc distinctam habet memoriam peccatorum pœnitentis, tenenda videtur, ex quocunque defectu procedat prioris confessionis invaliditas ; imo licet prius mere narrative et non sacramentaliter peccata exposita fuerint: quia equidem hæc nova generalis confessio propter distinctam cognitionem confessarii æquivalet distinctæ singulorum expositioni, et vere sacramentalis est, in ordine ad absolutionem facta. Cfr. Gury, n. 514.

R. 2.° Si confessarius tantum confuse recordetur peccatorum expositorum aut status pœnitentis, tunc distinguendum est :

1.° Si quidem confessio seu peccatorum accusatio fuerit valida ex parte pœnitentis, et facta sacerdoti habenti jurisdictionem, sed Sacramentum non fuerit perfectum, quia v. g. confessarius erravit in forma, aut non intendit absolvere, communiter dicunt auctores sufficere generalem accusationem, ut supra. Ratio est, quod prior confessio fuerit vere sacramentalis et undequaque sufficiens ad absolutionem, et nunc per generalem accusationem fit sufficienter præsens ; confessarius etiam habuit distinctam singulorum peccatorum notitiam ex sacramentali confessione ; in actu autem absolutionis sufficit notitia confusa, qualis tantum habetur ut plurimum post longam multorum dierum confessionem. Idque extendunt non pauci ad casum ubi confessarius non quidem recordatur etiam confuse status pœnitentis, sed tantum pœnitentiæ injunctæ ; imo, ut quidam volunt cum Suarez, etiamsi recordetur tantum se imposuisse pœnitentiam. Sed hoc ultimum non admittit S. Alphonsus. Cfr. *Homo Apost.*, tract. 16, n. 44.

2.° Si vero in casu prior confessio fuerit invalida propter defectum jurisdictionis in confessario, multi dicunt non sufficere confessionem hujusmodi generalem, sed requiri distinctam singulorum peccatorum declarationem. Et hoc alii cum Suarez extendunt ad casum ubi prior confessio fuit invalida ex parte pœnitentis ob defectum doloris, sinceritatis,etc. Ratio est, quod prior confessio non fuerit vere sacramentalis nec sufficiens ad absolutionem.

Verumtamen communior sententia adhuc tenet in his casibus sufficere generalem accusationem, ut supra : vel quia prior confessio, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem recipiendam, sufficienter dicitur sacramentalis, quatenus ipsa etiam ad sigillum sacramentale obstringit ; vel quia, licet prima confessio non fuerit sacramentalis, utpote sacrilega, vel facta non judici, tamen ratificatio illius, dum pœnitens deinde in generali se accusat de culpis confessis, conjuncta cum notitia antecedenter habita a confessario, bene sufficiens reputatur. S. Alph., n. 502.

3.° Tandem, si pœnitens ex mera narratione prius dixerit confessario peccata sua, omnino repetendam esse confessionem censet idem sanctus Auctor. « Ratio, ait, quia nulla confessio tunc adfuit sacramentalis, nec prima, nec secunda : non prima, quia peccata non fuerunt manifestata in ordine ad absolutionem, ita ut de illis confessarius non teneretur ad sigillum sacramentale ; non secunda, quia peccata non sunt sigillatim confessa, ut requiritur in Tridentino, ubi dicitur, quod in confessione sacramentali debent explicari omnia et singula peccata. »

Quomodo repeti debet confessio invalida, si fiat apud alium confessarium ?

quomodo si confiteatur alteri.

R. Debent omnia et singula peccata mortalia iterum integre recenseri ; quia respectu hujus confessarii res perinde se habent ac si nulla confessio adhuc facta fuisset. Præterea, si prior confessio fuerit formaliter sacrilega, pœnitens debet insuper se accusare de commisso sacrilegio, et de aliis peccatis, si quæ sint, nondum directe virtute clavium dimissis.

An si repetenda sit confessio invalida, etiam repeti debent confessiones omnes post eam factæ ?

An tunc repetendæ sint confessiones intermediæ.

R. Dist. Si posteriores confessiones bona fide et cum debitis dispositionibus factæ fuerint, non sunt repetendæ, quandoquidem tunc sint validæ.

Si vero factæ sint cum scientia invaliditatis prioris confessionis, repeti debent, quandoquidem tunc non fuerint formaliter integræ, nec adeo validæ. Idem obtinet, si factæ fuerint cum alio defectu essentiali, ut si pœnitens perstiterit in odio proximi, consuetudine vel

occasione proxima peccati mortalis, etc. Recole dicta N. 55 in fine.

An pœnitens quandoque tenetur peccatum mortale rite confessum et directe remissum per absolutionem iterato confiteri ?

Per accidens tenetur quis iterato confiteri peccatum directe jam remissum per absolutionem.

R. Per se non tenetur ; quia lex divina quæ jubet omnia peccata mortalia subjici clavibus Ecclesiæ, tantum requirit ut id semel legitime fiat. Potest tamen pœnitens ad illud obligari per accidens, ut in sequentibus casibus :

1.° Si integre confiteri nequeat, nisi iterum manifestet peccatum antea commissum ; ita, v. g., qui confitendo fornicationem omisit circumstantiam incestus, adulterii vel voti castitatis, tenetur iterum fornicationem confiteri addendo dictas circumstantias.

2.° Quando repetitio peccati necessaria est, ut confessarius possit recte judicare de dispositione pœnitentis et de remediis præscribendis. Ita, v. g., si recidivus sæpius fidem fregerit et a confessario desuper interrogetur, tenetur confiteri quod antea idem peccatum sæpius commiserit.

3.° Si adsit obligatio confitendi et pœnitens non habeat de quo vere doleat, nisi peccatum mortale ante confessum et directe remissum ; v. g., si ex voto teneatur confiteri ut indulgentiam lucretur, etc.

An dum quis circumstantiam mortalem inculpate omisit, non sufficit in sequenti confessione illam exponere quin iterum declaretur peccatum principale ?

Quando circumstantia omissa declarari possit quin iterum declaretur peccatum principale.

R. Cum Necsen, dub. 9, qu. 2, id aliquando sufficere, nimirum dum illa circumstantia ejusque malitia integre explicari potest sine actu principali ; ut si quis occidendo hominem conculcaverit notabiliter segetes alterius et hujus circumstantiæ in confessione homicidii oblitus fuerit, poterit illam confiteri quin repetat peccatum homicidii.

Aliquando vero non sufficit : si nimirum malitia hujus circumstantiæ exponi non possit quin exponatur actus principalis : v. g., si adulter confitens fornicationem obliviscatur circumstantiam matrimonii, non potest illam recte confiteri quin se accuset de adulterio commisso ; item si quis furatus aureum ad se

inebriandum, confessus sit furtum aurei, non videtur satisfacere postea intentionem se inebriandi confitendo ; quia non explicavit furtum esse in specie gulæ. Cfr. La Croix, lib. 6, n. 1135.

N.° 63. De confessione generali ejusque necessitate et utilitate.

Quid intelligitur per confessionem generalem ?

Confessio generalis,

R. Intelligitur recensio seu repetitio plurium confessionum.

Dividitur 1.° in confessionem generalem *totius vitæ*, et in confessionem generalem *alicujus temporis :* prior est repetitio omnium confessionum anteriorum, quoad mortalia, et confessio reliquorum omnium mortalium, quæcunque post Baptismum commissa fuerunt ; altera est repetitio confessionum alicujus temporis, v. g. unius anni vel duorum annorum , saltem quoad mortalia, in qua simul exponantur omnia mortalia illo intervallo commissa.

Dividitur 2.° in *necessariam, utilem* tantum et *nocivam*.

Quandonam confessio generalis dicitur necessaria ?

quando sit necessaria,

R. Quando repetendæ sunt, quoad mortalia, confessiones certo vel moraliter certo invalidæ. Cfr. N. 62.

An confessarius advertens anteriores confessiones sui pœnitentis fuisse invalidas, adeoque confessionem generalem necessariam esse, debet eum statim monere ?

R. Per se loquendo tenetur eum monere antequam absolvat, juxta dicta N. 59 ; per accidens vero contingit, ut id differri debeat in aliud tempus ; scilicet si confessarius merito judicet, quod pœnitens sit in bona fide et non facile convincendus sit de necessitate repetendi confessiones anteriores, vel non facile adducendus ad onus illud subeundum ; tunc enim licet eum pro aliquo tempore relinquere in bona fide ac etiam absolvere, si rite sit contritus.

In dubio an pœnitens facile adducendus sit ad confessionem generalem faciendam, prudentia requirit ut ea prius per modum consilii proponatur, neque insistatur si lubenter non acquiescat. Et hæc præcautio

præcipue adhibenda est in initio conversionis peccatorum qui sæpe in eadem peccata relapsi sunt, aut diu Sacramenta neglexerunt; non raro enim subest fundatus timor ne tales in confessione generali nimium laborem et gravius onus apprehendant, et ex pusillanimitate a proposito melioris vitæ deficiant, ad Sacramenta non redeant, aut etiam monitum confessarii vilipendant et mala fide pergant Sacramenta suscipere.

Quando confessio generalis justa de causa differtur, convenit pœnitentem ante absolutionem inducere ut de omnibus peccatis præteritis contritionem eliciat; expedit etiam ab eo quamdam confessionem generalem exire, petendo quanto tempore consueverit committere peccata quæ modo confessus est, quoties per diem, septimanam vel mensem; an non commiserit alia gravia peccata, quoties in anno, et an ea confessus sit, etc.; sic enim confessarius cognoscet statum pœnitentis, et vix perfectior confessio generalis sæpe obtineri potest, maxime a pœnitentibus indoctis et imperitis.

Quandonam confessio generalis est utilis tantum?

quando utilis, R. Quando conducit ad majorem tranquillitatem et profectum spiritualem pœnitentis, sed tamen necessaria non est.

Confessio autem generalis de se utilis est, ut explicat S. Franciscus Salesius, *Introd. ad vitam devotam*, p. 1, cap. 6 : nam 1.° per eam melius nos ipsos cognoscentes et multitudinem peccatorum nostrorum, amplius nos humiliamus coram Deo, qui tam patienter nos toleravit et tam misericorditer ad pœnitentiam vocavit; 2.° elicimus perfectiorem dolorem de peccatis et firmius propositum non peccandi de cætero; 3.° reparamus defectus præteritarum confessionum; 4.° obtinemus pleniorem remissionem peccatorum, novas gratias ad ea præcavenda, necnon majorem pacem et serenitatem animi; 5.° status conscientiæ nostræ melius innotescit confessario, qui adeo salutaria monita facilius dare potest, et nos eidem conscientiam deinceps aperimus confidentius.

An confessio generalis certis vitæ temporibus præcipue utilis est ac suadenda?

R. Affirmative; et quidem S. Carolus Borr., in *Instruct.*

pro recta administ. Sacr. Pœnit., cap. 11, dicit, confessarios ad eam adhortari debere, cum post vitam salutis nimis incuriam *ex animo quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare et totum se ad Deum convertere,.... ut per hanc majore cum alacritate redeat ad Dominum, ac omnes errores qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciat.* S. Franciscus Salesius, in opusculo cui titulus : *Avis et résolutions touchant la confession tant générale qu'annuelle*, dicit nemini sine confessione generali ex hac vita migrandum esse. Consulto etiam instituitur ante primam communionem, ante electionem vel susceptionem status vitæ particularis, ut ordinis sacri, religionis, matrimonii ; item initio ætatis virilis, ad ignorantias aliosque defectus juventutis resarciendos, ut ait S. Thomas a Villanova.

Plura exempla Sanctorum qui confessionem generalem etiam singulis annis instituerunt, necnon piorum virorum monita refert Berti, lib. 34, p. 2, cap. 2, ex Mabillon, Martene aliisque.

Quandonam confessio generalis est nociva ac dissuadenda ?

quando nociva.

R. Quando ob specialem dispositionem pœnitentis nata est generare scrupulos, pusillanimitatem, phantasmata periculosa, aliave gravia incommoda. Tunc autem dissuadenda est, etiamsi aliquale dubium subsit de validitate præcedentium confessionum : quia ab una parte noceret pœnitenti, ab alia vero lex positiva, etiam divina, præsertim in dubio, non obligat, dum observari non potest sine gravi incommodo ; imo si præcedentes confessiones fuerint invalidæ, ista incommoda possunt sufficere, ut differatur confessio generalis juxta ante dicta hic et N. 53.

Ex dictis patet confessarios non posse quoslibet pœnitentes primo sibi confitentes statim compellere ad confessionem generalem, etiam sub prætextu quod sic melius conscientiam eorum directuri sint ; etenim non solum pluribus irrationabiliter grave onus imponerent, sed multorum etiam conscientias perturbarent.

Quis est modus convenientior instituendi examen conscientiæ pro confessione generali totius vitæ ?

Quomodo

R. Si procedatur per diversas vitæ ætates, status

convenienter instituipossit.

aut domicilia: ita ut primo examinentur peccata pueritiæ usque ad primam communionem; deinde peccata adolescentiæ et juventutis; postea considerctur mutatio vitæ in assumptione status aut in alia vitæ epocha; in singulis autem statibus examen fiat per præcepta Decalogi etc. Præstat eodem quoque ordine peccata confiteri, quia confessarius ita facilius cognoscit quanto tempore pœnitens in certis peccatis vixerit, etc.; id tamen non est omnino necessarium. Cavendum etiam est, ne peccata necessario confitenda, utpote nunquam in confessione exposita, aut non directe per absolutionem remissa, exponantur quasi materia libera, et confundantur cum aliis jam legitime confessis et absolutis. Cfr. N. 52.

N.° 64. De confessario eligendo et retinendo.

An, ubi pœnitens inter plures confessarios eligere potest, electio est caute facienda?

Confessarius caute eligendus,

R. Affirmative; nam unus confessarius præ alio pœnitentem melius juvare potest in iis quæ salutem et profectum spiritualem concernunt; unde monet S. Franciscus Salesius: *Instantissime Deum ora, ut tibi suppeditet hominem secundum cor suum.*

An convenit eumdem confessarium retinere?

et retinendus;

R. Regulariter loquendo affirmative; quia confessarius cognoscens indolem, vitia, tentationes pœnitentis, facilius et efficacius officium suum adimplere potest; ac ipse pœnitens commodius et fructuosius ei confitetur: quapropter S. Carolus Borr., *Instruct.*, cap. 6, frequentem confessarii mutationem vocat noxiam et vitiosam: imo retentio ejusdem confessarii sæpe pro consuetudinariis et recidivis est fere necessarium medium emendationis. Nihil tamen prohibet, quin pœnitens bonum habens confessarium, in particulari casu alium consulat eique confiteatur.

Dictum est: *regulariter loquendo;* quia si pœnitens deprehendat confessarium sibi minus utilem esse, alterum eligere potest, et quandoque tenetur. Aliquando etiam confessarius pœnitenti consulere debet ut alteri confiteatur. Casus est, si v. g. frustra tentaverit ipsum

ad necessariam emendationem vitæ perducere, vel si pœnitens, præsertim alterius sexus, carnali affectu confessario adhærere videatur, aut se nimis ei familiarem ostendat.

Sedulo hic observandum est, quod in Instructionibus confessariorum nostræ diœcesis præscribitur § 8 : *Confessarii caveant ne familiares sint fœminis sibi confitentibus. Imo eo ipso quo eas audiunt in confessione, sciant se ab earum consortio peculiariter debere abstinere.*

Bene etiam observent quod ibidem additur : *Caveant etiam confessarii, ne qua commoda temporalia sibi vel suis, occasione confessionis, a pœnitentibus aucupentur. Neque convenit ut ipsorum temporalibus bonis administrandis se immisceant.* Etenim timere debent ne sibi accidat quod dicitur Eccli. XX, 31 : *Dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.*

An confessarius potest a pœnitente exigere promissionem sibi soli confitendi?

non tamen promissio facienda ipsi soli confitendi.

R. Negative ; est enim contra jus quod habet pœnitens adeundi quovis tempore alium confessarium, si necessarium vel utile fuerit. Ideo Synodus prov. Mechlin. anni 1607, tit. 5, cap. 7, ejusmodi promissionem prohibuit et irritavit his verbis : *Nemo aliquem ad perpetuo sibi soli confitendum obliget, et ejusmodi promissionem, etiam juratam, tanquam irrationabilem et indiscretam, hæc Synodus irritam esse declarat, et quatenus opus est, irritat.* Culpabilis etiam foret confessarius qui ægre ferret, quod pœnitentes aliis confiteantur, idve eis exprobrare non timeret.

Quamvis autem laudabile sit in omnibus confessario obedire, nec de se illicitum ad hoc se voto obstringere, uti S. Teresia, S. Catharina Senensis aliique Sancti fecisse leguntur ; non tamen licet confessario id a pœnitentibus exigere ; imo citata Syn. Mechl., eodem tit., cap. 5, propter varia incommoda inde ordinarie provenientia, prohibuit talia vota admittere, dicens : *Nemo vota obedientiæ a filiabus confessionis exigat vel admittat sub pœna arbitraria.*

N.° 65. Quis sit minister Sacramenti Pœnitentiæ.

S. Thom., Supplem., quæst. 8.

Errores circa ministrum Sacramenti Pœnitentiæ

Nota. Waldenses aliique medii ævi sectarii, et postea Wiclefistæ, prout N. 25 notatum fuit, asseruerunt quemlibet laicum probum posse Sacramentum Pœnitentiæ ministrare. Lutherus, docens absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium declarandi peccata remissa, ad excitandam fidem, quæ sola, juxta ipsum, justificet, hujus ministerii potestatem omnibus fidelibus concessit. In simili errore versantur Calvinistæ, qui cum magistro suo verba Christi Domini, Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata,* etc., ad prædicationem Evangelii detorquent.

a Conc. Trid. proscripti.

Novatorum errores exponit et reprobat Conc. Trid., sess. XIV, de Pœnit., cap. VI, his verbis : *Declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt... Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronuntiatur. Atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla ei adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum.* Igitur ad petitionem

Quis est minister Sacramenti Pœnitentiæ ?

Solus sacerdos est minister ;

R. Est solus sacerdos, ut docet Conc. Trid., loco cit., et definit ibid., can. 10, his verbis : *Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, anathema sit :* ita ut responsio sit de fide.

Proba solos sacerdotes esse ministros Sacramenti Pœnitentiæ.

probatur.

Probatur 1.° ex Scriptura sacra. Illi soli sunt ministri Sacramenti Pœnitentiæ quos Christus designavit, seu potestate remittendi et retinendi peccata insignivit

atqui Christus designavit et illa potestate insignivit non omnes promiscue fideles, sed solos sacerdotes. Nec enim omnes promiscue fideles, sed solos Apostolos alloquebatur his verbis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo solos Apostolos, eorumque in sacerdotio successores designavit et prædicta potestate insignivit ; adeoque hi soli sunt ministri Sacramenti Pœnitentiæ. Atque ita verba Christi ejusque insigne factum *universorum Patrum consensus semper intellexit,* ut tradit Conc. Trid., sess. XIV, de Pœnit., cap. I.

Prob. 2.° ex traditione universali, quam demonstrat tum universalis et constans praxis Ecclesiæ, quæ semper, sive in Oriente sive in Occidente, solos sacerdotes adhibuit ad hoc Sacramentum ministrandum ; tum unanimis sententia Patrum, qui solos sacerdotes hac potestate a Domino insignitos fuisse tradunt. Testimonia Tertulliani, Origenis, S. Basilii et S. Joannis Chrysostomi vide N. 44 ; SS. Cypriani et Ambrosii, N. 25. His unum addimus S. Joannis Chrysostomi textum, qui inde mirifice sacerdotum dignitatem supra reliquas omnes extollit, et *De sacerdotio,* lib. 3, cap. 5, ait : *Potestatem acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus : neque enim illis dictum est : Quæcunque ligaveritis,..... quæ major hac potestas fuerit ?*

Obj. 1.° S. Jacobus, V, 16, dicit : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini:* ergo fideles possunt sibi invicem confiteri, adeoque omnes sunt ministri Sacramenti Pœnitentiæ. Objectiones.

R. 1.° Aliqui concedunt Apostolum hic agere de confessione fidelium ad invicem ; non autem de confessione sacramentali, sed de generali confessione, qua se peccatores agnoscunt et aliorum pro se orationes expostulant.

R. 2.° Alii dicunt Apostolum loqui tantum de confessione solis presbyteris Ecclesiæ facienda. Hanc interpretationem suadet particula *ergo*, qua hic versus connectitur cum præcedentibus, ubi certe de presbyteris agit quos ad infirmum vocandos dicit, ut *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Attamen non omnes qui de confessione presbyteris facienda textum

intelligunt, de confessione sacramentali agi concedunt : sed quicunque de sacramentali confessione illum interpretantur hanc solis presbyteris juxta Apostolum faciendam esse intelligunt : uti Beda , S. Bernardus , alii citati apud Corn. a Lapide et apud Morinum.

Obj. 2.° Olim, deficiente presbytero, diaconi sacramentalem absolutionem dederunt, ut patet ex locis Patrum et Conciliorum variisque monumentis collectis a Morino et aliis ; idque confirmatur ex cap. *Fures*, Extra, de furtis, ubi legitur : *Si fures comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem non negamus ;* ubi et Glossa adjicit : *In necessitate etiam laico.* Ergo soli sacerdotes non sunt ministri hujus Sacramenti.

R. Ipsis Morini verbis, quæ scribit in *Recognitione* operis sui *De Pœnit.* : «Expressissime moneo, ista non esse intelligenda, nec intelligi posse de absolutione sacramentali; imo plurimos ex ipsis auctoribus qui hanc sui sæculi consuetudinem testantur,diserte asserere nullam prorsus illis diaconis esse a peccatis absolvendi potestatem. Itaque non potest aliud esse absolutio illa, quam cæremonia, sive sacramentale aliquod, a quibusdam ecclesiis in absentia veri Sacramenti adhibitum, quo morientis aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur et incalescebat ; atque a Deo precibus Ecclesiæ Sacramenti effectum pœnitens promerebatur. » Hinc a S. Thoma talis confessio vocatur *quodammodo sacramentalis :* talis enim est, non in re, sed in voto.

Insuper plura quæ adferuntur circa absolutionem a diaconis datam, intelligi possunt de absolutione cæremoniali a publica pœnitentia, vel a censuris, aut a pœnis. Vide ulterius Bened. XIV, *De Synodo,* lib. VII, cap. 16, ubi ostendit consuetudinem peccata laicis declarandi perdurasse usque ad sæculum XV, plures vero æstimare eam hodie illicitam esse.

N.° 66. De necessitate jurisdictionis ut sacerdos valide absolvat.

Præter potestatem

Nota. Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, ut dicit Conc.

Trid., sess. XXIII, cap. XV, attamen ad valide absolvendum ulterius indigent jurisdictione : ita ut in ministro Sacramenti Pœnitentiæ duplex requiratur potestas, nempe *ordinis* et *jurisdictionis*, et si alterutra desit, nullum efficiatur Sacramentum. Idque omnino certum esse et fidei proximum ex proferendis argumentis patebit. ordinis in ministro requiri jurisdictionem ad valide absolvendum, quidam negaverunt.

Fuerunt quidem olim nonnulli, quos refert Suarez, *De Pœnit.*, disp. 24, sect. 2, qui dixerint, omnes sacerdotes vi ordinationis ex jure divino esse sufficientes ministros Sacramenti Pœnitentiæ, ita ut quamvis Ecclesia possit prohibere aliquibus sacerdotibus ne hoc Sacramentum ministrent, non tamen possit efficere, quin eorum absolutio sit valida, si ex parte pœnitentis omnia necessaria concurrant.

Sæculo XVIII, hæc doctrina suos iterum nacta est patronos, quibus adhærere visa est synodus Pistoriensis dicens : *Post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii, sive jure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio :* dicens enim *conveniens esse,* non obscure innuit jurisdictionem ad valorem absolutionis necessariam non esse. Atque ideo hæc doctrina a Pio VI in Constit. *Auctorem fidei,* art. 37, damnata fuit ut *falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

Nihilominus istam doctrinam postea adhuc avide amplexi sunt, ut dicit Liebermann, qui in recenti ecclesiarum Gallicarum perturbatione in sedes episcopales et parochias, renitente Ecclesia, intrusi fuerunt; quippe ægre tulerunt se ab Ecclesia rejectos omni institutione canonica et missione destitui : ideo dixerunt, jurisdictionem nihil esse ab ordine distinctum. Hos refutarunt plures scriptores, signanter Cardinalis de la Luzerne in Epistola pastorali de Schismate.

Quid est potestas ordinis, et quid jurisdictio sive potestas jurisdictionis ?

R. Potestas ordinis illa est quæ datur in ordinatione sacerdotis, juxta ea quæ dicit Episcopus ordinans : *Accipe Spiritum sanctum ; quorum remiseris peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueris, retenta sunt.* Quid sit potestas ordinis,

quid potestas jurisdictionis.

Potestas jurisdictionis est facultas exercendi potestatem ordinis in alios tanquam subditos legitime assignatos.

Differunt in multis ab invicem, nimirum : 1.° potestas ordinis omnibus sacerdotibus æqualiter datur, non potestas jurisdictionis ; 2.° prior est indelebilis et irrevocabilis, posterior autem minui , augeri ac tolli seu revocari potest ; 3.° potestas ordinis per solos Episcopos conferri potest , jurisdictio etiam per presbyteros et clericos auctoritate necessaria pollentes.

Nota, hic et in sequentibus agi tantum de jurisdictione fori interni seu sacramentalis ; non autem de jurisdictione politica seu fori externi, quæ est potestas regendi subditos, ferendo leges, injungendo pœnas, etc., quoad externam Ecclesiæ politiam ; de qua dicitur in tract. *De legibus*.

Proba ad valide absolvendum, in sacerdote, ultra potestatem ordinis, requiri jurisdictionem.

Ad valide absolvendum ultra potestatem ordinis requiritur jurisdictio : probatur.

R. Probatur 1.° ex Concilio Trid., quod sess. XIV, cap. VII, sic doctrinam Ecclesiæ proponit : *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

In hoc textu Concilium tria manifeste tradit aut supponit : 1.° sacerdotem, adeoque potestate ordinis vestitum, posse carere jurisdictione in aliquos fideles ; 2.° in tali casu absolutionem ab eo eisdem impertitam esse invalidam et nullius momenti ; 3.° jurisdictionem vero sacerdotum in pœnitentes duplicem esse, vel ordinariam vel subdelegatam: quo confirmatur eam distinctam esse a potestate ordinis, quum hæc eadem sit in omnibus per sacram ordinationem collata. Ergo non obscure indicat Conc. Trid., præter potestatem ordinis, ad valide absolvendum requiri jurisdictionem.

Eadem vero doctrina est Concilii Florentini dicentis : *Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse sacerdotem, habentem auctoritatem absolvendi vel ordinarium vel ex commissione superioris.*

Prob. 2.° ex natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod a Christo Domino institutum est per modum judicii. Jamvero, uti argumentatur Conc. Trid., in textu supra citato, *natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur ;* atqui sacerdos subditos non habet nisi per legitime collatam jurisdictionem. Ergo.

Ita judex civilis actus judiciales valide non exercet, nisi obtenta jurisdictione in subditos, et tantum quoad illos qui suæ jurisdictioni subduntur.

Prob. 3.° ex constanti traditione et praxi Ecclesiæ quæ semper ut irritam habuit absolutionem sine jurisdictione datam ; et in quibusdam casibus nullam esse solemniter edixit, uti declaravit Benedictus XIV, quoad absolutionem complicis in peccato turpi. Atque in hac re, Ecclesia græca cum latina nullam litem movet, sed plane consentit, uti observat Liebermann.

Obj. 1.° Omni sacerdoti in ordinatione dicitur : *Accipe Spiritum sanctum ; quorum remiseris peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueris, retenta sunt.* Atqui illa verba denotant dari potestatem absolvendi a peccatis ; ergo omnis sacerdos vi ordinationis suæ valide absolvit, quin ultra opus sit jurisdictione. Objectiones.

R. Dist. min. Illa verba denotant in ordinatione dari potestatem absolvendi, quæ valide exerceri posit in subditos, conc. ; in non subditos, nego. Etenim cum hoc Sacramentum institutum sit per modum judicii, et judicium exerceri nequeat nisi in subditos, necesse est, ut per legitimam jurisdictionem ab Ecclesia collatam, subditi assignentur sacerdoti, ad valide exercendam potestatem a Christo Domino in ordinatione acceptam.

Inst. Apostoli vi verborum Christi, Joan. XX : *Quorum remiseritis peccata,* etc., sine alia potestate jurisdictionis superaddita potuerunt valide absolvere ; ergo idem possunt nunc sacerdotes.

R. Neg. maj. Etenim Apostoli, præter potestatem absolvendi allatis verbis concessam, aliam acceperunt per verba paulo ante ibidem prolata ℣. 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* quibus Christus eis contulit jurisdictionem in omnes populos. Præterea, etiamsi Christus non aliis verbis jurisdictionem contulisset Apostolis,

non sequeretur eam hodie iisdem verbis conferri sacerdotibus. Equidem cum ad collationem jurisdictionis nulla determinata forma requiratur, sive ex rei natura, sive ex institutione divina, poterat Christus, posset etiam nunc Ecclesia prædictis verbis jurisdictionem conferre sacerdotibus; sed cum potestas jurisdictionis essentialiter sit distincta a potestate ordinis, potest etiam Ecclesia velle ut diversa ratione illa tradatur, et non per ipsam formam qua confertur potestas ordinis.

Obj. 2.° Sacerdos vi solius potestatis in ordinatione collatæ valide consecrat in Missa : ergo etiam valide absolvit vi solius potestatis absolvendi similiter datæ in ordinatione.

R. Neg. cons. et parit. Disparitas est in eo quod absolutio fiat per modum actus judicialis in subditos, non autem consecratio, adeoque illa jurisdictionem requirat, quæ pro consecratione ex nulla causa est necessaria. Unde sacerdos carens jurisdictione et subditis quos absolvat, aliquo modo comparari potest illi qui panem et vinum non habet quæ consecret : uterque potestatem habet absolvendi et consecrandi, sed eam exercere non possunt, ille defectu subjecti, hic defectu materiæ.

An absolutio data sine jurisdictione semper est nulla ?

R. Affirmative : cum jurisdictio necessaria sit ex natura Sacramenti et institutione Christi.

N.° 67. De divisione jurisdictionis et modis eam acquirendi.

Quotuplex est jurisdictio sacramentalis ?

R. Est duplex : *ordinaria* et *delegata*.

Jurisdictio duplex : ordinaria,

Ordinaria est quæ habetur vi beneficii, dignitatis, vel officii cui annexa est cura animarum. Vocatur *ordinaria*, vel quia olim jurisdictio ordinarie non conferebatur nisi per collationem talis beneficii, dignitatis aut officii, vel quia ex stabili in Ecclesia ordinatione alicui competit.

Talem habet Summus Pontifex in omnes fideles, Episcopus in suos diœcesanos, parochus in suos parochianos, prælatus regularis in suos subditos, etc. Ut

vero jurisdictio dicatur ordinaria, requiritur ut officio, dignitati vel beneficio sit vere annexa; nec adeo sufficit ut simul cum officio, dignitate vel beneficio conferatur. Unde obtinens simul canonicatum cui cura annexa non est, et facultatem excipiendi animarum confessiones, non obtinet jurisdictionem ordinariam, sed delegatam.

Jurisdictio *delegata* dicitur, quæ habetur non vi officii, dignitatis aut beneficii curati, sed ex commissione seu delegatione, immediata vel mediata, expressa vel tacita, illius qui habet ordinariam. et delegata.

Talem habent sacerdotes sæculares et regulares, quibus independenter ab officio, dignitate aut beneficio curato datur facultas excipiendi confessiones derivata ab habente ordinariam. Item illi qui in confessarios eliguntur a personis quibus permissa est electio confessarii; uti jure communi permittitur Episcopis, ex privilegio regibus, et quibusdam aliis ex speciali concessione Pontificis, etc.

Quibus modis jurisdictio acquiri potest?

R. 1.° Jurisdictio ordinaria unice acquiritur per obtentionem beneficii, dignitatis vel officii cui annexa est cura animarum. Adeoque omnia quæ obstant acquisitioni legitimæ beneficii, etc., v. g., excommunicatio, irregularitas, pactum simoniacum, similiter obstant acquisitioni jurisdictionis annexæ. Quomodo acquiratur ordinaria,

R. 2.° Jurisdictio delegata acquiri potest tribus modis: ab homine, a jure et a consuetudine. quomodo delegata.

Jurisdictio delegata acquiritur *ab homine*, quando quis habens potestatem delegandi, scripto, verbo, vel alio signo exteriori concedit sacerdoti facultatem audiendi confessiones, aut alicui permittit confessarium eligere. Consensus autem præsumptus, sed actu non existens, non sufficit, uti nec consensus mere internus, nulla ratione externe manifestatus, nec ratihabitio post datam absolutionem accedens: sed sufficit, inquit Billuart, ratihabitio de præsenti, seu præsumptio fundata consensus præsentis delegantis, si tamen revera adsit talis consensus, qui vel solo silentio delegantis interdum manifestari potest.

Jurisdictio delegata acquiritur *a jure*, quando lex vel

decretum eam concedit certis personis. Ita omnes sacerdotes jurisdictionem habent in articulo mortis, ut dicetur N. 72; item regulares mendicantes dicuntur habere jurisdictionem vi Constitutionum apostolicarum, quas citat Bossaert, disp. VI.

Jurisdictio delegata acquiritur *a consuetudine*, quando nulla positiva lege statutum, sed consuetudine receptum est, ut sacerdotes in certo casu absolvere valeant. Ita confessarius, licet pro una tantum diœcesi admissus, valide absolvit subditos alterius cujuscunque diœcesis ad se venientes; de quo vide N. 69. Ut vero consuetudo tribuat jurisdictionem, debet saltem tacite esse approbata a superiore; ab eo enim jurisdictio debet necessario procedere, adeo ut consuetudo proprie non tribuat jurisdictionem, sed sit testis et signum consensus superioris illam concedentis; adeoque hic illam revocare potest.

An ad acquirendam jurisdictionem requiritur ejus acceptatio?

An requiratur ejus acceptatio.

R. 1.° Quoad jurisdictionem ordinariam, ad illam acquirendam certo requiritur acceptatio, cum officium vel beneficium cui annexa est, sine acceptatione acquiri non possit.

R. 2.° Quoad jurisdictionem delegatam aliqui dicunt, ad valorem jurisdictionis delegatæ non esse necesse ut sit acceptata; unde valide daretur ignoranti; et valide absolveret confessarius a reservatis, priusquam notitiam haberet facultatis sibi realiter concessæ. Ita Arriaga apud Bosco.

Alii tamen contrarium sentiunt. Ita La Croix, n. 1558, post De Lugo dicit: « Ille cui in particulari jurisdictio delegatur, debet habere notitiam illius delegationis sibi factæ, alioquin invalide operatur, quia non censetur concedi, nisi acceptetur. » Addit vero: « Si tamen toti Ordini religioso data esset jurisdictio, sacerdos talis religionis reipsa illam haberet et valide ex ea operaretur, quamvis nesciret se habere, quia Ordo acceptasset pro ipso. »

An habens jurisdictionem delegatam ad excipiendas confessiones, potest subdelegare?

Delegatus

R. Communiter non potest, et ratio est, quod facultas

subdelegandi non soleat concedi delegato ; aliquando vero potest : scilicet si cum jurisdictione delegata simul explicite vel implicite concessa sit facultas subdelegandi. Ejusmodi vero facultatem implicite habet, qui delegatur, licet pro brevi tempore , ad deserviendum beneficio vel officio cui annexa est facultas delegandi ad audiendas confessiones, ut coadjutor seu administrator diœcesis , constitutus in locum Episcopi impotentis, absentis, etc.

communiter non potest subdelegare.

Observa quod summus Pontifex et Episcopus possint dare alicui licentiam et facultatem excipiendi confessiones parochianorum, invito parocho, ac idem possit Papa respectu diœcesanorum, invito Episcopo ; potestas enim parochi Episcopo ac Summo Pontifici, et potestas Episcopi etiam Summo Pontifici subordinatæ sunt. Propter eamdem rationem potest superior revocare et irritare jurisdictionem ab inferiore datam.

Ubi igitur a Summo Pontifice missionarius apostolicus vel ab Episcopo confessarius mittitur, qui vel omnium vel certi generis fidelium confessiones excipiat, hi valide munere suo fungi possunt sine consensu parochi ; attamen hunc honore prævenire, et, si ipsis præscriptum sit, ejus consensum exquirere et ductum sequi tenentur.

An Ecclesia aliquando supplet defectum jurisdictionis ?

Quando suppleat Ecclesia defectum jurisdictionis.

R. 1.° Certum est quod Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis, quando sacerdos habet titulum coloratum et adest communis error quo putatur habere jurisdictionem, uti latius explicabitur N. 71.

2.° Multi theologi idem sustinent de casu in quo adest solus error communis, deest vero titulus coloratus, ut ibidem dicetur.

3.° Disputatur an Ecclesia defectum suppleat, si quis absolvat cum jurisdictione probabili, ut patebit ex responsione ad quæstionem sequentem.

An confessarius licite potest uti jurisdictione probabili ?

R. Triplex est sententia, apud S. Alph. n. 575.

Prima, quam pauci tenent cum Concina et Antoine, absolute negat ; quia ex propositione 1ª damnata ab Innoc. XI non licet administrare Sacramentum cum opinione probabili eorum quæ ad ejus valorem requirantur.

Secunda sententia simpliciter affirmat confessarium licite et valide uti jurisdictione tantum probabili, modo ea sit vere probabilis, seu gravi ratione et auctoritate fulcita. Ita Sanchez, De Lugo et alii communiter. Ratio potior est,quia adest in Ecclesia universalis fere omnium confessariorum consuetudo absolvendi cum jurisdictione probabili ; talis autem consuetudo confert jurisdictionem. Unde confessarius absolvendo , non absolvit cum sola opinione probabili, sed cum opinione moraliter certa, non quidem directa, sed reflexa. —Aliqui, ut Collet et Billuart, qui secundam sententiam generatim non admittunt, excipiunt tamen casum quo confessarius credit *probabilius* se habere jurisdictionem, vel absolute in pœnitentem, vel respective ad certum casum, tempus, aut personam.

Tertia denique sententia, quam amplectitur cum aliis S. Alphonsus, quæque videtur practice tenenda, distinguit, et dicit confessarium licite quidem et valide ministrare Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, si adsit causa gravis necessitatis aut utilitatis, vel saltem causa rationabilis ; secus vero, si talis causa desit. Ratio hujus limitationis est, quia licet Ecclesia in hujusmodi casu ob bonum animarum bene censeri possit defectum jurisdictionis, si quis subsit, supplere, tamen non præsumitur, nulla justa causa accedente, velle connivere meræ libertati seu potius levitati sacerdotum.

Hujusmodi autem causa, juxta S.Alph. cum aliis, accidit : 1.° si urgeat præceptum annuæ confessionis, nec alius adsit confessarius ; 2.° si pœnitens indigeat auxilio sive consilio talis confessarii ; 3.° si pœnitens deberet complicem prodere alium adeundo ; 4.° si pœnitens secus diu remanere debeat in mortali ; 5.° si confessarius timeat ne secus pœnitens sacrilege confiteatur.

Missio necessaria ad prædicandum.

Hic notare juvat, quod sicut ad confessiones audiendas jurisdictio, ita ad Dei verbum prædicandum missio Episcopi requiratur , sine qua munus istud illegitime usurpatur, juxta illud Rom. X, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Pro catechismo puerorum solent pastores ipsi presbyteros vel clericos ac etiam pios laicos deputare.

N.° 68. De approbatione confessariorum.

Ante Concilium Tridentinum habentes jurisdictionem ordinariam poterant quibusvis sacerdotibus delegare jurisdictionem ad audiendas confessiones subditorum suorum ; et regulares mendicantes jurisdictione sibi a Sede Apostolica concessa utebantur sine approbatione Episcopi, saltem quando petita recusabatur, ut constat ex Clementina *Dudum*. Cum vero inde graves abusus magnaque animarum damna orirentur, Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. XV, de ref., statuit quod sequitur : *Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant ; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat : privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Vi decreti Conc. Trident. requiritur pro confessionibus sæcularium audiendis

Plura autem submota sunt dubia, circa istius approbationis naturam, concessionem et renovationem, quæ pro instituto nostro breviter resolvemus.

Quid vi præfati decreti requiritur, ut sacerdos possit audire confessiones sæcularium ?

R. Ut obtineat parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen aut alias idoneus judicatus sit et approbationem obtinuerit. Sub beneficio autem parochiali intelligitur etiam dignitas vel officium cui cura animarum annexa est, licet non sit proprie dictum beneficium.

beneficium parochiale,

Unde provenit ut sacerdos qui possidet beneficium parochiale, item qui obtinet dignitatem vel officium cui cura animarum annexa est, habeat facultatem audiendi confessiones sæcularium ?

R. Id provenit ex eo quod cura animarum essentialiter involvat onus adeoque et facultatem administrandi Sacramenta, *quum præcepto divino*, ut-ait Conc. Trid., sess. XXIII, cap. I, de ref., *mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas.... Sacramentorum administratione.... pascere.*

Quid intelligitur per approbationem Episcopi, quæ vi decreti Concilii Tridentini requiritur, ut sacerdos confessiones sæcularium audire valeat?

vel approbatio Episcopi.

R. Juxta plures est judicium publicum et authenticum de idoneitate et sufficientia sacerdotis ad confessiones audiendas. Juxta alios approbatio importat consensum, seu licentiam Episcopi, ut is quem judicat idoneum, habeat jurisdictionem, vel illa aliunde habita utatur.

Posteriorem definitionem merito præfert Billuart; tum quia Concilium Tridentinum distinguit inter judicium de idoneitate et ipsam approbationem, cum dicat: *nisi idoneus judicetur et approbationem obtineat;* tum quia in jure canonico et bullis pontificiis approbatio sæpe vocatur *licentia*, ut Clement. *De sepult.*, Extrav. *Inter cunctas*, Bulla Clementis X quæ incipit *Superna*, etc.

Hodie solent Episcopi una cum approbatione conferre jurisdictionem.

Patet approbationem differre a collatione jurisdictionis; fierique posse ut approbatio ab Episcopo, jurisdictio a parocho detur; atque ita quidem olim factum fuit: hodie vero usus habet, ut Episcopi simul cum approbatione jurisdictionem delegatam conferant. Porro in Conc. prov. Mechlin. anni 1607 statutum fuit, ut admissio confessariorum in scriptis habeatur. In litteris autem quæ in hac diœcesi confessariis post examen aut approbationem traduntur, legitur: *Operarios doctrina et moribus conspicuos... ad saluberrimum Pœnitentiæ Sacramentum administrandum libenter assumimus et deputamus..... Ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum te approbamus, ita ut Christi fidelium confessiones audire eosque sacramentaliter absolvere... possis et valeas.* Si quis similes litteras obtinens, aliunde jurisdictionem habeat, aut obtineat, is duplici titulo gaudet potestate absolvendi. Quod etiam contingit in eo qui habens jurisdictionem delegatam usque ad revocationem, promovetur ad beneficium vel officium curatum, sicque insuper obtinet jurisdictionem ordinariam; una enim alteram non destruit aut absorbet, adeoque simul consistere possunt.

Quinam in decreto Concilii Tridentini intelliguntur nomine Episcopi?

Intelliguntur nomine

R. Intelliguntur non solum Episcopi diœcesani, sed etiam omnes qui habent jurisdictionem episcopalem, ut Vicarii Apostolici, Capitula, sede vacante, eorumque

habent territor

Vicarii, etc. Non vero intelliguntur superiores regulares, qui adeo sacerdotes suos ad audiendas confessiones sæcularium approbare non possunt, nisi habeant proprium territorium, in quo ex privilegio Papæ exercent jurisdictionem episcopalem privative ad Episcopos. Episcopi qui habent jurisdictionem episcopalem.

Cujus Episcopi approbatio requiritur ad audiendas confessiones sæcularium ?

R. Requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci, ubi confessiones excipiuntur. S. Alphonsus, n. 548, merito dicit, hanc sententiam hodie omnino tenendam esse ; cum enim agatur de lege positiva Ecclesiæ, præsertim hic attendi debet ad mentem Summorum Pontificum, et ad communem praxim. Jamvero approbationem Ordinarii loci requiri juxta mentem Summorum Pontificum, patet ex variis Constitutionibus et Decretis, relatis ac confirmatis a Benedicto XIV, Constit. *Apostolica indulta*, 3 Aug. 1744. Idem quoque fert usus jam ubique receptus : adeo ut nullus jam sacerdos confessiones excipere præsumeret, nisi ab Ordinario loci approbationem obtinuerit. Sed hæc etiam sufficit : unde non requiritur approbatio ab Episcopo ipsius confessarii, ut hic in aliena diœcesi approbatus confessiones excipere possit ; nec requiritur etiam approbatio ab Episcopo ipsius pœnitentis, ut hic in aliena diœcesi absolvi possit ab approbatis ibidem : constat ex praxi universali. Requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci.

Dictum est, sententiam hodie omnino tenendam esse, post memoratas nimirum Pontificias decisiones et stabilitam praxim ; nam olim gravissimi auctores contrarias sententias tenuerunt : aliis opinantibus requiri approbationem Episcopi pœnitentis, aliis approbationem Episcopi confessarii, aliis utriusque approbationem necessariam existimantibus.

Nota, in præsenti quæstione non agi de habentibus parochiale beneficium in respectu ad suos subditos, in quos illi habent ordinariam jurisdictionem et eatenus non indigent Episcoporum approbatione ; vide N. seq. De illis tamen hic quæritur :

Pro quo loco censendus est approbatus qui possidet beneficium parochiale ?

R. Aliqui docuerunt cum Suarezio talem esse approbatum pro universali Ecclesia, ita ut parochus vocatus Qui habet beneficium

parochiale, de jure non censetur approbatus extra territorium beneficii sui.

a parocho alienæ diœcesis possit in hujus parochia, sine approbatione Ordinarii loci, confessiones alienorum subditorum excipere. Verum hæc sententia videtur rejecta decreto S. Congr. Concilii, 3 Dec. 1707, citato a Bened. XIV, *Instit. 86*, n. 7, ubi ad quæsitum : *An curati unius diœcesis vocati a parochis alienæ diœcesis possint in ista audire confessiones, tam suorum subditorum quam alienorum, absque licentia Episcopi ?* responsum fuit : *Affirmative quoad subditos : negative quoad alios.*

Alii cum Bonacina, La Croix, etc., contendunt talem censeri approbatum saltem pro tota diœcesi in qua possidet beneficium parochiale. Sed de jure ita non esse, suadet alia declaratio ejusdem S. Congr. Concilii, quam refert Bened. XIV, ead. *Instit. 86*, n. 14, ubi ad quæsitum : *An provisus de parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa diœcesi in qua illam parochialem obtinet ?* S. Congr. respondit : *Censeri dumtaxat in ea civitate, vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem passim per totam diœcesim.*

Restat igitur dicendum, quod is qui possidet beneficium parochiale de jure solum censendus sit approbatus pro territorio sui beneficii ; adeoque in aliis diœcesis partibus confessiones excipere non possit ; nisi aliunde constet de Episcopi loci consensu expresso vel tacito, uti constat pro nostra diœcesi, ubi pro tota diœcesi et approbationem et jurisdictionem habent.

An sacerdos, sive sæcularis sive regularis, quem Episcopus nollet examinare vel approbare, posset excipere confessiones ?

R. Negative ; nam Conc. Trid. requirit ut approbationem reipsa obtineat. Unde ab Alexandro VII damnata est hæc quorumdam doctrina : *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

An Episcopus potest approbationem concedere cum limitatione ad certum locum, tempus, aut genus hominum ?

Episcopus potest limitare approbationem,

R. Aliqui negarunt, sed omnino affirmandum est, post Constitutiones Clementis X, quæ incipit *Superna*, et Benedicti XIII, quæ incipit *Pastoralis officii*, in quibus evidenter supponitur, approbationem limitari posse; ac maxime postquam Alexander VII condemnavit

sequentem propositionem tanquam falsam, temerariam, scandalosam et erroneam : *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Idem fuse docet Benedictus XIV, *Instit. 86*, n. 9, et *De Syn. diœc.*, lib. 13, cap. 9, n. 22. In citatis autem supra Constit. simul norma præscribitur Episcopis sequenda quoad limitationem et revocationem approbationis regularium eosve examini iterum subjiciendos.

An valida est approbatio quam Episcopus religioso concedit, invito superiore illius ?

Et valide eam concedit regularibus invito superiore.

R. Negat Bosco, sed rectius affirmatur, cum Laymann aliisque apud Ferraris, quia potestas Episcopi non dependet a consensu superioris regularis ; nisi tamen generalis constitutio Ordinis a S. Sede confirmata in casu approbationem revocaret. Interim facile intelligitur, extra necessitatem approbationem religioso concedendam non esse absque præsentatione seu commendatione superioris ejus.

An sæculares qui confitentur approbatis ab Episcopo, etiam religiosis, satisfaciunt præcepto confessionis annuæ ?

Confitentes approbatis ab Episcopo satisfaciunt præcepto confessionis annuæ.

R. Affirmative ; quia juxta modernam praxim, etiam ad hoc censentur legitime delegati ab Episcopo aut Summo Pontifice, adeoque a proprio fidelium sacerdote. Non autem similiter censentur delegati ad communionem paschalem eis dandam : cujus differentiæ ratio allegata fuit in tract. *De Euchar.*, N. 61.

An requiritur approbatio Episcopi pro excipiendis confessionibus regularium, qui a jurisdictione Episcopi exempti sunt et subjiciuntur superioribus regularibus ?

Non requiritur approbatio Episcopi pro confessionibus regularium excipiendis.

R. Negative ; in decreto enim supra allato Concilium Tridentinum loquitur tantum de confessione sæcularium, quo indicavit se quoad regulares non mutare jus antiquum, vi cujus pro eorum confessione excipienda sufficit approbatio superiorum regularium.

Per regulares autem hic intelliguntur non solum religiosi professi et novitii, sed etiam aliæ personæ in monasteriis degentes, dummodo sint de familia et continui commensales, ut statuit Clemens X in Const. supra cit. Non vero intelliguntur moniales cæteroquin regularibus subjectæ, pro quarum confessione requiritur

approbatio Episcopi ; ut ex cit. Const. liquet, et docet Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. 9, cap. 15, n. 9.

An sacerdos generaliter ab Episcopo approbatus ad excipiendas confessiones fidelium, eo ipso potest audire et absolvere moniales ?

Requiritur approbatio specialis pro confessionibus monialium audiendis.

R. Negative ; sed ad hoc indiget speciali approbatione Episcopi ; ita enim inter alios expresse statuit Gregorius XV, Const. *Inscrutabili.*

Id vero intelligendum est de monialibus proprie dictis, seu quæ vota solemnia emiserunt. Nam quod spectat alias religiosas, illæ a communi confessario absolvi possunt, nisi speciatim excipiantur ab Episcopo ; uti reipsa excipiuntur in hac diœcesi, idque non solum quoad liceitatem, sed etiam quoad validitatem, saltem generatim. Etenim in litteris confessariorum legitur : *Monialium tamen et sororum cujusvis ordinis vel congregationis religiosæ a sancta Sede aut a Nobis approbatæ confessiones excipere tibi non licet, nisi specialiter concesserimus, aut statuta vel legitimæ consuetudines monasterii permittant ;* in Statutis autem diœcesis, n. 280 et 285, edicitur confessionem religiosarum quarumcunque aliter institutam esse invalidam, nisi tamen quæ ad tempus extra monasterium suum versari debeat, vel graviter ægrotans petat confessarium pro monialibus non approbatum, et desit tempus recurrendi ad Ordinarium.

Dum autem in bullis Jubilæi monialibus conceditur ut cuicunque sacerdoti ab Episcopo approbato confiteri possint, id de solis approbatis pro monialibus intelligendum est.

An approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censetur approbatus ad audiendas confessiones monialium alterius monasterii ?

Approbatus pro uno monasterio non censetur approbatus pro alio.

R. Negative, saltem quoad confessarios regulares. Id expresse declaravit Clemens X, confirmans declarationem S. Congr. Conc. antiquiorem, in Const. *Superna*, his verbis: *Approbatos pro audiendis confessionibus unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.* Cum autem in præfatis decretis tantum agatur de regularibus, idem de sæcularibus sacerdotibus dicendum esse negat Sanctorus apud Pellizzarium, cap. 10, n. 164. Hæc tamen distinctio in hac

diœcesi non obtinet ; Statuta enim, n. 280, desuper tradunt sequentia : *Nemo, excepto confessario tum ordinario tum extraordinario, valide potest sacramentalem confessionem excipere religiosarum quarumcunque in communitate viventium, sive in ecclesia monasterii illarum, sive in oratorio confessionibus destinato, sive, in casu morbi, in alio quovis loco monasterii, sine facultate prævia Ordinarii. Hac autem facultate gaudet confessarius ad confessiones monialium excipiendas in tota diœcesi jam approbatus ; sed ea facultate licite uti nequit, nisi fuerit a superiorissa vocatus, vel a Nobis missus.*

An requiritur approbatio Episcopi ad absolvendum a solis venialibus vel mortalibus antea clavibus Ecclesiæ subjectis et directe remissis ?

Requiritur approbatio pro absolutione venialium.

R. Affirmative : multi quidem olim docuerunt, simplices sacerdotes habere jurisdictionem ad absolvendum a venialibus, vel ab ipso Christo acceptam secundum nonnullos, vel ab Ecclesia secundum plures, idque independenter ab approbatione Episcopi ; sed post decretum Innocentii XI, *de frequenti communione*, quod reperitur ad calcem tract. *De Euchar.*, dicendum videtur, quod simplex sacerdos non tantum illicite, sed etiam invalide absolveret a venialibus. Quum enim Pontifex ibi prohibeat ne simplices sacerdotes a venialibus absolvant, et jurisdictio sacerdotum non immediate a Christo, sed ab Ecclesia videatur accipienda, præsumi nequit Ecclesiam velle jurisdictionem eis conferre, quibus expresse prohibet ea uti.

An clausulæ: de consensu quorum interest, de licentia parochorum, *et similes quæ litteris approbationis quandoque apponuntur, ita restringunt usum approbationis ut absolutio data sine isto consensu aut licentia sit invalida ?*

Consensus parochi tantum requiritur ut approbatus licite Sacramentum administret.

R. Negative ; sed iste consensus aut licentia tantum requiritur pro licita auditione confessionum, quod ex se æquum et congruum est, quandoquidem parochi aliique rectores ecclesiarum sint superiores immediati in suis ecclesiis ac parochiis.

Sacerdos qui sine legitima approbatione aut jurisdictione confessiones exciperet, incurreret pœnam suspensionis ferendæ sententiæ, ex cap. *Placuit*, de Pœnit., dist. 6. Cfr. Billuart, diss. 6, art. 5.

N.° 69. In quibus locis confessiones excipere possint qui jurisdictionem habent.

In quibus locis confessiones excipere potest qui habet jurisdictionem ordinariam ?

Ubi confessiones excipere possit habens jurisdictionem ordinariam.

R. 1.° Quum juxta dicta N. præc. talis ratione solius beneficii, dignitatis vel officii, quod obtinet, non censeatur approbatus extra territorium beneficii, dignitatis vel officii, non potest ex hoc titulo extra illud territorium valide absolvere subditos alienos, etiam cum licentia proprii eorum parochi.

2.° Vi consuetudinis, quæ, ut N. 67 dictum est, jurisdictionem tribuit, potest excipere confessiones per totam diœcesim in qua beneficium, dignitas vel officium habetur, si ibi vigeat talis consuetudo. Sic in diœcesi Mechliniensi parochi, præter jurisdictionem ordinariam quam habent pro parochia sua, simul jurisdictionem delegatam obtinent pro tota diœcesi vi consuetudinis non semel ab Ordinariis approbatæ.

3.° Qui jurisdictionem ordinariam habet, potest etiam in aliis diœcesibus absolvere proprios subditos ; cujus ratio est, quod jurisdictio ordinaria magis afficiat personas quam locum, et absolutio sacramentalis sit actus jurisdictionis gratiosæ, quæ etiam in alieno territorio exerceri potest. Attamen caute debet procedere, ne Episcopum aut parochum extraneum offendat, ne alios sibi non subditos audiat, aut oblocutionibus locum præbeat.

In quibus locis confessiones excipere possunt, qui tantum habent jurisdictionem delegatam ?

Ubi ille qui habet delegatam tantum.

R. 1.° In Ecclesia et parochia pro quibus approbationem et jurisdictionem habent.

2.° In hac diœcesi consuetudo ab Ordinario approbata habet, ut etiam confessiones excipere possint in aliis diœcesis ecclesiis et parochiis, idque ordinarie exprimitur in litteris jurisdictionis et approbationis.

Quamvis autem in istis locis valide absolvant, non possunt tamen licite confessiones excipere sine consensu expresso vel præsumpto pastorum, qui facile consentire solent ac debent, cum onus ipsorum inde allevietur.

3.° Extra diœcesim in qua approbati sunt, nulla gaudent potestate absolvendi, nequidem in subditos loci, aut diœcesis pro qua approbati sunt, excepto mortis periculo.

Patet ex dictis N. præc., ubi quærebatur, cujus Episcopi approbatio requiratur ; et signanter ex Constitutione Clementis X, quæ incipit *Superna*, ubi dicitur : *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi a quo religiosi jam fuerunt approbati.* Quod si decernatur circa sacerdotes regulares , multo magis de sacerdotibus sæcularibus statuendum est , ut advertit Benedictus XIV, *Instit. 86*, n. 7.

An confessarius in locis in quibus jurisdictionem habet, potest absolvere omnes ad se venientes ex aliis diœcesibus, ubi jurisdictionem non habet ?

Confessarius in locis ubi jurisdictionem habet audire potest ad se venientes ex aliis diœcesibus,

R. Affirmative ; nam id habet consuetudo, consentientibus Episcopis , quæ adeo jurisdictionem tribuit juxta ante dicta ; et merito : nam aliter peregrini et viatores tam salutari Sacramento privarentur quamdiu absunt a loco domicilii sui. Nec obstat, si expresse veniant ut confiteantur, imo ut effugiant proprios sacerdotes. Ratio est, quod, ut dicit Perin, nec Episcopi, nec parochi casum istum excipiant. Neque refert, quod, ut in jure habetur, fraus et dolus nemini patrocinari debeant, quia prædicti proprie loquendo nec dolo, nec fraude utuntur, sed solo jure sibi concesso per consuetudinem et consensum Episcoporum, qui confessariis non prohibent eos absolvere.

Quin etiam ex universali praxi, cui non contradicunt Episcopi, quilibet confessarius potest absolvere pœnitentem ad se ex aliena diœcesi venientem, a casibus in illa diœcesi reservatis, nisi tamen simul reservati essent in loco ubi excipitur confessio, et confessarius non haberet facultatem a reservatis absolvendi. Sed cum Billuart, Bened. XIV, *DeSyn. diœc.*, lib. 5, cap. 2, S. Alph., n. 589, etc. , excipiendus est casus , quo confessarius noverit pœnitentem in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro obtinenda absolutione accessisse.

exceptis iis qui veniunt in fraudem reservationis.

Hæc resolutio confirmatur ex bulla Clementis X, *Superna*, in qua dicitur : *Posse regularem confessarium in diœcesi in qua est approbatus confluentes ex alia diœcesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere ; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

Quomodo autem intelligendum sit illud *in fraudem reservationis*, multum doctores discrepant. Dicendum videtur, idque S. Alphonsus, loco cit., post relatas cæteras sententias, probabilius esse censet, scilicet, cum *in fraudem reservationis in alienam diœcesim migrare*, qui alienam diœcesim petit ob principalem finem obtinendi absolutionem vitandique judicium proprii pastoris.

Generatim observandum est, caute esse procedendum cum extraneis qui proprios pastores fugiunt : sæpe enim carent sincero proposito se emendandi, aut ratione scandali vel aliter absolutione indigni sunt.

N.° 70. Quamdiu duret jurisdictio vel approbatio et quibus modis cesset vel amittatur.

Quamdiu durat jurisdictio ordinaria ?

R. Quamdiu possidetur officium, beneficium aut dignitas cui annexa est ; sed interim suspendi et impediri potest jurisdictionis usus, ut dicetur statim.

Quomodo amittitur aut impeditur jurisdictio ordinaria ?

Quomodo amittatur ordinaria.

R. 1.° Amittitur per amissionem beneficii vel officii cui annexa est.

R. 2.° Impeditur quoad validum ejus usum, licet penitus non amittatur, per excommunicationem in excommunicato vitando, tum etiam per suspensionem nominatim et publice denuntiatam.

Per alias autem excommunicationes aut suspensiones tantum impeditur usus jurisdictionis quoad liceitatem non quoad validitatem. Infertur ex cap. *Ad vitanda*, de quo infra.

An Episcopus potest ad examen vocare parochum vel alium sacerdotem habentem jurisdictionem ordinariam ?

R. Affirmative, si merito dubitet de ejus scientia, proba vita, aut aliis qualitatibus ad confessiones debite

audiendas requisitis. Et quidem si minus idoneum reperiat, potest ipsum ab audiendis confessionibus suspendere, ac etiam coadjutorem aut vicarium ei assignare, ut constat ex Conc. Trid., sess. XXI, cap. VI, de ref., ubi dicitur : *Quia illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt quam ædificant, Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, iisdem illiteratis et imperitis, si alias honestæ vitæ sint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare... possint.*

Quamdiu durat jurisdictio delegata et approbatio Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium requisita ?

Quamdiu duret delegata.

R. Quamdiu durat tempus pro quo concessa fuit, nisi antea revocetur ; et si tempus non sit appositum, aut concessa fuerit sub terminis *ad revocationem* vel *ad beneplacitum nostrum*, durat donec legitime revocetur a concedente vel ejus successore.

Quomodo amittitur aut impeditur jurisdictio delegata et approbatio Episcopi ad audiendas confessiones requisita ?

Quomodo amittatur.

R. 1.° Amittitur per expirationem temporis pro quo concessa fuit. Item per revocationem : quæ quidem semper habenda est ut valida, etiam si fieret sine justa causa ; neque hic servari debet ordo juris, quia hæc revocatio non est censura nec pœna proprie dicta.

R. 2.° Impeditur quoad usum, per excommunicationem et suspensionem, eodem modo ac jurisdictio ordinaria ; adeo ut invalida per se sit absolutio excommunicati vitandi, aut suspensi nominatim et publice denuntiati ; excommunicati autem non vitandi, aut simpliciter suspensi, per se illicita tantum sit.

An approbatio vel jurisdictio delegata cessat per mortem aut amotionem Episcopi, vel alterius qui eam concessit ?

An cesset per mortem delegantis,

R. Negative, idque probat generalis praxis ; ratio vero est, quod collatio jurisdictionis sit favor, qui de jure perseverat post mortem concedentis, non secus ac privilegium. Deinde salus fidelium nimiis periculis exponeretur, si, moriente Episcopo, omnes habentes jurisdictionem delegatam simul ea privarentur.

« Si vero delegatio fuit in particulari, inquit S. Alphonsus, n. 559, scilicet de audienda alicujus tantum

confessione, recte Salmanticenses tenent quod expirat morte concedentis, nisi confessio jam fuerit incepta. »

An cessat jurisdictio confessarii incidentis in irregularitatem vel interdictum personale ?

per irregularitatem aut interdictum,

R. Certe non cessat, nequidem quoad validum usum, si non sit nominatim denuntiatus. Imo Suarez, *De Cens.*, disp. 40, sect. 2, n. 45 et 46, et Bonacina, *De Irreg.*, probabile existimant, talem, quamvis nominatim denuntiatum, valide absolvere. Omnis tamen irregularis aut interdictus ab audiendis confessionibus, non secus ac excommunicatus et suspensus, equidem illicite absolveret.

Quid jam requiritur ut jurisdictionis usus ratione suspensionis aut excommunicationis interdicatur quoad validitatem ?

per excommunicationem aut suspensionem.

R. Olim quicunque pœnam suspensionis, vel excommunicationis incurrerat, eo ipso privabatur usu jurisdictionis, quoad validitatem ; sed hodiedum ad hoc requiritur, ut suspensio, vel excommunicatio in sacerdotem nominatim lata et publice denuntiata fuerit ; vel si a jure statuta sit, a superiore publice et nominatim talis sacerdos denuntiatus fuerit ut suspensus, vel excommunicatus; vel tandem ut quis sit notorius percussor clerici, secundum dicenda infra.

Id communiter inferunt theologi ex famoso decreto Concilii Constantiensis anni 1418, quod incipit : *Ad vitanda*, et integre hic refertur ex S. Antonino, 3ª part., tit. 25, cap. 2 : *Ad vitanda scandala et multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, vel contra collegium, vel universitatem, ecclesiam, vel locum certum, vel certam terram a judice publicata et denuntiata specialiter et expresse ; Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, salvo si quem*

Cap. *Ad vitanda.*

pro sacrilega manuum injectione in clerum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non posset aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.

Nec obstat posterius decretum Concilii Basileensis anni 1458, quo sancitum fuit omnes notorie excommunicatos vitandos esse ; nam si hoc decretum sit legitimum, quod plures merito negant, equidem contraria consuetudine fuit abrogatum, et Constantiense communiter usu receptum est, ut advertit S. Alphonsus, *De censuris*, n. 136.

Decretum Conc. Constant. excipit percussorem clerici et cum eo, licet non denuntiato, in divinis communicare prohibet, si crimen illius ita notorium sit, *ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari.* Contendunt quidem aliqui auctores, ut Avanzini, P. Dumas, hanc exceptionem hodie non amplius obtinere, sive quia in desuetudinem abiit, sive quia implicite abrogata est Constitutione *Apostolicæ Sedis*, 12 Octob. 1869. Verum alii contradicunt, cum nec dicta Constitutio, nec consuetudo, saltem universalis, præfatæ dispositioni derogaverit, et consequenter notorius clerici percussor vitandus sit, ut olim, modo vere sit in casu decreti Conc. Constant. Ad hoc autem plures requirunt ut factum publice notorium sit, tum notorietate facti, tum notorietate juris, quia alias vix non poterit *aliquo juris suffragio excusari*, saltem a censura ; adeo ut raro propter hoc crimen aliquis habendus sit ut vitandus. Cfr. S. Alphonsus, *De censur.*, n. 141 et seq.

Cum igitur juxta decretum Concilii Constantiensis nemo teneatur in Sacramentorum, adeoque et absolutionis susceptione abstinere a communione sacerdotis qui etiam publice notus est ut suspensus, interdictus vel excommunicatus, si non sit nominatim et expresse denuntiatus ut talis, sequitur ipsum posse valide absolvere, adeoque usu valido jurisdictionis ordinariæ vel delegatæ, si quam habet, propter censuram non privari.

Hinc deducitur 1.° confessarium, qui v. g. in hac

diœcesi ob ingressum popinæ vel frequentationem theatri publici suspensionem incurrit, valide absolvere, quamdiu non est nominatim et expresse ut suspensus denuntiatus ab Ordinario. 2.° Idem dicendum esse de confessario qui excommunicationem incurrit, v. g. ob lectionem libri hæretici.

Dictum est : *valide absolvere ;* nam illicite id faceret extra necessitatem : etenim dictum capitulum unice datum est in favorem fidelium, neque per illud ipsi suspensi, excommunicati, vel interdicti relevantur ; adeoque tenentur censuram observare, nisi necessitas urgeat, aut saltem juxta plures, apud S. Alphonsum, *De censur.*, n. 139, nisi ipsi a fidelibus requirantur.

Deinde notandum, quod pœnitens tali confessario confiteri non possit sine justa causa, saltem quamdiu malus seu peccator est habendus, juxta dicta in tract. *De Sacramentis in genere*, N. 58 ; et quidem si sine justa causa id faceret, nec ob ignorantiam aliamve rationem a gravi culpa excusaretur, absolutio foret invalida, quandoquidem in ipso actu confessionis graviter peccaret, sicque careret legitima contritione.

N.° 71. De jurisdictione ex titulo colorato et communi errore populi.

Dictum est, N. 67, certum esse quod Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando sacerdos habet titulum coloratum et simul adest communis error quo putatur habere jurisdictionem. Et revera docent communiter theologi quod Ecclesia in hoc casu tribuat ei jurisdictionem necessariam ad singulos actus ob bonum publicum ; ne scilicet fideles anxii sint circa validitatem absolutionis, et ne animæ in sua bona fide pereant, dum invalide absolverentur a tali confessario qui ob occultum defectum jurisdictione careret. Confessarius tamen per se graviter peccat, quia Ecclesiam ad supplendum indebite adducit et quasi cogit.

Quid intelligitur per titulum coloratum ?

Quid sit titulus coloratus.

R. Intelligunter duo scilicet : 1.° possessio beneficii, dignitatis, vel officii curati, quæ legitima apparet, sed revera talis non est, quia vel ab initio invalida fuit ob

irregularitatem aliumve defectum, vel postea desiit esse talis ex causa superveniente.

2.° Commissio jurisdictionis delegatæ, quæ apparet legitima, sed quæ similiter vel ab initio fuit invalida ob defectum latentem, vel postea desiit esse valida ex causa superveniente.

Quid intelligitur per communem errorem populi ?

Quid communis error populi.

R. Intelligitur error, quo quis communiter a fidelibus putatur habere jurisdictionem ordinariam vel delegatam, quam revera ob occultam causam non habet.

Dicitur : *communiter ;* quia necesse est ut plerique aut fere omnes defectum ignorent. Hinc si obvie in communitate innotesceret defectus jurisdictionis, eo ipso error communis deesset, adeoque et jurisdictio. Ex eo autem quod defectus alibi sit communiter notus, non deficit jurisdictio, quamdiu notitia ad hunc locum non pervenit.

An Ecclesia supplet jurisdictionem, si quidem adsit communis error populi, sed sacerdos non habeat titulum coloratum ?

An hic solus det jurisdictionem.

R. Controvertitur : Neesen, De Lugo, Suarez, etc., sustinent Ecclesiam jurisdictionem tribuere ; quia eadem ratio boni communis tunc æque militat ac dum simul adest titulus coloratus.

E contra Bonacina, Laymann, Sanchez, etc., negant, quia præsumi non potest Ecclesiam tunc supplere jurisdictionem , quandoquidem sacerdotes hæretici aut impii facile se introducere et errores suos propagare possent, simulando se confessarios esse.

Benedictus XIV , eamdem quæstionem discutiens , *Instit. 84,* n. 22, refert declarationem S. Congr. Concilii datam occasione temerarii facti trium regularium, qui Patavii tempore Jubilæi, licet non approbati, sub variis prætextibus se gesserant tanquam approbati, et licet a parocho moniti de sua inhabilitate, ab inceptis tamen desistere noluerant : declaravit autem S. Congr. ipsos absolvisse *invalide, sed non esse inquietandos illos qui bona fide confessi sunt ; attamen, si ipsi confessi hoc resciverint , vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.*

Conclusiones.

Ex dictis sequitur 1.° quod si jurisdictio confessarii

admissi ad biennium revocetur, sed hoc maneat occultum, sicque communi errore putetur adhuc habere jurisdictionem, valide absolvat toto illo biennio; cum enim litteræ approbationis valeant ad biennium, utraque conditio requisita adest.

Sequitur 2.° quod si quis, elapso tempore jurisdictionis, seu approbationis, sine nova jurisdictione aut approbatione prosequatur audire confessiones, cum communi errore populi, absolutiones dubie validæ sint. Interim plures dicunt, idque probabile habet S. Alphonsus, n. 572, illos qui bona fide confessi sunt tali sacerdoti, non esse adigendos ad repetendas confessiones.

Sequitur 3.° absolutiones confessarii intrusi, publice noti ut talis, esse invalidas, cum nec titulum habeat, nec adsit communis error. Si vero a legitima potestate seu superiore sit intrusus, et accedat communis error, absolutiones illius juxta Billuart valerent: quandoquidem tunc adsit apparens titulus, nempe quod a legitima potestate aut superiore sit in officium inductus, aut cum consensu illius confessiones excipiat.

An valet absolutio data a diacono, cum titulo colorato et communi errore?

R. Negative; quia ex institutione Christi solus sacerdos est minister Sacramenti Pœnitentiæ, nec Ecclesia potestatem ordinis aliter quam per ordinationem conferre potest.

N.° 72. De potestate et obligatione absolvendi in articulo mortis.

S. Thom., Supplem., quæst. 8, art. 6.

An sacerdos non approbatus absolvere potest, saltem in defectu approbati, hominem constitutum in articulo mortis?

Deficiente approbato valide absolvit simplex sacerdos

R. Affirmative; nam Ecclesia tunc omnibus sacerdotibus jurisdictionem concedit, uti testatur praxis generalis et immemorialis, cujus origo ad Apostolorum tempora merito refertur. Imo non desunt auctores qui dicunt hanc jurisdictionem a Christo omnibus sacerdotibus concessam fuisse, ut Henno et alii quos citat Melchior Canus, *Relect. de Pœnit.*, part. 5.

De hoc articulo mortis loquitur Conc. Trid., sess. XIV, cap. VII, in hunc modum : *Pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

Quid hic intelligitur per articulum mortis ?

In articulo mortis.

R. Intelligitur non solum articulus mortis stricte dictus, seu ipsum agoniæ tempus, sed etiam probabile mortis periculum, quod adest dum merito timetur ne quis moriatur sine confessione, vel saltem ne sensu et loquela vel usu rationis privetur, antequam adveniat sacerdos approbatus.

An in articulo mortis valide absolvit sacerdos non approbatus, si adsit vel haberi possit approbatus ?

An et quando, si haberi possit approbatus.

R. Negant Sylvius, Neesen, Suarez, Steyaert et alii ; quia in illo casu nulla est necessitas confitendi non approbato, et ob solam necessitatem Ecclesia cuilibet sacerdoti jurisdictionem concedit in articulo mortis. Confirmatur ex Rituali Romano quod adjicit hanc conditionem : *approbatusque desit.* Item docet Catechismus Romanus, *De Pœnit.*, n. 72.

Affirmat vero Bosco, Daelman et alii ; quia Concilium Tridentinum generatim dicit omnes sacerdotes tunc posse absolvere, neque distinguit an adsit approbatus necne ; neque adeo nos distinguere debemus.

In praxi a prima sententia recedendum non est ob auctoritatem Ritualis Romani, ut ait S. Alphonsus, n. 562, exceptis seqq. casibus : 1.° Si approbatus præsens nollet vel non posset confessionem moribundi audire; tunc enim æquivalenter non adest approbatus. 2.° Si approbatus sit nominatim suspensus aut excommunicatus ; tunc enim Ecclesia censetur velle ut præferatur simplex sacerdos. 3.° Si moribundus ita timeret confiteri sacerdoti approbato qui adest, ut periculum sit ne sacrilege confiteatur, aut potius velit mori sine confessione ; videtur enim consonum benignitati Matris Ecclesiæ, ut tunc non approbatus possit confessionem moribundi excipere. 4.° Si approbatus tantum superveniat, dum non approbatus jam partem confessionis audivit ; tunc enim judicium sacramentale inceptum compleri debet.

Si quis in periculo mortis absolutus fuit a simplice sacerdote, an tenetur postea, si periculum evaserit, confessario approbato de novo confiteri ?

An sic absolutus teneatur postea confiteri approbato.

R. Negative ; nam absolutio quam recepit, fuit absoluta et sine restrictione, etiam quoad peccata reservata. Si tamen pœnitens excommunicatione reservata innodatus in articulo mortis a simplice sacerdote fuisset absolutus, teneretur, juxta canones, postea se sistere superiori mandatum ejus recepturus, sub pœna reincidendi in eamdem censuram ; nisi malit delictum denuo confiteri sacramentaliter habenti jurisdictionem saltem delegatam pro tali casu.

An Ecclesia pro articulo mortis tribuit jurisdictionem sacerdotibus qui nominatim suspensi, interdicti aut excommunicati et ut tales publice denuntiati sunt ?

An in articulo mortis etiam excommunicatus publice denuntiatus valide absolvat.

Ante responsionem notandum est 1.° non inquiri an Ecclesia possit ejusmodi sacerdotibus jurisdictionem concedere ; id enim adeo certum est, ut continuator Tournely asserat neminem hanc potestatem Ecclesiæ abnegare.

Notandum 2.° quæstionem restringi ad excommunicatos et suspensos publice denuntiatos ; nam quoad illos qui ita denuntiati non sunt, cum, juxta dicta N. 70, vi capituli *Ad vitanda*, etiam extra casus necessitatis retineant usum validum jurisdictionis ordinariæ vel delegatæ quam antea habebant, sustineri non potest quod ea pro articulo mortis privatos velit Ecclesia.

Notandum 3.° excommunicatis et suspensis nominatim denuntiatis, quoad præsentem quæstionem, æquiparari hæreticos et schismaticos qui publice denuntiati sunt, vel qui ultro ac manifeste secessum ab Ecclesia fecerunt, atque ita vivunt ab Ecclesia separati. His præmissis,

Sententia negans ;

R. Controvertitur. Negant Fagnanus, Petrocorensis, Concina, Feller in Ephemeridibus anni 1794 ac alii ; et quidem, teste Navarro, ante Concilium Tridentinum hæc sententia erat communis. Rationes illius sunt : 1.° quod, juxta dicta N. 70, canones tales sacerdotes absolute privent jurisdictione, quin excipiant articulum mortis ; 2.° quod Concilium Tridentinum, loco citato dicens omnes sacerdotes in articulo mortis posse absolvere, debeat intelligi de sacerdotibus qui de jure capaces sunt

exercendi jurisdictionem, quales non sunt excommunicati vitandi : Concilium enim non voluit condere jus novum, sed solum declaravit id quod in Ecclesia semper custoditum fuerat : jamvero tunc temporis communis opinio theologorum et canonistarum erat, quod excommunicati vitandi nequidem in articulo mortis absolvere possent. Insuper pro hac sententia Fagnanus aliique adducunt declarationem S. Congregationis Concilii ; sed cum ejus authenticitas merito in dubium vocetur, reliqui eam non adferunt. Cfr. S. Alphonsus, n. 560.

E contra affirmant Melchior Canus, Navarrus, Sanchez, Suarez, Sylvius, S. Alphonsus, in *Elencho quæst. reform.*, Moser in opusculo edito Mechliniæ anno 1819, sub tit. *De mente Ecclesiæ*, etc.; hæcque sententia hodie communis est. sententia affirmans.

Probatur 1.° ex Concilio Trid., sess. XIV, cap. VII, ubi postquam docuit in articulo mortis nullam esse reservationem, generaliter addit, omnes sacerdotes in articulo mortis absolvere posse, nullum excipiendo : atqui ubi lex non excipit, nos non debemus excipere ; ergo sacerdotes excommunicati, etiam vitandi, comprehenduntur ; 2.° ex eo quod præsumi non possit Ecclesiam velle hominem in periculo mortis constitutum privare tam necessario medio salutis, dum adest sacerdos qui de ejus licentia illud impertiri posset, sed omnino supponendum est, quod benigna Mater illam licentiam tunc concedat.

Posteriori sententiæ hodie communiter adhærent theologi ; sed quamvis de ea aliquis dubitaret, cum equidem in necessitate liceat Sacramentum Pœnitentiæ dubie conferre, casu occurrente, posset et deberet talis sacerdos, elicita prius contritione, si adhuc in peccatis sit, juxta *De Sacram. in gen.*, N. 37, moribundum absolvere, in defectu alterius sacerdotis.

Ut vero ipse moribundus ab ejusmodi sacerdote absolutionem petere ac recipere possit, necesse est, ut sacerdos ritu catholico Sacramentum administrare velit ; ut non adsit periculum seductionis, nec petitio vel receptio Sacramenti involvat scandalum, vel professionem aut approbationem hæresis, seu schismatis, ut

dictum est ibidem N. 58. Cfr. Benedict. XIV, *De Syn. diœc.*, lib. VI, cap. 5, n. 2.

An omnis sacerdos, uti potest, ita tenetur excipere confessiones illorum qui in mortis periculo versantur ?

Quinam teneantur in dicto periculo excipere confessiones,

R. Affirmative, juxta dicta *De Sacram. in gen.*, N. 45, si nempe moribundi graviter peccare potuerint et non adsit alius sacerdos cui, ratione officii, id potius incumbat. Ratio est, quod præceptum charitatis exigat, ut proximo in salutis periculo constituto succurramus.

An omnes sacerdotes teneantur excipere confessiones moribundorum etiam cum imminenti periculo occisionis, pestis aut alterius morbi contagiosi ?

etiam cum periculo propriæ vitæ.

R. 1.° De sacerdote cui cura animarum incumbit, dubitari non potest, quin teneatur, nisi satis constet moribundum in statu gratiæ constitutum esse, ut si piam ducat vitam, aut recenter adhuc absolutus sit. Ratio est, quod vi officii sui teneatur subditis in gravi periculo damnationis succurrere, etiam cum periculo propriæ vitæ.

2.° De sacerdote qui curam animarum non habet, siquidem nesciat moribundum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitæ, ut dicunt Tolet. et Verricel., apud Tournely qui non reprobat. Ita S. Alphonsus, n. 624.

Si vero moribundus in mortali esse cognoscatur, duæ sunt theologorum sententiæ. Prima quidem negat teneri ; quia moribundus, etiamsi sit in statu peccati mortalis, se a periculo damnationis liberare potest per actum contritionis perfectæ, adeoque non est in tanta necessitate, ut alter qui non est pastor, ex solo titulo charitatis vel sacerdotii teneatur ei succurrere cum periculo vitæ.

Secunda vero sententia affirmat. « Ratio est, inquit S. Alphonsus, loc. cit., quia, esto in rigore loquendo posset moribundus per contritionem sibi providere, tamen non potest negari, quod magno periculo exponatur ille suæ æternæ salutis, si absque absolutione relinquatur : et sicut, cum certa est damnatio proximi si non absolvatur, teneris certam subire mortem ; ita dico, cum proximus est in probabili periculo damnationis, teneris ei subvenire cum probabili periculo mortis, ex lege charitatis, quæ obligat in pari periculo exponere

vitam temporalem ad salvandam vitam proximi spiritualem. » Idem Sanctus in opere *Homo Apost.*, tract. 16, n. 125, hanc secundam sententiam veriorem vocat.

N.° 73. De confessarii dotibus et obligationibus in genere.

In confessario ultra potestatem requiruntur variæ qualitates.

Præter potestatem ordinis sacerdotalis et jurisdictionem, quæ juxta ante dicta ad valorem Sacramenti in confessario necessariæ sunt, plures in eodem requiruntur qualitates seu dotes ; quandoquidem sine illis munus suum, utpote gravibus difficultatibus obnoxium, licite et fructuose pro spirituali confitentium salute exequi non posset. Itaque petitur :

Quænam qualitates seu dotes in confessario requiruntur ut licite ac fructuose confessiones excipiat ?

Quænam.

R. Præcipuæ exprimuntur his versibus :

Sit probus et doctus confessor, sitque peritus,
Discretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.

S. Thomas, *Opusc. 65*, de officiis sacerdotum, eas reducit ad tres, scilicet : 1.° *bonitatem*, quam alii probitatem vitæ appellant, et 2.° *scientiam*, de quibus agetur N. seq.; 3.° *prudentiam*, de qua N. 75.

Angelicum Doctorem communiter sequuntur theologi, ac Rituale Romanum, quod tamen addit fidelitatem in servando secreto sigilli, quæ cæteroquin sub prudentia continetur. Illius verba hic referre juvat : *In ejus* (Sacramenti Pœnitentiæ) *ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretæ confessionis sub exacto perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii. In primis meminerit confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines honori divino et animarum saluti consulat. Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantum potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, præsertim*

e Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare.

Quibus mediis prædictas qualitates confessarius sibi comparare debet ?

Quibus mediis comparandæ.

R. 1.° Per assiduas preces; nam : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ;* Jac. I, 17.

2.° Per studium perfectionis sacerdotalis, cui assidue incumbere debet.

3.° Per studium theologiæ et reflexionem super peractis in confessionali, ut ea emendet quæ minus perfecte egit.

4.° Per colloquia et conferentias cum sapientibus sacerdotibus in hoc munere versatis.

Quænam sunt officia confessarii ?

Officia confessarii.

R. Quadruplex communiter assignatur officium confessarii, scilicet : 1.° patris, 2.° doctoris, 3.° medici, 4.° judicis ; de quibus N. 76 et seq. agetur.

Ex his confessarii officiis graves sequuntur obligationes, ita ut merito dicatur hoc munus ipsis etiam angelicis humeris formidandum ; nec adeo temere ac leviter, sed ex vocatione et obedientia suscipiendum, et cum constanti diligentia adimplendum esse, ut ingens meritorum copia inde percipiatur.

Quæ præcipue vitia a confessario evitanda sunt ?

Vitia vitanda.

R. 1.° *Impatientia,* quæ facile posset pœnitentem impedire ab integra confessione peccatorum.

Ideo sæpe recogitet, hoc ministerium esse Deo gratissimum, ac animabus sibique saluberrimum : nam *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum ;* Jac. V, 20.

2.° *Præcipitantia,* qua, omissis interrogationibus ac monitis necessariis aut utilibus, absolutio æquo citius datur, vel æquo citius negatur.

3.° *Durities :* durus enim confessarius vel terrebit pœnitentes, qui ideo graviora peccata non aperient, vel nimis aggravabit onus confitendi, quod de se pluribus valde grave videtur. Unde divini judicii severitas ac ipsa pœnarum inferni acerbitas, ubi opus est, ita proponi debent, ut pœnitens intelligat increpationem non ex

irato aut acerbo animo,sed ex amore salutis illius proficisci ; ipsi inveterati peccatores efficacius verbis commiserationis quam dura increpatione commoveri solent.

N.° 74. De bonitate et scientia in confessario requisitis.

Quid intelligitur per bonitatem seu probitatem vitæ in confessario requisitam ?

R. Intelligitur 1.° status gratiæ sanctificantis ; hunc enim requiri pro licita administratione cujuscunque Sacramenti, satis superque probatum est *De Sacram. in gen.*, N. 35. Unde merito advertit Neesen quod « ante omnia invigilare et curare debeat confessarius, ut omni tempore habeat conscientiam immunem, cum Dei gratia, a gravioribus peccatis, eo quod sit in continua quasi occasione administrandi illius Sacramenti Pœnitentiæ, quod in mortali existens sine gravissimo sacrilegio administrare non potest ; adeoque meminerit se esse medicum, qui primo curare debet seipsum, antequam accingat se curandis aliis, nec adeo stulte procedat ut dum alios sanitati restituit, semetipsum mortaliter lædat, nec ita deliret, ut iisdem clavibus, quibus aliis cœlum aperit, sibi illud occludat. » Nomine bonitatis intelligitur : 1.° status gratiæ,

Intelliguntur 2.° virtutes ad hoc munus rite obeundum necessariæ ; cum enim in eo multæ ac graves occurrant difficultates, impossibile foret sine magnis virtutibus non labi in plures ac graves defectus ; deinde confessarius tenetur pœnitentes ad virtutes excitare, id vero efficaciter facere non posset, si ipse illas non possideret. Præcipue vero præditus esse debet : 2.° virtutes :

1.° Sincera *charitate* in Deum, ut ejus honori constanter consulat ; in proximum, ut ipsum ad Deum adducere eique in negotio unice necessario salutis prodesse satagat. charitas,

2.° Constanti *patientia*, qua præcipue opus habet ut debite procedat cum rudibus, cum recidivis et consuetudinariis, cum scrupulosis et mulieribus. patientia,

3.° Requiritur *paterna* quædam *gravitas*, ut nihil appareat in vultu, corporis gestu vel sermone, quod non deceat virum maturum: hæc præcipue in confessionibus gravitas,

mulierum necessaria est, in quibus præsertim ab omni familiaritate cavendum est ; brevem enim et rigidum cum mulieribus sermonem ubique habendum esse, docent SS. Patres.

mansuetudo, 4.° Requiritur specialiter *mansuetudo,* qua juxta exemplum Christi peccatores benigne excipiat, et adjuvet.

fortitudo, 5.° Necessaria est *fortitudo,* ut nec ex respectu humano, nec ex pusillanimitate officio suo desit : quocirca usu veniunt verba Eccli. VII, 6 : *Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

castitas, 6.° Requiritur eximia *castitas*, ne tentationibus carnis, ex iis quæ audiuntur, exsurgentibus consentiens, animam suam coinquinet.

humilitas. 7.° Tandem, tanquam reliquarum virtutum fundamentum, requiritur magna *humilitas :* « Etenim cum gravia pœnitentium peccata audiuntur, ait Neesen, nonnunquam in corde confessarii solet insurgere quidam contemptus adversus hujusmodi pœnitentes, aut ventus inanis gloriæ de seipso, eo quod hujusmodi crimina non commiserit ; idcirco confessarius opus habet virtute humilitatis, in qua ut se contineat, recogitet illam ipsam animam pœnitentem, genibus suis advolutam, innumeris licet contaminatam peccatis, forsitan esse vas electionis et a Deo prædestinatam, se vero a Deo reprobatum, cujus judicia sunt abyssus multa ; insuper serio recogitet cum S. Augustino, nullum esse peccatum quod facit unus homo, quod non faceret alter homo, nisi juvaretur ab eo a quo factus est homo. »

Nota. A bonitate tamen confessarii minime dependet valor absolutionis ; fides enim et probitas ministri non requiritur ad valorem Sacramentorum, ut *De Sacram. in gen.*, N. 34, probatur, idque de hoc Sacramento speciatim docet Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. VI, dicens : *Prave sentire, qui in malis sacerdotibus potestatem absolvendi non esse contendunt.*

Quare confessario necessaria et scientia ?

Necessaria scientia confessario ; R. Quia secus confessarius se exponit evidenti periculo male adimplendi officium suum, cum injuria Sacramenti et maximo animarum detrimento.

Quænam scire debet confessarius ?

quæ ; R. Ut *minister Sacramenti* simul fungens officio

doctoris, scire debet, non tantum quæ a semetipso præstanda sunt ut Sacramentum rite conferatur, sed ea etiam de quibus pœnitens instruendus est ut Sacramentum debite recipiatur ; ut *judex sacramentalis* scire debet quæ necessaria sunt ut rite judicet de gravitate peccatorum, an ea remitti aut retineri debeant, et quæ satisfactio imponenda sit; tandem ut *medicus spiritualis* cognoscere debet media quibus animarum vulnera sanantur.

Quanta debet esse scientia confessarii ?

R. Non requiritur summa aut exquisita, sed sufficit mediocris ; tanta scilicet ut noverit communia theologiæ principia et valeat communes casus resolvere ac de difficilioribus dubitare, atque dein libros et se doctiores consulere ; nisi enim hæc scientia sufficeret, pauci reperirentur sacerdotes ad confessiones excipiendas idonei.

An in omnibus confessariis requiritur scientia æque magna ?

R. Negative ; sed debet esse quodammodo commensurata locis et personis quarum confessio excipienda est; sic major requiritur ut quis se exponat ad confessiones divitum mercatorum in magna civitate audiendas, in quibus occurrunt casus valde difficiles, quam si in exiguo pago, vel schola juvenum aut puellarum munus exercere debeat. non eadem in omnibus.

Ex dictis sequitur 1.° graviter peccare superiores qui sacerdotes ignaros ad confessiones audiendas admittunt, vel admissos non revocant : nisi tamen deficiant magis idonei et necessitas premat ; nam præstat habere confessarios minus doctos quam nullos, maxime si pii et zelosi sint ; tales enim, si faciant quod in se est, nec in essentialibus deficiant, absolutionem valide administrant, et salutem pœnitentium efficaciter promovent ; defectus vero accidentales, si quos admittant, ipsis non imputantur ob bonam fidem et necessitatem. Conclusio quoad superiores,

Sequitur 2.° peccare etiam confessarios qui negligunt scientiam debitam acquirere et acquisitam conservare ac augere per juge studium, consilia peritorum, et invocationem divini luminis. Quocirca notanda sunt quæ tradit Benedictus XIV, *Instit. 32 :* « Duo profecto certissima sunt : primum quidem theologiæ moralis scientiam illis omnino necessariam esse qui tanquam parochi aut quoad confessarios.

sacerdotes pro administrando Pœnitentiæ Sacramento constituti, confessarii munere rite perfungi velint ; alterum non satis esse quod eamdem facultatem aliquis semel percurrerit, perceperit ac palam etiam docuerit, sed assidue excolendam, ut animo penitus defigantur ea quæ didicerit, et nova semper documenta, quibus ea facultas plurimum affluit, comparentur.... Utinam non contingeret quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe sacerdotes, qui initio præclarissime confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiæ scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur. Cardinalis Fredericus Borromæus, qui sancti Caroli propinqui sui virtutes et sedem occupavit, hanc calamitatem deploravit, et opportune perpendit eos confessarios et Ecclesiæ ministros in magno discrimine versari, qui postquam ad excipiendas confessiones ab Episcopo probati fuerunt, omnem studiorum exercitationem prætermittunt.» Cfr. S. Alph., *Homo Apost.*, tract. 16, n. 99.

An ex defectu scientiæ in confessario absolutio potest esse invalida ?

An defectu scientiæ confessarii absolutio esse possit invalida.

R. Id vix potest contingere ; quia omnis sacerdos pollens usu rationis sufficienter est instructus ut judicare possit ea quæ pœnitens confitetur esse peccata, ac legitimam formam proferre valeat.

Aliquando tamen ex parte pœnitentis absolutio illa reddi potest invalida ob defectum dispositionis : dum nimirum ille sciens volens confessarium respectu sui imperitum eligit, ut per ignorantiam confessarii indirecte occultet malitiam suorum peccatorum, et condignum de peccatis judicium declinet.

N.° 75. De prudentia in confessario requisita.

Quid intelligitur per dotem prudentiæ in confessario requisitæ ?

Prudentia necessaria in

R. Intelligitur sapientia practica, qua confessarius noscat principia in praxim deducere et applicare juxta

exigentiam circumstantiarum, ita ut nec per excessum nec per defectum peccet. confessario

Hæc confessario maxime est necessaria, quandoquidem in sacro tribunali non raro occurrant casus difficiles, quorum circumstantiæ in infinitum variare possunt, et in quibus adeo recte procedere non potest confessarius, nisi prudentia eum dirigat.

Circa quæ prudentia confessarii versari debet?

R. Imprimis circa quatuor partes Sacramenti, scilicet: versatur circa quatuor partes Sacramenti.

1.° Circa *contritionem*, ut nec nimis facilis sit ad judicandum quod pœnitens sit contritus, neque nimis rigidus, sed ex indiciis seu circumstantiis *prudens judicium* ferat.

2.° Circa *confessionem*, ut impediat ne pœnitens inutilia et ad accusationem peccatorum non pertinentia declaret; ipse vero de integritate cæterisque conditionibus ita sollicitus sit, ut tamen per nimias aut ineptas interrogationes confessionem non reddat odiosam; ut autem in his nec deficiat nec excedat, attendere debet ad regulas traditas N. 59.

3.° Circa *absolutionem*, ut in ea concedenda aut differenda abstineat tam a nimio rigore quam a nimia indulgentia, sed servet viam mediam.

4.° Circa *satisfactionem* sacramentalem, ut scilicet imponantur satisfactiones salutares et convenientes; de quibus agetur proprio loco.

Deinde prudentia se extendere debet ad sigillum sacramentale, ut nihil directe vel indirecte reveletur eorum quæ sub secretum cadunt.

Tandem prudentia confessarii vigilare debet circa propriam personam, ad conservandam puritatem conscientiæ in difficilis et sæpe periculosi muneris adimpletione.

Quænam regulæ prudentiæ a confessariis præcipue observandæ sunt?

R. Variæ ab auctoribus assignantur; e quibus sequentes seligimus: Regulæ prudentiæ.

Prima. Confessarius antequam confessiones excipiat, semper piis precibus imploret Dei auxilium, dicendo v. g. orationem N. 38 memoratam, aut, si tempus non

suppetat, hanc brevem aspirationem : *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret.*

Secunda. Si casus difficilis occurrat, ne sit præceps in definiendo , sed omnes facti circumstantias diligenter inquirat, nec interrogatus inconsiderate respondeat, sed prius attente ac mature omnia penset et Dei lumen imploret, ac etiam, si opus fuerit, tempus petat ad deliberandum et virum doctum consulendum.

Tertia. Æqualiter devitet nimiam laxitatem et nimium rigorem, sed hæreat in sano tuto medio, prout Archiepiscopus et Episcopi Belgii commendarunt in Epist. 23 Aprilis 1697.

Quarta. Ubi pro directione pœnitentis eligendum est inter sententias apud theologos controversas et utrimque probabiles, confessarius respicere debet quid requirat bonum spirituale pœnitentis. Quocirca attendat ad regulas quas hinc inde tradit S. Alphonsus, et summatim perstringit Ninzatti, n. 1754, his verbis :

« Ubi agitur de liberando pœnitente a peccato formali, licet permittatur manere in materiali, tunc confessarius regulariter sequi debet, in quantum christiana prudentia concedit, opiniones benigniores, gravi tamen fundamento roboratas ; cum solum peccatum formale sit Dei offensa. Ubi vero opiniones benignæ propinquius admovent ad periculum peccati formalis, ut accidit præsertim in materia sexti præcepti, tunc omnino expedit et quandoque oportet quod confessarius sequatur opiniones rigidiores ; quoniam istæ in hoc casu magis sunt pœnitentibus salutares.

Dixi: *regulariter;* quia si pœnitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est tutius, tenetur confessarius per se loquendo eum dirigere secundum sententias tutiores ; nam cum hoc sit majoris perfectionis, tenetur quidem confessarius incumbere majori profectui sui pœnitentis. Spectat autem ad prudentiam confessarii deinde perpendere utrum tutioris vel minus tutæ sententiæ usus suo pœnitenti sit profuturus. Ideo dixi : *per se loquendo ;* quia licet id per se sit tutius et perfectius, attamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias. »

Cfr. S. Alph., lib. 1, n. 84 ; lib. 6, n. 456 et 605 ; *Praxis confess.*, cap. 8, n. 114.

Quinta. In casibus perplexis confessarius faciat id quod, attentis omnibus circumstantiis et invocato Dei lumine, credit esse faciendum ; nec postea sit inquietus, quia si forsan erraverit, equidem prudenter processit, ideoque apud Deum justificabitur.

N.° 76. De obligationibus confessarii ut patris et doctoris.

Quæ sunt obligationes confessarii ut patris ?

R. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet esse plenus charitate, et hunc paternæ charitatis affectum ostendere tum in initio, tum in decursu, tum in fine confessionis. Confessarius ut pater magnam charitatem ostendat,

1.° Benigne excipiendi sunt omnes, sive pauperes sint, sive rudes, sive magni peccatores ; imo confessarius, qui veræ charitatis viscera induit, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperit, eo majori, ut Deo lucrifaciat, eas charitate amplectitur. tum in initio,

2.° Charitatem tum maxime ostendat, quando pœnitens peccata confiteri cœpit. Caveat ne se impatientem aut tædio affectum exhibeat, nec appareat admiratione perculsus, ob peccatorum quæ narrantur, enormitatem. Propterea in actu confessionis regulariter abstineat a correctione facienda, ne forte exterriti pœnitentes peccata reticeant. Quod si aliquando ita animo obduratus videatur pœnitens, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore et sine ulla displicentia animique sensu exponat, atque ita in ipso actu confessionis aliqua correctione opus fuerit, ut pœnitens a mortali lethargo expergefiat, advertat tamen confessarius ne eum exasperet vel perterreat. Quapropter postquam cum, quantum opus fuerit, corripuerit, sublevet iterum, atque verbis consolatoriis invitet ut animose pergat in peccatis detegendis. tum in decursu,

Peracta confessione, oportet quidem ut confessarius vehementiori zelo incumbat ut pœnitens percipiat gravitatem et multitudinem peccatorum et miserum damnationis statum in quo consepultus jacet, ut simul tum in fine confessionis.

intelligat omnia confessarii verba non ex zelo amaro procedere, sed ex singulari amore erga animam suam. Ita fere S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 3 et seq.

Quandonam tenetur confessarius audire confessiones fidelium ?

Quandonam teneatur audire confessiones.

R. Pastor stricte tenetur audire confessionem parochianorum suorum, quando illi obligantur ad confessionem : puta in Paschate, in periculo mortis, etiam tempore morbi contagiosi. Præterea tenetur suos audire quoties id rationabiliter petunt, tempore et loco congruis : quia jus habent exigendi a suo pastore non solum necessaria sed et utilia salutis subsidia, secundum consuetudinem Ecclesiæ. Ideo diligenter servent in hac diœcesi ea quæ in Statutis diœcesanis præscribuntur, n. 267 : *Parochis et vicariis injungimus ut diebus dominicis et festis, etiam abrogatis, summo mane se ad confessionale conferant, etiamsi nullus adesset pœnitens.... In majoribus parochiis, etiam diebus sabbatinis et pridie festorum mane et post meridiem se paratos exhibeant. Durante quindena paschali, summo mane se in sacro tribunali sistant, et post meridiem inde non discedant ante horam octavam.*

Alii confessarii, quibus cura animarum ex officio non incumbit, obligantur in extrema et gravi necessitate secundum dicta N. 72 ; extra quos casus licet non facile sub mortali teneantur, nisi forte ex speciali titulo obligentur aut propter maximam penuriam confessariorum, vocati tamen promptos facilesque se exhibeant, prout monent Ritualia.

Quæ sunt obligationes confessarii qua doctoris ?

Ut doctor debet instruere pœnitentem tum circa necessaria ad hoc Sacram., tum circa rationem vitæ tenendam.

R. 1.° Tenetur confessarius pœnitentes ignorantes docere ea omnia quæ ad Sacramentum hic et nunc rite suscipiendum necessaria sunt ; atque ideo tenetur aliquando eos instruere tum circa partes Sacramenti et dispositiones requisitas, tum circa scitu necessaria necessitate medii.

2.° Tenetur etiam docere pœnitentes quæ necessaria sunt ad vitam in posterum christiane agendam, sive circa varias obligationes tum communes, tum particulares status aut conditionis, si animadvertat eas a pœnitentibus ignorari. Ratio est, quod ex munere suo

teneatur pœnitentes ducere in via salutis, et quosdam etiam in via perfectionis.

Non tamen ideo tenetur eos instruere specialiter de omnibus scitu necessariis ex necessitate præcepti, præsertim si facile ea postea discere possint et velint, nec a fortiori de iis omnibus quæ ad salutem aut perfectionem alicujus ita necessaria non sunt.

N.° 77. De obligationibus confessarii ut medici spiritualis, et de remediis contra peccata præscribendis.

Quæ sunt obligationes confessarii ut medici?

Obligationes confessarii ut medici:

R. Cum Sacramentum Pœnitentiæ pro fine habeat sanationem animarum, earumque præservationem a peccatis, confessarius tanquam medicus spiritualis debet medere animabus sibi confitentium, tum eas purgando a peccatis admissis, tum eas præservando a peccato in futurum, atque ideo etiam curare debet animi morbos seu vulnera ex peccatis relicta, quæ sunt ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscentia, quibus induci solent homines ad peccatum. In hunc finem

purgare a peccatis admissis,

1.° Debet nosse motiva apta ad avertendum a peccato, ad inspirandam contritionem et persuadendam seriam emendationem vitæ.

remedia præscribere contra peccata in futurum.

2.° Debet nosse remedia quibus corriguntur pravi habitus, superantur tentationes et præcaventur relapsus; et illa unicuique debet præscribere quæ magis ei conveniunt secundum suam conditionem, ætatem, temperamentum, etc.

Hanc obligationem indicat Concilium Lateranense, cap. *Omnis utriusque sexus,* his verbis: *Sacerdos autem sit discretus et cautus; et more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatorum circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere auxilium et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.*

Huc refertur obligatio confessarii instruendi pœnitentem, si laboret ignorantia quæ ipsum in peccatum pertrahere posset, ut latius dicetur postea.

Quomodo dividuntur remedia et antidota contra peccata?

Remedia alia sunt generalia, alia specialia.

R. Alia sunt generalia, quæ inserviunt contra omnia peccata ; alia sunt specialia, quæ particularibus peccatis seu vitiis opponi debent.

Hic generalia quædam remedia indicabimus , specialia vero in aliis tractatibus præscribuntur, ubi de vitiis quibus opponenda sunt agitur.

Assigna aliqua remedia generalia contra peccata.

Remedia generalia : oratio,

R. *Primum* est fervida oratio, qua peccator se coram Deo humiliet ejusque misericordiam et opem imploret, per merita Christi ejusque sanctissimæ passionis et mortis : item devotio erga B. M. V., Angelum Custodem, Patronos, aliosve peculiares Sanctos.

Sub oratione comprehenditur meditatio, seu attenta consideratio veritatum fidei, et præsertim justitiæ et misericordiæ Dei, mortis, inferni, præsentiæ Dei, etc.

mortificatio,

Secundum remedium generale constituunt jejunia, vigiliæ, genuflexiones, passio frigoris, subtractio commoditatum corporalium, cæteraque opera pœnalia quæ mortificando corpori inserviunt.

Attendat hic confessarius ad hanc S. Hieronymi sententiam : *Parcus cibus, et venter semper esuriens, triduanis jejuniis præfertur ;* ideoque operariis quibus, v. g. ob peccata carnis, jejunium imponendum foret, et qui ob laborem jejunare non possunt, præscribat ut solito minus manducent, præsertim vespere, neque bibant extra refectionem, vel non nisi exiguum, etc.

opera misericordiæ, frequens confessio, etc.,

Tertium remedium generale sunt opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia.

Quartum est frequens et devota susceptio Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ ; item vespertinum examen conscientiæ cum sincera contritione.

fuga occasionum,

Quintum est fuga occasionum, custodia sensuum et castigatio vocis.

consilia prudentis confessarii.

Sextum electio periti et prudentis confessarii, ac frequens ad eum recursus atque accurata observatio monitorum ejus.

Ad quid confessarius speciatim attendere debet, ut apta remedia præscribat contra peccata ?

Confessarius

R. Debet semper observare hoc sapiens monitum, quod merito *aureum* vocatur, scilicet ut prius inquirat

radicem peccati, seu causam aut occasionem ex qua provenit. Hac enim cognita, et per convenientia remedia extirpata aut amota, ipsum quoque peccatum facile impeditur ; ubi e contra peccatum vix impediri potest, quamdiu manet illius radix. Unde merito S. Alph. in *Praxi confess.*, n. 6, sic carpit confessarios qui radicem peccatorum investigare negligunt : « Nonnulli confessarii, præter speciem et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si pœnitentem dispositum vident, statim eum absolvunt : sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes : *discede a me, quia te absolvere non possum.* Aliter procedunt boni confessarii : hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis quibuscum, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere. »

imprimis studeat causam seu occasionem peccati amovere :

Secundum hoc principium, si v. g. pœnitens lapsus sit in peccata carnalia, videndum est, quæ fuerit causa lapsuum : hæc enim in diversis diversa est ; nam aliquando peccata illa proveniunt ex causis externis, ut est consortium, alloquium, aspectus, excessus in cibo aut potu, otium, deliciæ. Hoc casu efficax remedium consistit in evitatione illarum causarum.

ut in peccatis luxuriæ,

Causa peccatorum carnis potest esse interna complexio corporis, abundantia sanguinis aliorumve humorum, petulans pruritus carnis ; hanc radicem resecabunt jejunia, abstinentia, fames, sitis, frigus, motuum compressio per dolorem corpori inflictum, mutationem situs aut loci, etc.

Possunt etiam peccata carnalia provenire ex pravis cogitationibus, phantasiis et suggestione dæmonis. Quo casu præscribenda sunt præcipue media spiritualia quæ cogitationes istas impediunt vel repellunt, et diabolum fugant : ut sunt orationes ad Deum, B. M. V., Angelum Custodem ; item attenta consideratio passionis Christi, inferni, judicii ; valent etiam quædam media naturalia, ut applicatio ad studium, ad negotia, etc.

Similiter si quis se accusat de blasphemia aut juramento, inquiratur quæ sit radix ex qua peccatum illud

aut blasphemiæ.

oriatur : an ex lusu alearum, chartarum et similibus ; an ex passione iræ, excessu in potu, aut nimio amore lucri, unde mercatores solent juramento assertiones suas confirmare ut carius vendant ; vel denique ex habitu per præcedentes actus contracto : ut causa sublata, peccatum certius præcaveatur.

Nota. Confessarius cum fructu leget ea quæ de remediis peccatorum tum generalibus tum specialibus egregie scripsit P. Dujardin, in opusculo cui titulus : *De officio sacerdotis*, etc. Item ea quæ tradit S. Alphonsus, tum in *Praxi confess.*, tum in *Homo Apost.*, tract. 21.

N.° 78. De obligationibus confessarii ut judicis sacramentalis.

Obligationes confessarii ut judicis.

Quid confessarius ut judex sacramentalis facere debet ?

R. Sicut judex in foro externo, seu civili, seu ecclesiastico, debet prius causæ notitiam sibi procurare, deinde ejus momenta discutere, ac tandem sententiam ferre, ita confessarius debet prius cognoscere peccata, deinde perpendere gravitatem eorum, nec non dispositionem pœnitentis, ac tandem absolutionem concedere, aut denegare, et si concedat, condignam imponere satisfactionem. De cognitione causæ quæ acquiritur per confessionem pœnitentis et interrogationes confessarii antea actum fuit ; de judicio super gravitate peccatorum et dispositione pœnitentis, tum de absolutione concedenda vel differenda, et de satisfactione imponenda, hic et in sequentibus agetur.

An confessarius debet de omnibus et singulis peccatis, quæ audit in confessione, ferre judicium quod sint venialia vel mortalia ?

Quale judicium ferre debeat de gravitate peccatorum.

R. Negative, cum nec doctissimi theologi in plerisque casibus id facere possent sine manifesto periculo errandi ; tum quia plerumque diversæ sunt ea de re auctorum sententiæ, tum quia gravitas aut levitas culpæ in individuo sæpe pendet a majore aut minore deliberatione cum qua patrata est, et aliis circumstantiis quas ipsi pœnitentes non satis possunt determinare, nec confessarii satis certo æstimare. Sufficit igitur ut confessarius attente audiat confitentem, et expositis veram peccati

rationem inesse intelligat, dein vero gravitate peccatorum prudenter perpensa, de obviis et claris judicet ea esse mortalia vel venialia, de cæteris autem id non definiat.

Unde nec validitati Sacramenti officit, quod confessarius in isto judicio erret, mortale v. g. judicans esse tantum veniale; neque ipse ab isto judicio suspendit intentionem absolvendi, sed juxta institutionem Christi et intentionem Ecclesiæ vult pœnitentem absolvere in quantum coram Deo reus est.

An confessarius dum absolvit aut satisfactionem injungit, debet habere distinctam memoriam singulorum peccatorum quæ in confessione exposita fuerint?

An debeat omnium habere distinctam memoriam dum absolvit.

R. cum Billuart: « Negative; sed sufficit sic audire et intelligere peccata omnia dum accusantur, ut in satisfactione injungenda, vel absolutione impertienda, sufficienter meminerit status pœnitentis ad utrumque competenter faciendum; quia tunc habere hanc singulorum peccatorum distinctam notitiam est aliquando moraliter impossibile, præsertim quando confessarius est memoriæ labilis et confessio pœnitentis est prolixa.

Dixi quod *debeat audire et intelligere omnia dum accusantur;* quia si per notabilem negligentiam vel ignorantiam aliquid mortale non intellexit, peccavit graviter; secus, si ex inculpabili inadvertentia vel distractione, aut propter somnum gravantem, cantum, impeditam linguam confitentis, etc., aliquod peccatum elabatur; quia Ecclesia non obligat ministros suos ad extrema et quasi moraliter impossibilia, sed tantum ad diligentiam ordinariam et humanam. »

N.° 79. Quale judicium de dispositione pœnitentis formare debeat confessarius, ut possit ipsum absolvere.

Quale judicium de dispositione pœnitentis formare debet confessarius, ut ipsum extra necessitatem licite absolvat?

Confessarius ut absolvere possit, habere debet de

R. Confessarius habere debet de dispositione pœnitentis judicium prudens: id est, debet ita pœnitentis dispositio confessario externe apparere, ut prudenter judicare possit, ipsum habere contritionem ad valorem et

dispositione pœnitentis judicium prudens,

effectum Sacramenti necessariam. Ratio desumitur ex officio fidelis administratoris mysteriorum Dei, quod exigit, ut nec Sacramentum indigno ministret, nec etiam extra necessitatem exponat periculo nullitatis, idque in perniciem animarum ; quod quidem contingeret, si sacerdos absolveret illum quem nullatenus contritum judicat, aut de quo fundate dubitat an sit contritus, aut quem defectu sufficientis indicii, non nisi temerarie præsumere potest esse contritum.

Dictum est : *extra necessitatem ;* quia in casu necessitatis potest absolvi pœnitens de cujus dispositione dubitatur, ut dicetur postea.

Undenam hauriet confessarius sufficientem cognitionem dispositionis pœnitentis, ut prudens sit ejus judicium ?

formatum ex signis contritionis relative gravibus.

R. Ex signis contritionis relative gravibus, et non elisis per signa contraria.

Debent hæc signa contritionis esse gravia relative ad personam et statum conscientiæ pœnitentis ; et debent ita prævalere signis oppositis , si quæ forte appareant, ut ex his ultimis sacerdos, tanquam judex in hoc tribunali, non possit prudenter judicare absolutionem pœnitenti tanquam imparato esse negandam.

Qui autem non dant signa contritionis dicto modo gravia, etiam postquam a sacerdote cum omni charitate et diligentia ad detestationem peccatorum suorum excitati fuerunt, ii sane merito judicantur carere sensu doloris et pœnitentiæ requisito in hoc Sacramento, ac proin ut imparati ad absolutionem sunt habendi. In hunc sensum accipiendum videtur id quod dicit Leo XII in Bulla pro extensione Jubilæi , data 25 Dec. 1825 : *Imparati illi tantummodo sunt judicandi... qui omni in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur.* Vult porro idem Pontifex, ut si qui imparati accedant, sacerdos viscera misericordiæ Christi Jesu indutus, studeat ex imparatis facere paratos, patienter et mansuete cum ipsis agendo : *Quod si præstare prætermittat,* inquit, *profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere.*

An confessarius non debet esse moraliter certus de dispositione pœnitentis, ut prudenter eum judicet dispositum ?

R. Negative : patet ex natura hujus judicii, ubi pœnitens simul reus est et solus testis sive peccatorum suorum, sive dispositionis suæ ; ipse autem vix aut ne vix quidem certitudinem proprie dictam habere potest de recta animæ suæ dispositione, adeoque multo minus confessarius, qui eam cognoscere non potest, nisi ex testimonio et indiciis quæ præbet ipse pœnitens. Consonat quod dicit S. Thomas : *Homo non potest facile affectus proprios mensurare, adeoque minus alienos.* Non requiritur certitudo moralis :

Unde sufficit ad absolvendum ut in pœnitente appareant gravia quædam dispositionis signa, quibus vir prudens fidem adhibere possit, juxta supra dicta, quæque excludant judicium prudens et fundatum dubium, non autem omnem formidinem de indispositione pœnitentis, quam formidinem excluderet proprie dicta certitudo.

Ubi autem probati auctores, ut S. Alphonsus, n. 461, et alibi, requirunt moralem certitudinem de dispositione pœnitentis, non sunt intelligendi de certitudine proprie dicta, neque etiam de summa quadam probabilitate. Ita S. Alph. cit loc., satis clare mentem suam aperit, dum addit : « Sufficit quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis ; alias vix ullus posset absolvi, dum quæcunque signa pœnitentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis, ut recte docet P. Suarez, *De Pœnit.*, d. 32, s. 2, n. 1, ubi ait, quod oportet et sufficit, ut *confessarius prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum.* Et hoc videtur satis exprimi in Catech. Rom., *De Pœnit. Sacram.*, n. 60, ubi dicitur : *Si audita confessione* (sacerdos) *judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ergo semper ac confessario positive non innotescit, pœnitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. » dum probati auctores illam requirunt, intelligunt certitudinem improprie.

An confessarius potest absolvere pœnitentem quem prudenter judicat hic et nunc esse bene dispositum, sed merito timet, imo prævidet relapsurum in peccatum ?

R. Affirmative. Ratio est, quod peccatum futurum Absolvi

potest pœnitens dispositus, licet prævideatur relapsurus ;

jam nullo modo volitum, imo per contritionem implicite detestatum, non possit vitiare præsentem dispositionem pœnitentis. Deinde relapsus, quem confessarius timet, est incertus, cum Deus variis mediis illum avertere possit ; imo ipsa absolutio est medium efficax ad illum præcavendum, nec adeo per se denegari potest. Per accidens tamen dilatio absolutionis est utilis ad relapsum præcavendum, adeoque aliquando adhiberi potest, juxta dicenda N. 84.

An confessarius potest absolvere pœnitentem qui vult sequi in praxi opinionem contrariam illi quam tenet confessarius, si opinio pœnitentis minus tuta sit ?

item ille qui sequitur opinionem probabilem contrariam opinioni confessarii.

Ante responsionem nota, quod non possit moveri dubium, si agatur de opinione fidei aut moribus evidenter contraria, aut quæ a Sede Apostolica condemnata fuit, aut a theologis communiter ut falsa aut improbabilis rejicitur : qui enim talem vellet sequi, evidenter foret indispositus, nisi bona fides excusaret. Igitur quæstio versatur circa opinionem quæ a probatis auctoribus sustinetur, nec caret solido fundamento, et

R. Affirmative, cum plerisque theologis et signanter S. Alphonso, n. 604, contra Antoine, Dujardin et nonnullos alios.

Ratio est 1.° quia Ecclesia permittit docere, quod liceat sequi ejusmodi opiniones, nec adeo potest pœnitenti culpæ verti quod illas reipsa sequatur ; unde imprudens foret judicium confessarii qui propterea eum indispositum judicaret. Idque confirmatur per responsionem Sacræ Pœnitentiariæ, qua declaravit non esse inquietandum confessarium qui omnes opiniones S. Alphonsi in sacro tribunali sequitur, inter quas plures reperiuntur quæ tantum probabiles sunt.

2.° Confessarius est tantum judex pœnitentis quoad peccata exposita et dispositionem requisitam pro Sacramento quod administraturus est, non vero quoad opiniones fundatas quas ut licitas habet pœnitens et sequitur sine læsione conscientiæ, et de quibus consequenter se accusare non debet. Unde communiter dicunt auctores citati, in casu confessarium non tantum posse, sed teneri absolvere pœnitentem, si aliunde nihil obstet ; ut obstaret, si v. g. prævideretur quod illa sententia in

praxi foret pœnitenti proxima occasio formaliter peccandi, aut scandalum causaret, etc.

N.° 80. De signis seu indiciis quæ denotant pœnitentem esse rite dispositum.

Cum confessarius notitiam dispositionis pœnitentis haurire debeat ex signis contritionis quæ in eo apparent, necesse est ejusmodi signa hic indicare; seq. vero N. proponentur ea quæ dispositionem pœnitentis suspectam reddunt, et postea quæ contritionem omnino deesse ostendunt. Signa rectæ dispositionis:

Indica præcipua signa quæ denotant contritionem adesse.

R. 1.° Imprimis vita pia seu vere christiana pœnitentis sufficiens ratio esse solet, ut censeatur bene præparatus ad confessionem accedere. vita pia,

2.° Signum contritionis est, quod pœnitens cordate dicat et asseveret se dolere de peccatis propter Deum super omnia dilectum cum proposito non peccandi de cætero. Tali enim assertioni, si nihil obstet, confessarius credere debet, adeoque inde prudenter concludere potest pœnitentem esse rite dispositum. cordata asseveratio,

3.° Si pœnitens lacrymas fundat, gemitus vel suspiria edat. Hæc enim in pœnitentibus solent esse effectus doloris rationalis et supernaturalis. Possunt tamen etiam provenire mere ex dolore aut timore appetitus sensitivi, vel ex dolore naturali ob damnum v. g. ex peccato secutum; imo ex prava intentione decipiendi confessarium. Priusquam igitur confessarius inde concludat pœnitentem rite esse dispositum, necesse est ut eorum originem discernere conetur. lacrymæ et gemitus,

4.° Signum contritionis est, si pœnitens diligens examen conscientiæ instituerit, et peccata sua aperte, candide et humiliter in confessione exponat. diligens examen et candida confessio,

5.° Si pœnitens confiteatur peccata antea ex verecundia omissa. confessio peccati antea celati,

6.° Si pœnitens jam aliquo tempore libere, ex intentione vitam emendandi cessaverit a peccatis, deseruerit occasiones, alienum restituerit, etc. vitæ emendatio,

Dicitur *libere*: nam si coacte peccata reliquerit, v. g. ebrietates, quia deficiebat pecunia, non erit indicium

contritionis ; idem est si ex temporali quodam fine, et non ex fine emendandi vitam, hoc fecerit.

confessio omnino spontanea,

7.° Si qui sponte omnino ad confessionem veniat, et non coactus præcepto Ecclesiæ, consuetudine, mandato parentum, etc., et præsertim si ad eam se præparaverit per opera pietatis, ut orationes, eleemosynas, jejunia, ac etiam remedia contra relapsum adhibuerit ; item si veniat ad confessionem motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, ob metum alicujus imminentis flagelli, uti terræ motus, pestis, etc.

generosa acceptatio pœnitentiæ et remedii cujusvis.

8.° Signum contritionis est, si quis emendationem promittat et paratus sit quamcunque pœnitentiam adimplere, occasiones sedulo fugere, et remedia adhibere quibus a relapsu præservetur.

Tales enim solent esse effectus veræ conversionis cordis ad Deum, adeoque prudenter præsumi potest cum eis veram contritionem conjunctam esse.

An pœnitenti dicenti se esse contritum, confessarius non semper credere potest ?

Non semper credendum pœnitenti asserenti se esse contritum.

R. Negative, si nimirum aliquid obstet in contrarium, quia tunc ejus assertio fit suspecta, nec adeo confessarius inde prudenter concludere potest ipsum esse contritum : casus est, v. g. si pœnitens dicat se conteri de peccatis, sed nolit vitare occasionem peccandi.

Responsionem confirmat damnatio prop. 60ª per Innocentium XI : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

Neque ideo præcise pœnitens mendacii seu fallaciæ reus supponitur, quandoquidem etiam inculpabiliter errare et seipsum fallere possit circa dispositionem suam putans se esse contritum de peccatis suis, ubi reipsa non est. Quocirca dicit S. Gregorius in *Past.*, part. 1 : *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur... et fingit se de bono amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.*

Quomodo ergo intelligi debet hoc effatum S. Thomæ, Suppl., *quæst. 8, art. 5, ad 2 :* In foro confessionis creditur homini et pro se et contra se ?

R. Quidam, ut Steyaert aliique, intelligendum putant, non de dispositionibus pœnitentis, quas confessarius dijudicare debet, sed tantum de factis quæ pœnitenti sufficienter nota sunt, ut dum dicit se orasse, jejunasse, alteri confessum fuisse, etc. Quomodo intelligendum quod in hoc foro creditur homini et pro se et contra se.

Alii vero cum Dujardin effatum generali sua acceptione intelligendum putant, etiam quoad contritionem necessariam, sed subintelligendo verba: *Si nihil obstet in contrarium*. Ita pœnitenti pio et instructo creditur dum dicit se habere contritionem de peccatis ; usurario vero dicenti se dolere de injustitiis, non creditur, si nolit restituere, uti nec scrupuloso, cæteroquin pio, dicenti se carere contritione.

N.° 81. De signis quæ dispositionem pœnitentis suspectam reddunt.

Indica aliqua signa quæ dispositionem pœnitentis suspectam reddunt.

Ante responsionem notandum, quæstionem non esse de signis quæ ostendunt pœnitentem esse manifeste indispositum, sed de iis quæ suspicionem prudentem ingerunt, ne ipsi vera contritio desit. Signa suspectæ dispositionis :

R. Communiora signa quæ dispositionem pœnitentis suspectam reddunt, sunt sequentia :

1.° Quod pœnitens exigua cura se præparaverit ad confessionem, non satis diligenter conscientiam examinaverit, actus fidei, spei, charitatis et contritionis obiter tantum elicuerit, nimia festinantia ad confessionale accesserit, etc. exigua cura in præparatione,

2.° Quod pœnitens parum instructus sit in rebus fidei : tali enim ob defectum scientiæ difficile est ex motivo supernaturali dolorem elicere, adeoque merito suspicatur confessarius contritionem deesse, eumque juvandum esse per explicationem motivorum, etc. ignorantia in rebus fidei,

3.° Quod pœnitens peccata sua, licet gravia, ut levia narret, seque excusare potius quam accusare videatur ; merito enim timendum est, ne levem quoque aut nullum dolorem de peccatis habeat. insensibilitas in confitendo,

4.° Si pœnitens sit liberioris et laxioris vitæ ; est enim ratio timendi ne sit ex illorum numero qui, ut vita liberior,

dicit Catech. Rom., n. 96, *ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium putant, sed illud satis esse arbitrantur, si speciem tantum dolentis habeant.*

si pœnitens fidem fregerit,

5.° Si pœnitens fregerit fidem ante in confessione data de deserenda occasione proxima, facienda restitutione, etc., et quidem quo sæpius fidem fregit, eo major suboritur timor, ne ante caruerit et nunc careat serio emendationis proposito.

si sit consuetudinarius aut relapsus,

6.° Si sit consuetudinarius a te, vel ab aliis confessariis monitus.

7.° Signum quod suspectam reddit dispositionem pœnitentis, occurrit in eo qui in idem peccatum facile, sine extraordinaria tentatione, vel cito aut crebro relapsus est; ejusmodi enim relapsus suspicionem ingerit quod ante non habuerit firmum propositum, nec inpræsentiarum habeat.

si ægre acceptet salutarem pœnitentiam.

8.° Si pœnitens ægre et reluctanter acceptet salutarem et convenientem pœnitentiam, sæpe signum est propositi minus firmi et efficacis. Si quis tamen humiliter petat aliam pœnitentiam ex justa causa, non est dicendus reluctanter acceptare pœnitentiam.

Quid a confessario fieri debet, quando in pœnitente occurrit unum vel plura ex prædictis signis, quibus dispositio illius suspecta redditur?

Quid in his casibus faciendum confessario.

R. Imprimis debet operam dare ut pœnitentem ad verum dolorem et serium emendationis propositum perducat; deinde videre debet an simul non occurrant certiora signa pœnitentiæ, tanti ponderis ut elidant suspicionem oriri natam ex signis suspectis; et si, omnibus attentis, pœnitens appareat sufficienter dispositus, absolvi potest.

E contra si certo indispositus videatur, absolutio differenda est; uti etiam extra necessitatem, si dispositio maneat dubia, ita ut gravis ratio dubitandi obstet ne satis fundatum et prudens judicium de dispositione pœnitentis formetur.

N.° 82. An opera pœnitentialia prævia sint necessaria, ut confessarius possit pœnitentem prudenter judicare dispositum et absolvere.

Errores circa opera pœnalia absolutioni prærequirenda.

Prænotandum. Docuit Quesnellus, aliique pauci, regulariter nullum esse absolvendum nisi ante absolutionem opera quædam pœnalia ad similitudinem veterum canonum pœnitentialium præstiterit, quamvis alia præbeat contritionis signa.

Huic doctrinæ favere visa est pseudo-synodus Pistoriensis, ubi inter alia docet, prop. 56ª : *Pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta; quæ signa,* ut deinde tradit, *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis ;* quem insuper fervorem charitatis perhibet velut dispositionem, *quæ debet præcedere absolutionem.*

Cum errore præcedente Quesnellus ejusque sequaces alium errorem affinem conjunxerunt, asserentes : ex natura Sacramenti et juxta Christi institutionem necesse esse, ut adimpletio satisfactionis sacramentalis de via ordinaria præcedat absolutionem ; pœnitentias vero quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales.

Hunc iterum errorem promovere visi sunt Pistorienses, propositione 35ª inter damnatas a Pio VI. His præmissis :

Proba generaliter et absolute non requiri, ut pœnitens ante absolutionem opera illa pœnalia, quæ vocant præparatoria, præstiterit.

Generaliter et absolute talia non prærequiruntur.

R. Probatur 1.° ex praxi Ecclesiæ universalis : namque manifestum est hanc in Ecclesia vigere atque probari disciplinam, ut absolutio frequentissime detur fidelibus contritis atque confessis, quin hujusmodi opera pœnalia præmiserint. Neque Ritualia, licet ex professo tradant ea quæ necessaria sunt ad debitam hujus Sacramenti administrationem, ullibi præscribunt opera pœnitentialia prævia, aut illorum defectum inter signa

indispositionis recensent. Jamvero, ut S. Augustinus, *Epist. 118*, ad Januarium dicit : *Insolentissimæ audaciæ foret disputare quin ita faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

Prob. 2.° ex decisione Pii VI, per bullam *Auctorem fidei*, qua supra relata synodi Pistoriensis prop. 36ª *sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus generaliter et absolute requiratur ut homines ad Sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur*, damnata fuit ut *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.*

Unde sapienter, ut ait S. Alphonsus, n. 463, Episcopi Belgii, Bruxellis congregati, in decreto ad suos, anno 1697, sic statuerunt : *Confessarius a quibusvis peccatoribus gravioribus, etiam recidivis, stata lege non exigat, ut per notabile tempus prævie exercuerint opera pœnitentiæ, sed cum SS. Patribus expendat, Deum in conversione peccatoris non tam considerare mensuram temporis quam doloris.*

Aliquando prærequiritur vitæ emendatio.

Dictum est, et id proposita argumenta ostendunt, non requiri ut opera pœnalia absolutioni præmittantur *generaliter et absolute*, quia a consuetudinariis et recidivis quandoque requiri debet, ut per vitæ emendationem probent se verum dolorem et firmum emendationis propositum habere, cum nempe jam pluries fuerunt moniti, neque eorum verbis adhiberi potest fides.

Proba ex institutione Christi necesse non esse, ut adimpletio satisfactionis sacramentalis præcedat absolutionem.

Non prærequiritur adimpletio satisfactionis sacramentalis ex institutione Christi.

R. Probatur 1.° ex praxi Ecclesiæ. Etenim quidquid statuatur de antiqua Ecclesiæ disciplina in hoc puncto, constat jam a mille circiter et tercentum annis Ecclesiam græcam, et a duodecim ad minus sæculis Ecclesiam latinam, ante satisfactionem adimpletam consuevisse pœnitentibus sacramentalem impertiri absolutionem.

Circa antiquam disciplinam plures equidem, ut Morinus, lib. 8, cap. 3 et seqq., Petavius in *Animadversionibus ad S. Epiphanium*, hær. 59, Vuitasse, *De Pœnit.*, Perrone, aliique pronuntiant, olim absolutionem gravissimorum peccatorum *ordinarie*, exceptis nonnullis casibus, dilatam fuisse usque ad tempus expletæ satisfactionis ; quæ res tamen, ut animadvertit Tournely, *De Pœnit.*, quæst. 7, art. 3, aliis plane dubia atque incerta videtur.

Verum etiamsi dederimus hujusmodi dilationem antiquitus fieri consuevisse, nihil inde sequitur contra modernam Ecclesiæ praxim. Nam cum totum illud negotium non ad substantiam Sacramenti, sed ad disciplinam spectet, dicendum est, Ecclesiam hic usam fuisse potestate sibi a Christo concessa, *ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum veneration i, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Conc. Trid., sess. XXI, cap. II.

Prob. 2.° ex summorum Pontificum decisionibus. Ita Sixtus IV, anno 1478, damnavit hanc doctrinam Petri de Osma : *Non peracta pœnitentia, pœnitentes absolvi non debere.* Similis formæ propositiones damnatæ fuerunt ab Alexandro VIII et Clemente XI. Demum recentiori ætate, anno 1794, a Pio VI, pseudosynodi Pistoriensis 35ª propositio, *quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis : quasi ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem :* damnata est ut *falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

N.° 83. De absolutione sacramentali, et an omnibus danda.

Quid est absolutio sacramentalis ?

Absolutio

R. Est sententia qua sacerdos jurisdictionem habens rite confessum et contritum a peccatis absolvit.

Hæc sententia determinatis verbis, *formam* hujus Sacramenti constituentibus, ferenda est, uti constat ex N. 31 et seqq.

Immensam Dei misericordiam ostendit differentia inter forum internum et externum, quam indicat S. Chrysost., in illud *Vidi Dominum*, hom. 5: *In mundanis et forensibus judiciis post criminum accusationem et confessionem restat mors : apud divinum autem tribunal post accusationem et confessionem peccatorum datur corona.*

Seria autem consideratione dignum est, quod dicit Rituale Romanum, hoc loco § 2 : *In primis meminerit confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines, honori divino, et animarum saluti consulat.*

An omnibus omnino confitentibus danda est absolutio ?

non omnibus danda.

R. Negative, uti colligitur ex officio confessarii, ut judicis et medici, obligati ad consulendum divino honori et animarum saluti, quorum utrumque absolutionis negationem aut dilationem aliquando exigit.

Idem constat ex eo quod Christus duplicem in ordine ad hoc tribunal potestatem dederit Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, unam peccata remittendi, alteram retinendi; unde Joan. XX, 23, dicitur ipsis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* Dupliciter autem dicitur sacerdos peccata retinere seu ligare : primo, quando propter commissa satisfactionem injungit, ut patet ex Trid., sess. XIV, cap. VIII ; secundo, quando pœnitenti absolutionem negat aut differt.

Quotuplex abusus committi potest in danda vel neganda absolutione ?

Abusus duplex :

R. Cum Rituale Romanum hoc loco moneat, *ut videat diligenter sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda,*

vel differenda sit absolutio; duplex contra hoc monitum committi potest abusus, a confessariis sedulo evitandus.

Primus abusus est : si quis dilationem absolutionis tanquam regulam communem assumat, pro prima saltem vice qua quis peccata gravia confitetur ; nec pœnitentem rite absolutum existimet, nisi semel aut iterum fuerit remissus. nimia facilitas absolutionem negandi,

Contra hunc errorem, inquit Steyaert in *Append.*, § 59, Rituale Romanum sat superque ostendit, e contra pro regula habendam absolutionem ipsam quæ immediate confessionem sequatur : ita ut casus quibus aliter facere oporteat, et quos Rituale subnectit, sic tanquam totidem a regula communi exceptiones accipiendæ sint, quarum necessitatem confessarius merito doleat sibi quandoque offerri.

Leo XII, in Epist. Encycl. de Jubilæi extensione, citatis præfatis verbis Ritualis Romani, similiter taxat confessarios, *qui,* ut ait, *ut gravius aliquid audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere : iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti qui ait :* Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus ; *aut quibus vix ulla scrutandæ conscientiæ diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment ; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat.*

Secundus abusus, ab eodem Pontifice pariter indicatus, est : si quis *nimia facilitate absolvendi facilitatem afferat peccandi ;* ut si talem in concedenda absolutione facilitatem ostentet, ut omnes confitentes indiscriminatim absolvat, nec ullum unquam inabsolutum dimittere quasi profiteatur. Contra hunc errorem confessarios præmunit Rituale, dum ipsum diversos casus recenset, in quibus aliquos confitentes tanquam absolutionis incapaces dimitti præcipit : nec ulla ratione insinuat, se de re aliqua insolita hic loqui. et nimia facilitas absolvendi.

Quid confessarius cavere et præstare debet, dum cogitur differre absolutionem ?

Si differenda est absolutio, id fiat verbis humanissimis,

R. 1.° Quoniam, ut ait Catechismus Romanus, *sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant*, ideo confessarius absolutionem differre coactus, sedulo caveat, ne duro, acerbo aliterve indebito modo id faciat ; e contra verbis, quoad poterit, humanissimis pœnitentem instruat et adhortetur, ut non dejectus aut exasperatus discedat. Ad hoc proderit, si non statim et crude dicat ipsum esse absolutione indignum, aut ad eam non sufficienter paratum, sed a longe incipiat, dicendo Sacramenta esse res sacratissimas, adeoque digne et cum fructu suscipienda ; sacrilegam confessionem esse maximum malum ; se timere, ne non sit bene dispositus, sicque indigne absolvatur et deinde indignus communionem recipiat : an igitur non mallet se melius præparare et post aliquot dies redire ad recipiendam absolutionem ? Addat se tunc libenter absolutionem daturum, ipsum vero majorem pacem cordis, et conscientiæ tranquillitatem percepturum, etc.

Dictum est supra : *instruat et adhortetur ;* cum enim ordinarius differendæ absolutionis finis sit, ut pœnitens interea a peccatis abstinere discat, et ad veram conversionem se disponat ; ea proinde ipsi suggerenda et præscribenda sunt, quibus in ejusmodi persona utrumque opportune procuretur.

et in determinatum ac breve tempus.

2.° Nunquam pœnitentem dimittat in tempus indeterminatum, sed ordinarie ad certos dies, eosque paucos, prout causa dilationis requirit et conditioni ac negotiis pœnitentis convenit ; ad summum quidem ad quindecim dies, ut dicit S. Alphonsus, n. 463. Ratio est, quod confessarius, ut medicus, debeat crebro arcessere ægrotum, qui alias media præscripta adhibere, ac etiam redire negligeret.

Hic sedulo meditanda sunt Leonis XII verba, quibus in cit. Epist. Encycl., confessarios instruit : *Quocunque autem animo sint qui accedant ad ministrum pœnitentiæ, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis, persuadeat*

confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quam primum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiæ cœlestis dulcedine reficiantur.

Nota : dum Rituale Romanum dicit : *Videat diligenter sacerdos quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio*, videtur distinguere inter *negare* et *differre*, ita scilicet ut *negare* absolutionem concernat illos qui omnino indispositi judicantur, *differre* vero dubie dispositos, vel eos qui stricte loquendo bene dispositi sunt, sed utiliter ad tempus remittuntur. Promiscue tamen duo isti termini a theologis confunduntur. In confessionali melius est uti termino *differre ;* quia benignior est et minus odiosus, et quia ipsos etiam indispositos proprie tantum differimus donec se rite præparaverint.

N.° 84. De varia dilatione absolutionis.

Quotuplex distinguitur dilatio absolutionis ?

R. Triplex : perniciosa, utilis, et necessaria.

Quandonam dilatio absolutionis est perniciosa ?

R. Quando omnia requisita ad dandam absolutionem adsunt, et ex illius dilatione non expectatur notabile bonum.

Dilatio absolutionis aliquando perniciosa.

Merito tunc dicitur *perniciosa :* 1.° quia per eam pœnitens sine justa causa privatur effectibus Sacramenti, remanet in statu peccati mortalis, et subit jacturam operum meritoriorum, casu quo non elicuerit perfectam contritionem ; 2.° quia pœnitenti gravis injuria infertur : etenim dum rite contritus et confessus est, nec aliunde adest justa ratio absolutionem differendi, ad hanc jus habet vi cujusdam contractus sacri et innominati, *facio ut facias*, qui ipsum inter et confessarium eo ipso intervenit, quo prior cœpit confiteri, posterior audire confessionem ; illoque jure, utpote in re gravi, sine gravi injuria privari non potest.

Ex quo sequitur confessarium obligari ad dandam absolutionem, quotiescunque pœnitens est rite dispositus, nec adest justa ratio eam differendi.

Quandonam dilatio absolutionis est utilis ?

aliquando utilis, R. Quando pœnitens ad valorem et effectum Sacramenti sufficienter quidem dispositus est, sed tamen ex dilatione a confessario ut medico prudenter speratur notabile bonum, quod non sequeretur ex absolutione statim data ; ut si per dilationem præcavendus sit relapsus.

Certum est quod, posita justa ratione, confessarius possit differre absolutionem pœnitenti, qui ultro consentit, aut suavibus monitis confessarii persuasus de utilitate dilationis, consensum præbet. Sed hic quæritur :

An potest differri absolutio, si quidem adest justa ratio, sed pœnitens est invitus ?

R. Negat facultas Lovaniensis in articulis oblatis Innocentio XI, art 9, et alii pauci, dicentes pœnitentem rite confessum et dispositum jure quod habet ad absolutionem invite privari non posse.

Affirmant vero alii communiter cum Suarez et Card. De Lugo ; quia confessarius non solum judicis, sed etiam medici officium exercet, et hoc posteriori titulo potest differre absolutionem, semper ac judicat id esse utile saluti seu emendationi pœnitentis, quippe qui, etiamsi jus habeat ad absolutionem ratione confessionis peractæ, non tamen in eo casu jus habet, ut statim absolvatur.

Hanc posteriorem sententiam sequitur S. Alphonsus, n. 462 : « Imo meo judicio, inquit tenetur confessarius differre absolutionem, quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui pœnitentis. » Et num. seq., postquam notavit, juxta Salmanticenses et alios, raro expedire ut pœnitenti disposito differatur absolutio, addit : « Melius dicendum, quod certa regula in hoc statui non possit, sed confessarius ex circumstantiis se dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem differat vel impertiatur ; » et post pauca concludit : « Ut meum proferam judicium, dico, quod, si pœnitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemiæ et similium ; raro puto differendam esse absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium. »

Quandonam dilatio absolutionis dicitur necessaria ?

aliquando necessaria,

R. Quando prudenter judicatur aliquid necessario requisitum non adesse, vel de eo extra periculum mortis vel alterius necessitatis merito dubitatur. Ratio est, quod non liceat Sacramentum invalide administrare, vel extra casum sufficientis necessitatis illud morali periculo invaliditatis exponere.

Ex quibus causis provenire potest ut dilatio absolutionis sit necessaria ?

idque ex variis causis.

R. Id generatim provenire potest ex defectu cujuscunque essentialis requisiti ad validam ac licitam collationem hujus Sacramenti. Speciatim vero :

1.° Ex defectu jurisdictionis in confessario ; ut si in confessione deprehendat pœnitentem esse obnoxium casui reservato, a quo absolvere nequit.

2.° Ex defectu capacitatis in subjecto ; ut si deprehendatur puer vel alius carere sufficienti usu rationis.

3.° Ex defectu materiæ ; ut si ea quæ pœnitens confitetur, judicentur non esse peccata, nec alia commiserit; ut in puero vel in adulto recens baptizato contingere potest : alii enim induci possunt, ut adjiciant peccatum antea confessum.

4.° Ex defectu confessionis ; quia v. g. non est integra et pœnitens indiget dilatione pro examine maturiori.

5.° Ex defectu contritionis, de quo in seqq. NN. speciatim agetur.

An dantur pœnitentes qui nequidem ad confessionem admitti debent ?

Quinam ad confessionem non sint admittendi.

R. Generatim cum S. Carolo Borromæo, in *Instr. de ratione administrandi Sacram. Pœn.*, cap. 7 : *Meminerint ad Sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine convenienti tum exteriore, tum interiore animi præparatione volunt accedere ; quin magis verbis christianam charitatem spirantibus, pro captu cujusque, tales alloquantur, et dicant, ubi se melius pro dignitate tanti Sacramenti disposuerint, ut demum ad se revertantur.* Dicit deinde sanctus Præsul, mulieres et viros immodeste aut indecenter vestitos admittendos non esse. Requiritur utique ut indecentia sit graviter mala ; ita miles bona fide cum armis accedens repellendus non foret,

et nequidem de indecentia monendus esset, ne turbatus rite confiteri non valeat. E contra larvatus, aut vestibus bacchanalibus indutus minime audiendus foret.

N.° 85. Quandonam absolutio neganda sit ob defectum contritionis, et quæ sint signa istius defectus.

Quandonam absolutio neganda est ob defectum contritionis ?

Quando neganda sit absolutio ob defectum contritionis :

R. Quando in pœnitente occurrunt signa, ob quæ confessarius prudenter judicat aut merito præsumit ipsum non esse contritum, atque adeo hic et nunc absolutionis incapacem esse.

Talia signa adessent, si quis v. g. ægrotus diceret se non velle conteri aut absolvi a peccatis, et a confessario etiam atque etiam monitus, in impœnitentia persisteret ; si fidem non haberet, quamvis etiam non careret aliquo dolore de peccatis, quatenus rationi aut honestati naturali repugnant : contritio enim inniti debet motivo supernaturali, quod sine fide non obtinet ; si persisteret in actuali peccato mortali, aut affectum peccandi deponere nollet.

Quinam ex Rituali Romano ob defectum contritionis incapaces sunt absolutionis ?

quibus juxta Rituale.

R. Rituale Romanum, postquam monuit ut videat sacerdos quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, addit : « Quales sunt :

(1.°) Qui nulla dant signa doloris,

(2.°) Qui odia et inimicitias deponere,

(3.°) Aut aliena, si possunt, restituere,

(4.°) Aut proximam peccandi occasionem desererc,

(5.°) Aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt ;

(6.°) Aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. »

7.° His adjungi solent, qui ignorant ea quæ scire debent ex necessitate medii.

Memoriæ juvandæ gratia, isti recensiti exprimuntur his versiculis :

Sunt septem quibus nequeunt sua crimina solvi :
Odia qui refovent, non præbent signa doloris,

Jus lædunt, causam peccati linquere nolunt,
Ignorant, non se emendant, aut scandala causant.

Ad has septem classes alii indispositi referri possunt : ita sub quinta continentur qui salutarem et convenientem pœnitentiam acceptare recusant, nec non aliqui consuetudinarii et recidivi.

Postquam de illis ex ordine actum fuerit, speciatim agetur de dubie dispositis.

N.° 86. De iis qui nulla dant signa doloris præsertim si sint moribundi.

Rituale Romanum, ut præc. N. vidimus, inter incapaces absolutionis primo loco ponit eos qui nulla dant signa doloris ; de his, quatenus sub specialem designationem Ritualis cadunt, satis judicari potest ex principiis modo expositis. Quod attinet ad moribundos, præsertim repentino casu oppressos, stricte inhærendo prædictæ designationi, de iis tantum agendum esset, qui nulla dant signa doloris ; sed, ut pluribus auctoribus visum est, hoc loco opportune resolvuntur præcipuæ difficultates, quæ absolutionem in subitum mortis periculum incidentium concernunt. Id hic præstabimus, claritatis et explicationis causa, distinctis aliquot quæstionibus.

Quæst. I. *An absolvi potest moribundus, qui peccata voce confiteri non potest, sed sacerdoti præsenti et interroganti, nutu capitis, pressione manus, aliove signo declarat se peccasse et pœnitere ?*

Absolvendus est moribundus qui nutu aliove signo declarat se peccasse et pœnitere ;

R. Theologi unanimiter affirmant; quia judicatur contritus, et adest sufficiens confessio, secundum principia jam ante satis exposita.

Quæst. II. *An absolvi potest moribundus, qui ante sacerdotis adventum dixit se velle confiteri, petivit confessarium vel alia signa pœnitentiæ dedit, sed ubi advenit sacerdos, nihil horum amplius facere potest ?*

item ille qui signa pœnitentiæ dedit ante sacerdotis adventum,

R. Negant pauci, quia licet habeatur aliqua confessio, hæc tamen sacerdoti præsenti non est facta.

Affirmant omnes alii, quia illa confessio adhuc virtualiter perseverat, dum sacerdos advenit.

Hanc sententiam confirmant Conc. Carthag. IV,

hoc autem præsente dare non potest ;

declaratio Leonis Magni et Urbani VIII apud Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, lib. VII, cap. 15, n. 8, et Rituale Romanum quod ita statuit : *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus et signis conetur* (sacerdos) *quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere ; quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

Generatim hic non est necessaria forma conditionata, nisi ex alia causa accederet dubium, ut in casu quem Collet, tract. *De Pœnit.*, cap. 6, § 3, finxit his verbis : « Sit qui sacerdotem vocet, ut moribundo ad Turcæ latus posito, et reconciliationem flagitanti, Pœnitentiam administret. Currat sacerdos et utrumque inveniat extremos agentem spiritus, nec unum ab alio secernere possit : unum id manet, ut ne uni desit, circa utrumque hæc proferat verba : *Si sis dispositus*, vel, quod in idem redit : *Si Ecclesiæ opem efflagites, ego te absolvo.* » Ibi appositæ conditionis mentio est ob dubium ortum ex defectu discretionis unius ab altero.

Quæst. III. *An absolvi potest moribundus, qui christiane vixit, sed nec ante sacerdotis adventum, nec eo præsente signa pœnitentiæ dedit, quia subito usu sensuum destitutus fuit, ita ut nullo signo externo potuerit aut possit significare se peccasse aut pœnitere ?*

Idem est, si quis inveniatur ita sensibus destitutus, quin sciatur an ejusmodi signum dederit.

Ante responsionem notandum, quod relate ad præsentem quæstionem censeantur christiane vixisse, qui sunt de gremio Ecclesiæ, et communia hominis christiani officia adimplent, licet a peccatis immunes non sint.

item ille qui subito destitutus usu sensuum nullum potuit dare signum pœnitentiæ, si christiane vixit.

R. Antiqui theologi communiter negant ; recentiores autem complures rectius affirmant, et horum sententia in praxi sequenda est.

Sententiam affirmativam, contra Suarez, Sylvium aliosque, tenent, inter plures, Steyaert, Billuart, et signanter S. Alphonsus, n. 482, ubi dicit id clare confirmari a D. Augustino, *De adult. conj.*, lib. 1, cap. 26, dicente : *Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut petere sibi Baptismum vel ad interrogata respondere non*

possint, prosit eis, quod eorum in fide christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit... Etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire. Et idem Augustinus, eod. lib., cap. 28, docet eamdem rationem esse habendam Baptismatis ac Pœnitentiæ, sic concludens : *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit ; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.*

Ratio controversiæ et difficultas in eo consistit, an in casu adsint contritio et confessio, quæ materiam seu quasi materiam Sacramenti constituunt, et sine quibus nec Sacramentum consistere, nec adeo absolutio dari potest. De contritione non est tanta difficultas, quia sufficit ut ante elicita virtualiter perduret, et quilibet christianus censeri potest ultimum actum contritionis a se elicitum referre ad absolutionem in fine vitæ recipiendam ; sed minus facile est ostendere quod adsit confessio seu accusatio peccatorum ad absolutionem obtinendam.

Dicunt igitur patroni sententiæ affirmativæ : 1.° Invenitur aliqua confessio implicita in vita christiane peracta, quandoquidem omnis christiane vivens censetur confiteri se peccatorem esse, et quidem quotidie, dum in oratione dominica dicit : *dimitte nobis,* etc. ; hæc autem confessio virtualiter adhuc perdurat in moribundo, dum sacerdos advenit. 2.° In defectu confessionis verbalis sufficit ut fiat per nutus ; jamvero motus labiorum, suspiria, apertio oculorum vel fixus etiam intuitus, aliaque quæ videntur esse signa doloris corporalis, forte sunt signa doloris spiritualis quibus vult confiteri peccata : non enim certum est quod usu rationis sit destitutus, vel equidem lucida intervalla non habeat. De se quidem testatur Petrus Marchantius, in opere cui titulus : *Tribunal sacramentale,* quod in extremo periculo constitutus, usu sensuum privatus

fuerit, excepto auditu, et quod nihilominus ratione judicioque firmo et recto uteretur. Huc quoque referunt quod dicit Cicero: « Appropinquante morte, animus multo est divinior.... Eos qui secus, quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet. » *De divinat.*, lib. 1, n. 30.

Hæc quæstio dilucidata videri potest apud Ben. XIV, loc. cit., n. 9 et seqq.

Quamvis hæc certitudinem minime pariant, sufficiunt tamen, ut liceat in extrema necessitate absolutionis formam proferre, maxime cum adjiciendo conditionem, *si es capax*, evitetur periculum Sacramentum profanandi. Imo cum in tali periculo teneamur proximo succurrere meliori modo quo possumus, quilibet sacerdos tenetur ex charitate, et pastor insuper ex officio, talem moribundum absolvere.

Quæst. IV. *Quomodo procedet sacerdos qui subito vocatur ad moribundum sensibus destitutum sibique ignotum?*

Quid facere debeat sacerdos vocatus ad moribundum ignotum, sensibus destitutum.

R. Sine dilatione accurrens, secundum adjuncta inquiret a circumstantibus, an ostenderit desiderium confitendi, vel dederit signa pœnitentiæ; quæ sit vitæ ejus ratio, quæ causa istius periculi; an profiteatur religionem catholicam. Si nec hoc sciatur, videat an ex libris, chartis, rosario aliisve indiciis colligere aut præsumere liceat ipsum esse catholicum.

Si demum aliqua ratione præsumi possit ipsum esse catholicum, non tantum ipsi præformabit actus fidei, spei, charitatis et contritionis, sed etiam cum absolutionem impertiturus sit, excitabit ipsum, ut confiteatur si forte possit, per signum aliquod, ut compressionem manus, motum labiorum aut oculorum; dicet ei, quod absolutionem statim impertietur, ut animo pœnitenti eam suscipiat; tandem saltem sub conditione absolutionem dabit, monens ut pro satisfactione sacramentali invocet SS. nomina Jesu et Mariæ. Non omittet dare absolutionem generalem, si eam dandi facultatem habeat.

Quantum forte ob instantem mortem accelerandum sit, indicabunt circumstantiæ, uti etiam, an quid aliud procurandum sit, v. g., administratio Extremæ Unctionis.

Quæst. V. *An absolvi potest moribundus nulla valens dare signa doloris, qui dum sanus erat, religionem catholicam profitebatur, sed vivebat in peccatis etiam publicis?*

Quid si vocetur ad catholicum qui vivebat in peccatis et jam non valet dare signa doloris.

R. Quamvis plurimi negent, et affirmativam sententiam, aut vehementer cum Concina, aut subdubitanter cum Tournely, rejiciant; Pauwels tamen cum aliquibus affirmativam tenet, et probat ex S. Augustino, mox citando. In hac sententia fuisse aliquos, etiam refert Bened. XIV, loc. cit., n. 12.

Accedit Gury, n. 506, dicens : « Absolvendi sunt, etiam conditionate, alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt, quia adhuc in ipsis præsumi aliquo modo potest pœnitentia et confessio sensibilis » ; et citat Collet et La Croix.

Huic posteriori sententiæ, in praxi præferendæ, favet S. Augustinus, loc. cit., cap. 28, resolvens : *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri?* Porro eamdem utriusque Sacramenti, Baptismatis et Pœnitentiæ, rationem esse, ipsis Augustini verbis supra confirmatum fuit.

Quæst. VI. *Quid si quis in ipso actu peccati, v. g., ebrietatis, duelli, etc., privetur usu sensuum, et nulla appareant signa contritionis aut confessionis?*

Quid si talis in ipso actu peccati privetur usu rationis.

R. Adhuc cum aliquibus absolute affirmant Neesen et Pauwels, talem moribundum debere absolvi sub conditione. Assentitur Gury hisce verbis : « Potest probabiliter sub conditione absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati....Ratio est, quia etiam ille sufficienter dispositus videri potest. Id præsertim locum habet pro illo qui ad peccatum fortasse fuit adductus timore, respectu humano, etc. » S. Alphonsus, n. 483, innixus auctoritate S. Augustini, cujus verba supra citata in hunc sensum ponderat, affirmantem sententiam commendat in hunc modum : « Hæc sententia satis probabilis mihi est, ob eamdem rationem quæ adducta

est in præcedenti dubio ; si enim licite absolvi potest et debet ægrotus sensibus destitutus, qui nullum dederit pœnitentiæ signum, si christiane vixerit, eo quod de ipso prudenter præsumi potest, quod in extremo vitæ, si aliquod lucidum intervallum habet, velit absolutionem sacramentalem recipere ; sic etiam potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur ; pro hoc enim etiam merito præsumi potest, quod ipse in proximo periculo suæ damnationis constitutus cupiat omni modo suæ æternæ saluti consulere. Dixi : *homo catholicus ;* nam secus dicendum de hæretico. Hæretici enim, etiamsi in eo casu dent signa pœnitentiæ, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant, quia tales nunquam prudenter præsumi valent ea signa præbere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent. »

Merito dicit Eminent. Gousset, n. 586, se in praxi secuturum hanc sancti Auctoris sententiam.

Quæst. VII. *Quid si moribundus in phrenesim lapsus, nullo antea dato pœnitentiæ signo, dicat se nolle confiteri, et confessarium abigat, vel det alia signa contraria ?*

Quid si phreneticus dicat se nolle confiteri.

R. Respondet Neesen, tract. 5, quæst. 2, dub. 14, distinguendo : Si iste christiane vixerit, solitus Sacramenta frequentare, est absolvendus ; si in consuetudine vel affectu peccatorum vitam duxerit alienus ab usu Sacramentorum, prudenter præsumitur, ea quæ in phrenesi dicit, provenire ex pravo voluntatis habitu adhuc durante.

Attamen ob variationem circumstantiarum et ob ante dicta, forte ad dandam absolutionem movebitur confessarius ; non enim omnia minutim in singulos eventus futuros describi possunt.

Quæst. VIII. *An moribundus usu sensuum destitutus pluries absolvendus est in eo statu ?*

An pluries absolvendus sit moribundus usu sensuum destitutus.

R. Cum S. Alphonso, qui n. 482 dicit : « Non esse sæpius absolvendum moribundum sensibus destitutum intra breve spatium temporis sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servata proportionata distantia ; quia revera tunc cessat necessitas quæ adfuit in antecedentibus absolutionibus præstitis. Secus vero dicendum,

si destitutio perseverat per longum tempus. » Et in *Hom. Apost.*, tract. 16, n. 37 : « Non negatur, ait, quod si sensuum destitutio diutius perseverat, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. g., ter aut quater in die. »

Quod vero attinet infirmos qui sui compotes ultima Sacramenta susceperunt, multi docent, eos, si in agonia sensibus destituantur, iterum absolvendos non esse, nisi forte ab ultima absolutione longum tempus intercesserit. Alii contra dicunt talibus adhuc impertiendam esse absolutionem, et etiam sæpius, si diutius durat agonia ; et huic sententiæ passim conformis est praxis confessariorum. De hac praxi scribit Gury in *Cas. consc.*, t. 2, n. 719 : « licet ab Ecclesia non expresse præscribatur, a pluribus theologis et præsertim a S. Ligorio, cujus doctrina ab Ecclesia approbata est, docetur et enixe commendatur, atque a piis confessariis communiter adhibetur. » Vide S. Alphonsum, in *Praxi confess.*, n. 276.

N.° 87. De illis qui odia et inimicitias deponere nolunt.

Quosnam intelligit Rituale, dum dicit absolutionis incapaces esse, qui odia et inimicitias deponere nolunt ?

Quinam dicantur nolle odia et inimicitias deponere.

R. Intelligit 1.° illos qui positive oderunt proximum, id est, qui talem aversionem ab eo in corde fovent, ut ei malum exoptent, eamque deponere nolunt.

2.° Intelligit illos, qui negative oderunt proximum, id est, qui nolunt eum amare ut præcipit lex Dei ; v. g., nolunt ei apprecari bonum, præcipue beatitudinem, nolunt ignoscere injuriam personalem, et recusant exhibere signa charitatis communia et necessaria.

Ratio cur isti sint incapaces absolutionis est, quod habeant voluntatem in re gravi contrariam præcepto charitatis, cum qua vera de peccatis contritio consistere non potest.

Quomodo procedet confessarius cum pœnitente qui se accusat quod odium habeat erga proximum ?

Quomodo procedendum cum

R. Debet ipsum instanter adhortari ut illud deponat, proponendo convenientia motiva, quorum præcipua simul cum remediis descripsit Dujardin in opere

eo qui se accusat de odio erga proximum.

De officio sacerdotis, part. 2, sect 15. Nec confessarium nec pœnitentem deterreat reconciliationis difficultas, ex eo quod huc usque vel ad solum inimici conspectum cor commotum et sanguis accensus fuerit, sed animet ipsa etiam experientia, quæ sæpe docuit, homine sese ad pacem cum proximo componente ex animo et propter Deum, ad primum colloquium cor utriusque emolliri, subinde usque ad lacrymas, et omnes iræ motus plane sedari.

Si nolit grave odium deponere, absolvi non potest, juxta dicta ; si dicat se illud deponere, et proximo charitatis signa necessaria saltem communia exhibiturum, absolvi potest, nisi forte fracta fides et principia quoad recidivos observanda absolutionis dilationem exigant.

Notanda.

Ex iis quæ alibi traduntur duo hic recolenda sunt : 1.° Ab odio voluntatis differt odium appetitus sensitivi, quod, et quidem aliquando cum vehementi commotione corporis et sanguinis, manere potest, quamvis odium voluntatis omnino sit depositum, sicque nihil amplius obstet absolutioni.

2.° Ut odium deponatur, non est necesse ut simul remittantur debita et damna realia ab inimico illata ; aliquando tamen id consulendum est, ut omne odium utriusque efficacius deponatur, plenaque reconciliatio fiat ; maxime vero suadendum est, ut renuntietur actioni criminali, si quæ intentari possit, quia sub prætextu vindictæ publicæ facile subrepit desiderium ulciscendi injuriam personalem : id quidem enixe commendat S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 58.

N.° 88. De illis qui aliena restituere nolunt.

Quosnam intelligit Rituale, dum dicit absolutionis incapaces esse, qui aliena, si possunt, restituere nolunt ?

Quinam dicantur nolle restituere aliena.

R. Illos, qui recusant facere notabilem restitutionem alteri debitam, honoris, famæ vel bonorum temporalium ; aut cuicunque notabili juri alterius satisfacere nolunt : quia sic actu peccant contra justitiam in re gravi, adeoque contritionem non habent.

Additur in Rituali : *si possunt ;* quia ante restitutionem absolvi possunt, si habeant voluntatem restituendi

et adhibendi media quibus reddantur capaces, parcius vivendo, diligentius laborando, sumptus vitando, etc. Sub verbis autem : *si possunt,* comprehenduntur omnes causæ excusantes a restitutione, de quibus in tract. *De jure et justitia.*

An illi qui possunt restituere, debent reipsa restituisse antequam absolvantur?

An restitutio facienda ante absolutionem.

R. Id a Rituali non requiritur, neque per se est necessarium ; qui enim habet firmam voluntatem quamprimum restituendi, potest elicere veram contritionem, licet reipsa necdum restituerit.

Per accidens tamen id potest esse necessarium ; scilicet si pœnitenti, promittenti se restitutionem facturum, fides adhiberi non possit, vel merito præsumatur aut timeatur neglecturus restitutionem ; ut facile accidit in rudibus, qui existimant se liberos a restitutione, si modo absolutionem impetraverint ; item in iis qui fidem de restituendo aut alteri juri satisfaciendo datam fregerunt. Imo S. Alphonsus, lib. 4, n. 682, tenet confessarium regulariter loquendo non posse absolvere debitorem qui potest restituere, nisi prius restituat ; quia cum restitutio sit res valde difficilis ad exequendum, si pœnitens absolvatur, antequam satisfaciat, relinquitur, ut communi experientia compertum est, in eodem non restituendi periculo.

N.° 89. Quid sit occasio proxima, et quibus modis dignoscatur.

Rituale quarto loco absolutionis incapaces declarat illos *qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt.* Hoc de sola occasione proxima peccati mortalis intelligendum est : non quod proxima occasio peccati venialis deserenda non sit, prout hoc fragilitati humanæ pro loco et tempore moraliter possibile est ; sed quia qui talem occasionem deserere nolunt, hac de causa non sunt absolutionis incapaces ; cum enim propter affectum ad peccatum veniale non debeat negari absolutio, a fortiori non debet propter occasionem ejus proximam.

Quid est occasio peccati mortalis generatim sumpta et quomodo dividitur ?

Quid sit occasio peccati mortalis.

R. Occasio peccati mortalis generatim seu late sumpta, est res extrinseca, aut circumstantia, facilitatem præbens peccandi mortaliter, seu ad hoc invitans et alliciens : ita arca nummis referta et aperta est occasio notabile furtum committendi.

Occasio alia remota, alia proxima dici solet : vox *proxima* hic non sumitur rigorose pro ea qua propinquior non datur, sed idem significat ac *propinqua*.

Quæ ad occasionem proximam pertinent, pro magno rei momento, accurate et distincte tractanda sunt, tenendo, quod intendimus, medium inter nimium rigorem et laxitatem.

Quid est occasio proxima peccati mortalis ?

Quid occasio proxima ;

R. A theologis varie definitur ; rectius vero describitur : res extrinseca vel circumstantia, quæ alliciendo et invitando tam magnam facilitatem præbet committendi peccatum mortale, ut illius morale periculum involvat.

Dicitur : *res,* sub quo nomine etiam comprehenditur persona ; vel *circumstantia,* quia interdum non res ipsa, sed ejusdem circumstantia præbet facilitatem peccandi ; ad quod diligenter attendat confessarius, sæpe enim deprehendet, occasionem non ex ipsa re aut persona provenire, sed ex aliqua circumstantia ; quo casu satis erit illam circumstantiam amovere.

Dicitur : *extrinseca,* id est, extra hominem posita ; qua voce occasio proxima distinguitur a consuetudine, quæ homini inhæret, ac etiam morale peccandi periculum adfert, ac propterea aliquando etiam vocatur occasio, nempe *intrinseca.*

Dicitur tandem : *ut morale periculum involvat ;* quo quidem occasio proxima distinguitur a remota, quæ morale seu probabile periculum non adfert in particulari usu vel actu ; et in hoc quidem periculo essentia occasionis proximæ præcipue consistit, ita ut, si desinat illud periculum, occasio quoque desinat esse proxima.

Utique omnes occasiones proximæ non sunt æque propinquæ ; inter eas dantur varii gradus, sicuti dantur

inter pericula moralia, quorum unum est majus alio, ideoque magis vitandum.

Quotuplici modo cognosci potest aliquam occasionem esse proximam ?

quomodo hæc dignoscatur a priori,

R. Duplici modo : a priori et a posteriori. *A priori* cognoscitur occasio esse proxima, quando considerata re aut circumstantia, et hominis indole, sine prævia experientia prudenter judicatur adesse morale periculum lapsus : sic ingressus in talem domum respectu juvenis ad libidinem proni, dignoscitur esse occasio proxima peccati mortalis interni vel externi contra castitatem.

a posteriori;

A posteriori, quando per experientiam cognoscitur aliquid involvere morale periculum : quo modo alicui occasionem proximam. quando cognoscitur exercitium mercaturæ aut artis de se honestæ esse alicui occasionem proximam.

quæ præsertim attendenda,

Sæpe difficile est in particulari casu determinare an occasio sit proxima, necne ; unde confessariorum judicia et praxis sæpe differunt. Ad formandum judicium juvabit attendere : 1.° ad naturam peccati ; nam unum est magis alliciens quam aliud ; 2.° ad dispositionem pœnitentis, an sit fortis et constans, an e contra debilis aut inconstans ; nam aliquando, ut ait S. Alphonsus, n. 452, occasio, quæ respectu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota ; 3.° ad numerum lapsuum ; item ad modum, an cito, an vero non nisi post longam luctam occasioni succubuerit.

Ex quanto numero lapsuum colligi potest occasionem aliquam esse proximam ?

signanter circa numerum lapsuum.

R. Hoc arithmetice determinari nequit, sed morali judicio considerari debet, pensata qualitate peccati, tentationis, infirmitatis personæ peccantis, aliisque circumstantiis ; eo vel magis, quia quandoque veluti a priori vel ex parvo numero lapsuum constat occasionem esse proximam in hac vel illa materia ; ubi e contra cum majori numero in alia materia aliud obtinet. Interim sæpe ratione numeri lapsuum illico formari potest judicium, ut si quis decies in mense peccet cum ancilla, aut ex centum vicibus, quibus tabernam frequentat, quadragesies se inebriet.

Plerique auctores, præsertim recentiores, ab arithmetica determinatione, pluribus Scholasticis usitata, consulto hic abstinent cum Billuart et S. Alphonso, qui in *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 1, dicit : « Quidam auctores volunt non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo *fere semper*, vel *ut plurimum* ceciderit ; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua *frequenter* quis peccavit. » Satis scilicet ipsi est uti voce *frequenter*, *sæpe* et similibus. Cfr. ejus *Theol. mor.*, lib. 6, n. 452.

Prædicta consideranti patet, aliquid alicui esse posse occasionem proximam, etiam ratione *frequentiæ*, etsi semel tantum in anno in eo peccare soleat. Hinc S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 64, dicit : « Qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit ; talis aditus jam ipsi proxima est occasio. »

Quid faciet confessarius, si, omnibus attente consideratis, hæreat anceps, prudenter dubitans an occasio sit proxima?

R. In tali casu confessarius, ut medicus, practice supponet occasionem esse proximam, adeoque pœnitentem inducet, ut istam occasionem deserat physice vel moraliter, prout hunc aut alterum deserendi modum indicabunt occasionis natura aut adjuncta : ratio est quod, si unquam in dubio tutius eligendum sit, id certe obtineat in hoc dubio, quod versatur circa ruinam animæ, quæ medicinali curæ confessarii commissa est.

Huc pertinet quod dicit S. Thomas, 2ª 2æ, quæst. 60, art. 4, ad 3 : *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius.* Huc quoque, propter similitudinem, referri potest quod docet S. Alphonsus, in *Praxi confess.*, n. 69 : « Ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, et quandoque oportere, ut confessarius sententiis rigidioribus utatur ; tunc enim hæ valde magis prosunt animarum saluti. »

N.° 90. Quid sit occasio remota, et an fugienda sit.

Operæ pretium visum est speciali N. agere de occasione remota, nempe peccati mortalis, ut hic etiam servetur quoddam medium.

Quænam dicitur occasio remota ?

Quid occasio remota ;

R. Illa quæ non nisi moraliter leve periculum peccati mortalis involvit ; qualis esse potest ludus aut consortium, in quo quis raro graviter peccat.

An deserendæ aut fugiendæ sunt occasiones remotæ ?

an sit fugienda.

R. 1.° In hac vita impossibile est omnes hujusmodi occasiones effugere ; nam fere in omni loco et in omni hominum statu occurrunt ; de quo Sap. XIV, 11, dicitur : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt et in tentationem animabus hominum ;* et S. Augustinus, *Epist. 54,* dicit : *Quid enim est in usu hominum bono et licito, unde non possit pernicies irrogari ?* Imo si quis vellet omnes occasiones remotas effugere, ipse incideret in majora incommoda, in scrupulositates nempe valde nocivas, quæ impedirent pacem animi, et continuo generarent periculum agendi contra conscientiam.

R. 2.° Nec est per se obligatio deserendi vel fugiendi occasionem remotam in particulari, v. g., cohabitationem ex qua aliquando, sed raro graves rixæ oriuntur : ratio est, quod non adferat morale periculum Deum graviter offendendi.

Equidem qui pro anima sua solliciti sunt, solent occasiones remotas evitare quantum possunt, præsertim illas, quæ aliquatenus accedunt ad proximam ; et confessarius tanquam prudens medicus, pœnitentibus commendare debet, ut ejusmodi occasiones quantum fieri potest, evitent, et ubi justa de causa eas adeunt, caute se gerant ; imo si occasio remota videatur paulatim mutanda in proximam, ut quoad peccata contra castitatem facile accidit, progressus per media opportuna impediri, ac ipsa occasio quandoque interdici debet.

N.° 91. De divisionibus occasionis proximæ.

Multiplex est occasionis proximæ divisio. Ab aliquibus dividitur etiam in *internam* et *externam* : occasio *interna* posita est vel in naturali quadam personæ complexione in certi generis peccatum vehementer inclinante, vel in ipsa consuetudine sive propensione quadam habituali ad peccandum orta ex frequentibus actibus vitiosis. Missam hic facimus istam distinctionem, quia ex communiori usu et intelligentia occasio proxima N. præced. sic definita fuit, ut sit quid externum, ad peccatum alliciens.

Quomodo dividitur occasio proxima ?

Divisio occasionis proximæ

R. 1.° Dividitur in occasionem proximam *per se* et in proximam *per accidens ;* prior etiam *absoluta*, posterior *respectiva* dicitur.

2.° In *continuam* et *interruptam ;* prior etiam præsens, *in esse*, aut actu existens vocatur ; posterior vero absens, *non in esse*, aut actu non existens.

3.° In *voluntariam* et *involuntariam :* prior etiam *libera*, posterior *necessaria* appellatur.

4.° In eam quæ oritur ex re mala vel inutili, et in eam quæ oritur ex re honesta et utili.

Quæ occasio dicitur proxima per se seu absoluta ?

1.° occasio proxima per se,

R. Occasio proxima *per se* a S. Alphonso dicitur illa, in qua homines communiter ut plurimum peccant : talis est aspectus fixus rei valde obscœnæ, studiosa auditio turpiloquiorum, et similia de se nata inducere in delectationes morosas, aliaque peccata.

Quæ occasio dicitur proxima per accidens, seu respectiva ?

et per accidens ;

R. Quæ adfert morale periculum, non ex natura sua, sed spectata hujus hominis particulari fragilitate : hujusmodi est frequentatio popinæ respectu ebriosi, mercatura respectu injusti, conversatio cum fœminis respectu libidinosi. Consideranti patet, quod aliquando res de se bona alicui sit occasio proxima, nempe per accidens ; item quod eadem res homini uni, non alteri, imo eidem uno tempore, non alio, proxima sit occasio.

Quæ occasio dicitur continua seu præsens, et quæ interrupta seu absens?

R. Continua seu præsens vel actu existens, quæ a S. Carolo vocatur *in esse*, est illa, quam homo semper aut fere semper secum habet quin eam actu quærat: talis est habitatio cum concubina. 2.° continua,

Interrupta seu absens dicitur, quæ non actu sed transeunter existit, ut frequentatio chorearum; vocatur absens et interrupta, quia alibi existit et non nisi per intervalla et interruptis vicibus ad eam acceditur. et interrupta;

Quænam occasio dicitur voluntaria, quænam involuntaria?

R. Voluntaria est, quæ facile relinqui potest, ita ut, si quis in ea maneat, morali æstimatione censeatur voluntarie in ea manere; S. Alphonsus breviter dicit, quod sit illa quæ facile dimitti potest. 3.° voluntaria,

Involuntaria seu necessaria est, quæ physice, vel moraliter non potest avelli, ut dicit idem S. Auctor. et involuntaria

Physice involuntaria est, quæ non pendet a voluntate ut dimittatur, ut si quis carceri inclusus sit cum muliere libidinosa.

Moraliter involuntaria est, quæ vel licite non potest dimitti, ut uxor respectu mariti; vel quæ non potest dimitti nisi incidendo in majus aut æquale peccandi periculum, ut si famulus iracundus sæpe graviter rixetur cum sociis pacificis, quales in alio famulatu vix inveniret.

Occasionem physice, vel descripto modo moraliter involuntariam, vocabimus *stricte* involuntariam; eam vero quæ dimitti non potest sine gravi detrimento vel damno temporali, et communius etiam involuntaria vel necessaria dicitur, vocabimus *minus stricte* involuntariam. sive stricte, sive minus stricte;

Quæ demum occasiones dicantur oriri ex re mala, vel inutili, quænam ex re honesta et utili, patet satis ex terminis. 4.° ex re mala vel ex honesta.

N.° 92. De obligatione deserendi occasionem proximam, et quotuplici modo id fieri possit.

Proba esse gravem obligationem deserendi occasionem proximam.

Probatur 1.° ex verbis Christi, Matth. XVIII, 9: *Si* Datur obligatio

gravis deserendi occasionem proximam,

oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te, etc.; ibi enim Christus præcepit ut etiam res charissimas, quæ sunt causa ruinæ spiritualis, abjiciamus; atqui occasio proxima, licet voluntatem ad peccandum cogere non possit, tamen moraliter est causa ruinæ spiritualis; ergo, etc.

Prob. 2.° ratione. Qui, prout potest et debet, non deserit occasionem proximam peccati mortalis, est in morali periculo Deum graviter offendendi : atqui est gravis obligatio vitandi ejusmodi periculum ; qui enim vult periculum proximum peccati mortalis, hoc ipso censetur velle peccatum in eo committendum, adeoque mortaliter peccat ; ergo. Hinc illud Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Quid ex illa obligatione hic concludendum est ?

eam dimittendo aut de proxima faciendo remotam;

R. Concludendum 1.° quod ubi quis advertit rem aliquam sibi esse occasionem proximam, seu involvere morale periculum peccati mortalis, sub gravi teneatur illam dimittere, vel saltem facere remotam, congruis mediis amovendo periculum morale cum ea conjunctum.

qui non vult, incapax est absolutionis et peccat.

Concludendum 2.° absolutionis incapaces esse illos, qui occasionem proximam peccati mortalis debito modo relinquere nolunt, cum gravem obligationem adimplere nolint, et careant proposito non peccandi de cætero. Unde versantes in occasione proxima, quam nolunt deserere, peccant tanto diutius, eo gravius, et in illa specie, quanto diutius in ea manent, et quo graviora, et in qua specie sunt peccata, quorum morali periculo se exponere pergunt ; idque in ordine ad confessionem et pœnitenti et confessario præ oculis habendum est.

Quotuplici modo occasio proxima deseri potest, et quonam ex istis modis deseri debet ?

Duplex modus eam deserendi : physice,

R. ad 1um. Duplici modo : absolute seu physice, et æquivalenter seu moraliter.

Absolute seu physice deseritur occasio, quando res quæ periculum adfert, reipsa deseritur aut vitatur ; v. g., si quis domo ejiciat personam sibi nimis periculosam, aut si ebriosus omnino abstineat ab ingressu tabernæ.

Æquivalenter seu moraliter deseritur occasio, quando res ipsa quidem absolute non dimittitur, sed debitis mediis removetur periculum morale seu formale, quod cum ea conjunctum erat, vel, ut dici solet, quando occasio proxima fit remota aut nulla ; v. g., si quis cum persona cohabitante non amplius conversetur in secreto, vel solus cum sola ; aut si ebriosus intret quidem tabernam, sed parum vel nihil amplius bibat. et æquivalenter, faciendo remotam.

R. ad 2um. Occasio proxima deserenda est absolute seu physice, nisi adsint quædam conditiones, ob quas licitum est aut sufficit tentare ut de proxima fiat remota, sive ut, re physice non relicta, periculum tamen morale ab ea separetur. Quando sit physice deserenda ;

Quænam sunt conditiones, ob quas, occasione physice non relicta, licitum est aut sufficit tentare ut de proxima fiat remota ?

R. Sunt hæ quatuor : quando sufficiat tentare ut fiat remota.

1.° Ut occasio de se non sit mala, ut per se evidens est.

2.° Ut adsit justa causa ; alias enim in ea manens censeretur amare periculum, adeoque velle peccatum ipsum : defectu hujus conditionis non licet pœnitentem relinquere in occasione proxima quæ oritur ex re vana aut inutili.

3.° Ut adsit spes boni eventus, seu fore ut pœnitens per media præscripta tentationes vincat et a peccato abstineat ; adeoque

4.° Ut pœnitens sincere paratus sit adhibere media opportuna.

Dum istæ conditiones adsunt, occasio non manet formaliter proxima, sed fit remota, et moraliter seu in æquivalenti relinquitur, quatenus morale seu formale periculum tollitur salutari remediorum usu.

Ad hanc rem, uti et ad intelligentiam auctorum, facit id quod habet S. Alphonsus, n. 452, ubi, facta divisione diversarum occasionum, periculum dividit in formale et materiale. « *Formale* est, inquit, illud, quod est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit, sive in peccatum consentiet ; et hoc periculum semper vitandum est. Intelligendum tamen hoc (ut bene advertit

Croix, lib. 5, n. 264), si periculum sit consensus, non simplicis tentationis, aut motuum. *Materiale* vero est illud, quod cum peccato non est proxime conjunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis et mediorum, quæ homo adhibet ad peccatum vitandum... prout evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellæ utique esset in occasione proxima peccandi, sed ratione necessitatis, et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, precum, protestationis de non consentiendo, bene poterit a culpa excusari ; quia tunc, divina adjuvante gratia, periculum fit remotum et materiale. »

1 Hic objici non potest hæc propositio damnata ab Innoc. XI : *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi ;* quia in casu a S. Auctore descripto, et in similibus, non quæritur directe occasio proxima, sed e contra adhibendo debitas cautiones, moraliter et formaliter fugitur, quatenus debitis cautionibus et remediis periculum jam non est formale, sed materiale.

Inter conditiones supra requisitas secunda est, ut adsit justa ratio seu causa ; unde petitur

Quænam sunt justæ causæ tentandi ut occasio proxima mutetur in remotam ?

Quænam censeantur justæ causæ,

R. Ejusmodi justæ causæ pro diversis circumstantiis sunt : impotentia physica occasionem deserendi, ut per se patet ; peccatum alias committendum vel periculum peccandi æquale aut majus incurrendum ; necessitas, vel bonum spirituale animæ, propriæ vel proximi ; item aliquando jactura temporalium, vitæ, famæ, aut bonorum fortunæ, etiam respectu proximi, vel communitatis.

Ut in particulari casu bene æstimetur justa causa, considerari et ponderari debent, hinc pondus justæ causæ, inde periculum peccati ex occasione, et spes seu verisimilitudo opportuno tentamine mutandæ occasionis e proxima in remotam. Nam dum levis est causa, aut periculum perseverans est nimis propinquum, non licet illud tentare, dum physicæ dimissioni occasionis non obstat physicum impedimentum. Dum nempe levis est causa, tunc præfato tentamini obstat hæc

propositio ab Innoc. XI damnata : *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Dum vero periculum cum occasione conjunctum, defectu spei fundatæ, manet nimis propinquum, ita ut periculum formale perseveret, hoc semper vitandum est, ut supra ex S. Alphonso dictum est, adeoque in eo manendi nulla est justa ratio : *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* inquit Christus, Matth. XVI, 26. 2

Quænam media præscribi possunt ut occasio proxima fiat remota ?

et quæ media tunc præscribenda.

R. Varia præscribi possunt juxta varia peccata quæ vitanda sunt ; unde attendi debet ad ea quæ dicta sunt N. 77.

Aliqua cum S. Alphonso, n. 455, præsertim contra peccata impudicitiæ modo recensentur : « 1.° Major oratio ; 2.° frequentior usus Sacramentorum ; 3.° quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi ; 4.° vitare ne versetur solus cum sola ; 5.° fugere ab aspectu complicis, et similia. » Porro si media prius præscripta fuerint ineffícacia, utpote imperfecte adhibita, perfectior eorum usus urgeri, aut etiam efficaciora, saltem quoad modum et circumstantias, præscribi debent.

N.° 93. Quomodo procedendum cum eo qui versatur in occasione proxima.

An aliquando absolvi potest pœnitens qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam, seu quam licite et sine gravi incommodo deserere potest ?

Absolvi non potest qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam,

R. Negative, sive illa occasio sit proxima per se, sive per accidens, sive continua, sive interrupta ; ut constat ex hac propositione 61ª ab Innoc. XI damnata : 3 *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

An aliquando absolvi potest pœnitens, qui occasionem proximam involuntariam seu necessariam, in qua mansurus est, recusat facere remotam debitis remediis ?

aut involuntariam facere remotam.

R. Negative, quia, dum id recusat, convincitur amare periculum cum occasione conjunctum, sicque peribit in illo.

Hæc et alia, quæ concernunt modum procedendi cum occasionariis, amplius innotescent ex dicendis in sequenti quæstione.

Quomodo procedet confessarius cum eo qui versatur in occasione proxima ?

Quomodo agendum cum eo qui est in occasione 1.° stricte involuntaria ;

R. 1.° Si occasio sit involuntaria seu necessaria, hæc est vel stricte, vel minus stricte involuntaria.

I. Si occasio sit stricte involuntaria, quam nempe pœnitens physice deserere non potest ob impedimentum physicum, vel ob impedimentum morale, puta quia occasionem relinquere non potest licite, vel non sine æquali vel majori periculo; tunc confessarius non debet ipsum cogere ad occasionem illam deserendam ; quia id ipsi physice aut moraliter impossibile est; ideo, ob occasionem, non debet confessarius ipsi negare absolutionem, sed sub spe emendationis potest ipsum absolvere, si aliunde contritus sit, et paratus adhibere media, quibus periculum formale desinat vel fiat remotum.

Casus occurrit in eo qui cum persona perversa carceri inclusus est ; in milite cui militiam deserere non licet ; in patre vel matrefamilias, quibus proles sunt occasio gravium irarum cum blasphemiis, sed qui illas derelinquere non possunt ; in mercatore, operario, etc., quibus mercatura vel opera præstanda sunt occasio gravis peccati, sed qui in iis persistere tenentur, quia sunt unicum medium alendi uxorem et proles christiane educandi.

2.° minus stricte involuntaria.

II. Si occasio sit minus stricte involuntaria, quam nempe pœnitens relinquere nequit sine notabili detrimento temporali in vita, fama, aut fortunis ; tunc etiam dicendum videtur , quod confessarius non debeat ipsum illico cogere, ut occasionem illam deserat, sed sub spe boni eventus ipsum absolvere potest, dummodo aliunde nihil deesse videatur ex parte doloris, propositi et promissionis de mediis adhibendis ut occasio de proxima fiat remota : id colligitur ex dictis N. 92 *de conditionibus ob quas licitum est,* etc.

Tales occasiones frequenter sunt famulatus,opificium, exercitium mercaturæ, officii, artis, conversatio cum puella ad matrimonium ineundum, etc.

Supradicti detrimenti gravitas a prudente confessario ponderanda est ex circumstantiis. Quod si speculativa ratio subtiliter ingerat, nullum temporale detrimentum hic satis grave esse posse, ut occasio proxima non deseratur, seu ut quis in ea maneat, tentando ut adhibitis mediis transmutetur in remotam ; probe consideranda est humana fragilitas in communi, quæ utique in particulares casus redundat, cujusque adeo secundum diversas circumstantias habenda est ratio, ut fert communior et sanior Doctorum sententia.

Ad hanc responsionem, sive æstimandam, sive complendam, legendam transscribimus sequentem S. Alphonsi, n. 455 et seq. sententiam : « 455. — Dubitatur 4.° an possint absolvi, qui sunt in occasione proxima necessaria ? Ut supra innuimus, illa quidem dicitur occasio necessaria, quæ non potest relinqui vel physice vel moraliter ; *physice*, nempe si quis esset in carcere aut triremi, a quo discedere non posset ; vel si esset in articulo mortis, in quo non haberet tempus vel modum expellendi amicam ; *moraliter* vero, nempe si occasio tolli non posset sine scandalo; in his casibus bene absolvi potest, occasione non sublata, cum non teneatur pœnitens tunc illam auferre. Sed hic dubium fit, an possit quis manere in occasione proxima, si aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama, aut fortunis ? Negat Merbesius.....et in parte consentit Wig.... Communiter tamen affirmant DD. non teneri pœnitentem occasionem dimittere , si aliter grave damnum temporale passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis præscriptis ; ita Nav. Sanch. Lugo.... et consentit Concina, si pœnitens ex dimissione occasionis deberet pati infamiam, aut gravissimum detrimentum. Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi ; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum et firmum propositum non relabendi, ac adhibendi debita remedia. Et quamvis præceptum vitandi occasionem proximam per se obliget ad non

permanendum in occasione, tamen illud intelligendum est obligare, cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero si maneat ex necessitate; moraliter autem hæc necessitas intervenit, quando sine magno detrimento aut incommodo nequit occasio dimitti; etenim tunc periculum formale et proximum opportunis adhibitis mediis ad non relabendum, fit materiale et remotum : non enim qui est in periculo, sed *qui amat periculum,* (ut dicitur in Eccles. 3) *peribit in illo;* non autem amat periculum, qui invitus subit.... »

« Hinc dicunt Sporer cum communi, Busemb., etc., quod ii qui ab officio, negotiatione aut domo in qua peccant, discedere nolunt, quia sine magna difficultate non possunt, absolvendi sunt,si sint parati remedia adhibere. Idem dicit Viva de chirurgis qui medendis mulieribus, et de parochis qui in excipiendis earum confessionibus pluries peccant, si aliter ipsi non possent vivere juxta suum statum. Vide dicta lib. 2, n. 63, vers. Quæritur. »

« 456. — Hæ sententiæ probabilissimæ sunt : verum in praxi omnes conveniunt expedire, ut iis, qui versantur in occasione proxima etiam necessaria , differatur absolutio. Imo, ut ego quid sentiam in hac re, ingenue dicam : nunquam absolverem eum, qui est in occasione proxima extrinseca (nam de intrinseca aliter infra loquar), præsertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commode differri posset....Quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi, et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. Et casu quo pœnitens prius admonitus ab alio confessario media præscripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri.... »

In illum textum S. Auctoris duo observamus : 1.° ibidem dictum esse *expedire,* non autem *necessarium esse ;* 2.° similiter provide dictum : *quando commode absolutio posset differri ;* putamus autem in uno loco vel tempore

minus frequenter, quam in alio, occurrere hujusmodi casus, in quibus absolutio *commode* differri posset.

Quomodo cum eo qui est in occasione voluntaria 1.° continua,

R. 2.° Si occasio sit voluntaria, quam scilicet pœnitens licite et sine gravi incommodo auferre potest, hæc est vel continua vel interrupta.

I. Si occasio voluntaria sit continua, seu *in esse*, debet confessarius pœnitentem, congrua instructione et adhortatione monitum, obligare ad eam deserendam, neque *regulariter* ipsum absolvere potest, nisi prius eam deseruerit.

Casus occurrit in eo v. g. cui persona cohabitans est occasio gravium rixarum, blasphemiarum, impudicitiarum, etc., et qui cohabitationem sine gravi detrimento aut incommodo abrumpere potest.

Ratio responsionis est, quia confessarius regulariter non potest, ut judex, prudenter judicare talem pœnitentem esse dispositum, quandoquidem ut suspectum haberi debeat propositum illius, qui cum ante confessionem sciret occasionem esse dimittendam et posset dimittere, reipsa non deseruit; et experientia constet hujusmodi proposita in tali casu sæpe fallere et de se esse inefficacia. Deinde confessarius, ut medicus, in tali casu regulariter judicare debet dilationem absolutionis esse necessariam ad præcavendum relapsum : dimissio enim talis occasionis communiter est res valde ardua, maxime si agatur de peccatis impudicitiæ ; adeoque pœnitentis infirmitas juvari debet a confessario per dilationem absolutionis, qua sæpe efficaciter movebitur, et sine qua ordinarie talem occasionem non amovebit.

Hinc circa casum in quo persona cohabitans est occasio gravium impudicitiarum, recte monent et fortiter inculcant plures auctores, vix aut ne vix unum qui mulieri cohabitanti aliquoties mortifere adhæsit, emendatum fuisse, nisi per separationem aut eventum quemdam extraordinarium.

Supra dictum fuit : *regulariter ;* quia aliqui casus excipiuntur :

1.° Quidem si pœnitens ostendat extraordinaria contritionis signa quæ suspicionem destruant, et permittant prudenter confidere, fore ut occasionem statim auferat juxta præscriptum confessarii ; præsertim si

absolutio commode differri non possit. Cfr. S. Alphonsus, n. 454.

2.° Si pœnitens non possit redire ad confessarium, vel non nisi post longum tempus, et prudenter judicari possit eum habere firmam voluntatem occasionem tollendi statim ac poterit ; tunc enim confessarius, nec ut judex, nec ut medicus absolutionem differre potest, quandoquidem pœnitens supponatur dispositus, et adsit sufficiens necessitas : non enim tamdiu relinqui potest in statu peccati mortalis, neque etiam remitti debet ad alium confessarium, cum nimis onerosum foret peccata iterum confiteri apud alium, ideoque forte id negligeret. Supponitur tamen quod pœnitens necdum admonitus fuerit de obligatione statim amovendi occasionem ; si enim fidem antea datam fregisset, illius dispositio inde dubia fieret. Cfr. S. Alphonsus, ubi supra, et *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 5.

3.° Si pœnitens versetur in loco tam longe distante ab occasione, puta ab amasia, concubina, etc., ut non possit eam removere ante absolutionem , et serio doleat ac promittat eam removere statim ac poterit, nec antea fidem fregerit.

4.° Si pœnitens non apprehenderit occasionem esse proximam, sibique incumbere gravem obligationem eam statim dimittendi, fieri posset ut hæc circumstantia , cum reliquis dispositionis signis conjuncta confessarium merito permoveat, ut eum etiam prima vice absolvat, antequam dimittat, non secunda, si non dimiserit.

5.° Si pœnitens sit in periculo mortis, nec tempus aut modus occasionem dimittendi suppetat ; tunc enim occasio eatenus fit necessaria.

2.° interrupta. II. Si occasio voluntaria sit interrupta , qualis est frequentatio popinæ, chorearum, etc., quæ cum gravi lapsu identidem locum habet, debet confessarius talem occasionarium obligare ut illam occasionem deserat seu non amplius frequentet ; quod si sincere promittat, et aliunde nihil obstet, absolvi potest. Utrum nihilominus in hoc vel illo casu melius sit absolutionem aliquantisper differre , id ex circumstantiis colligendum est; quemadmodum alias in universum observatum

fuit, confessarium, ut medicum, debere attendere, antequam absolutionem differat, an commode et utiliter differri possit.

Cum hic agatur de occasione voluntaria et interrupta, in quantum est interrupta, deseritur abstinendo ab ea adeunda seu frequentanda ; et in quantum est voluntaria, non dat justam rationem tentandi, ut ulterius frequentanda, de proxima fiat remota : igitur pœnitens simpliciter obligandus est, ut talem occasionem adire seu frequentare desinat. Quando autem occasio est interrupta seu absens, facilius sperari potest fore ut deseratur, quam ubi est continua seu præsens, quia occasio interrupta per se minus allicit, quam continua, et facilius est ab absente abstinere, quam a præsente recedere.

Quomodo, si occasio sit in re de se mala.

R. 3.° Si occasio sive continua, sive interrupta, consistat in re de se mala, qualis est licentiosa conversatio cum perversis, turpiloquium, etc., evidens est, quod teneatur confessarius cogere pœnitentem, ut talem occasionem omnino deserat aut non amplius frequentet ; in vanum promitteret pœnitens eam facere remotam, cum non tantum sit occasio aliorum peccatorum, sed ipsa etiam in se mala sit.

An et quoties absolvi potest pœnitens cui confessarius permisit tentare ut occasio proxima fiat remota, si, adhibitis remediis, equidem relapsus sit ?

Absolvi potest qui tentavit occasionem facere remotam et relapsus est, si spes emendæ supersit ;

R. ad 1um. Si sinceram contritionem de relapsu ostendat, et spes supersit fore ut, adhibitis efficacioribus mediis, a peccato abstineat, iterum absolvi potest.

Hæc vero spes præcipue adest, si mediis præscriptis serio usus fuerit, ac numerum peccatorum diminuerit, etiamsi hinc inde aliquid de remediis præscriptis omiserit, et ex infirmitate relapsus sit ; confidere enim licet fore ut, gratia Sacramenti iterum confirmatus, tentationes superet ac plene emendetur.

Billuart ita resolvit : « Si vix aut ne vix emendatus redeat, adhibitis tamen remediis, urgentiora præscribat (confessarius et iterum absolvat ; at si tandem, sive adhibitis, sive neglectis, nulla aut vix ulla sit emendatio, non obstante quovis incommodo, non absolvatur prius quam occasionem deseruerit. »

quoties. R. ad 2um. Quoties occasionarius, qui præscripta media adhibuit, attamen aliquoties relapsus est, absolvi possit, difficile est determinare ; rectius dici videtur cum Henno : « Si semel aut bis non se emendaverit, differri debet absolutio, donec appareat emenda aut totalis aut saltem notabilis ; nisi certe adessent signa doloris extraordinaria, aut necessitas ad aliud urgeret. » Res igitur decidenda est prudenti judicio confessarii, qui tandem, omnibus incassum tentatis, et deficiente spe emendationis, talem occasionarium non amplius absolvet, sed urgebit ut occasionem absolute dimittat ; hic enim urgent Christi verba, Matth XVIII, 9 : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te...*

S. Alphonsus, n.457, hanc quæstionem proponit : « An qui in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, *semper eodem modo* relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat? » Et respondet : « Prima sententia, quam tenet Lugo,.. dicit, posse eum absolvi toties quoties, modo habeat sufficientem dolorem et propositum. (Advertit tamen Lugo, quod, cum aliquis semper immediate post confessionem facile recidit, is censetur carere vero dolore et proposito, et ideo non absolvendus). »

« Secunda sententia tamen verior, quam tuentur Busemb , Ronc.,... et alii cum Croix, qui vocat veram, tenet, hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitæ, si opus sit, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio, quia homo tenetur cum omni jactura vitare periculum proximum peccati formalis. Et licet aliquando ob justam causam possit permitti periculum peccati, nunquam tamen potest permitti peccatum ; cum autem nulla spes apparet emendationis , periculum utique fit formale , et a peccato sejungi non potest, et ideo omnino est vitandum cum quocunque damno temporali etiam vitæ. Hic enim currit illud Marc. IX, 46 : *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Et aliunde, Luc. IX, 25: *Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat ?...* »

« Secus vero dicendum cum Holzm.... et aliis communissime, si in præsenti hujusmodi pœnitens afferat extraordinaria signa doloris ; tunc enim jam effulget spes emendationis. »

N.° 94. De occasionibus quibusdam proximis sæpius occurrentibus.

Inter ea ex quibus hujusmodi occasiones sæpius oriuntur, hæc quinque recensemus : 1.° conversationem personarum utriusque sexus intuitu aut prætextu futuri matrimonii, quæ procatio vocari solet ; 2.° frequentationem tabernarum ; 3.° certos conventus personarum utriusque sexus, maxime si choreæ ducantur ; 4.° spectacula theatralia ; 5.° cohabitationem in certis circumstantiis.

De singulis hic quædam observamus, quanquam, ut in plurimis, judicium potissimum relinquendum sit prudentiæ confessarii, cujus est applicare regulas sive principia, habita ratione circumstantiarum pro diversitate personarum, locorum et temporis.

I. De occasione proxima, quæ oritur ex procatione. 1.° De occasione proxima ex procatione.

Procatio non est de se illicita : sic enim ordinatur ad legitimum ac conveniens matrimonium ineundum, ad discernendum an personæ sibi invicem conveniant quoad indolem, capacitatem, etc.

Procationes tamen inter personas juniores et minus timoratas facile offerunt periculum peccandi contra castitatem, maxime ubi incipit intercedere major familiaritas ac libertas, et appropinquat tempus matrimonii. Quocirca S. Alphonsus, *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 3, tria monita tradit.

Primo de illis agens, qui proxime inituri sunt matrimonium, sic loquitur : « Caveant confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere ; quia raro evenit quod tales sponsi non labantur saltem in verba aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione.. » Monita S. Alphonsi.

Secundo de illis qui simul conversantur sine intentione proxime matrimonium contrahendi, sic ait : « Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis

qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet ; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in ea occasione a mortalibus inveniuntur immunes ; et si non in principio, saltem in progressu. Tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat et eos in mille crimina ruere facit. »

Tandem adjicit hoc monitum : « Ubi agitur de periculo peccati formalis, et præcise peccati turpis, confessarius quanto magis se rigorosum cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit ; et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. »

Emin. vero Gousset, *De Pœnit.*, n. 566, loquens de primo monito quod nupturientes respicit, dicit suo judicio, illud in Gallia (et idem dicendum videtur in Belgio) in praxim deduci non posse, sed in his morum et consuetudinum locorum rationem habendam esse, nec adeo inquietandos esse juvenes et puellas, qui intuitu matrimonii se interdum invisunt, dummodo conversationes fiant cum consensu et in præsentia parentum. Adfert deinde verba Roncaglia a S. Alphonso etiam allata : « Non est neganda absolutio juveni et puellæ, qui aliquo tempore se invisunt animo matrimonium contrahendi ; nemo enim tenetur ducere personam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri, quibus moribus alter sit præditus. » His prænotatis, petitur :

Ad quid præsertim attendet confessarius, dum juvenes et puellæ confitentur, se occasione procationis in cogitationes, verba, tactus graviter malos incidisse ?

Quomodo procedendum cum iis qui hac occasione peccaverunt contra castitatem.

R. Confessarius imprimis inquiret numerum lapsuum aliasque circumstantias, ut dijudicet an occasio sit proxima ; deinde, quo fine revera fiat conversatio : si deprehendat eam fieri ob finem malum aut vanum ac inutilem, hujusmodi conversatio interdicenda est ; quia ob peccata commissa et defectum justæ causæ timeri

debet, ne occasio sit aut perseveret esse proxima. Si vero conversatio fiat ob finem bonum et honestum, puta ad matrimonium ineundum et res eo spectantes convenienter ordinandas, prudentia dictare poterit, ut sub debitis cautelis toleretur ; quia potest esse casus, in quo cum spe emendationis tentare liceat, ut occasio de proxima fiat remota, et absolutio semel aut pluries dari possit, secundum adjuncta.

Ut vero apta remedia præscribi valeant, sedulo inquirenda est radix peccatorum : quandoque enim deprehendetur, quod causa peccatorum fuerit circumstantia aliqua specialis, ut conversatio diutius protracta, tempus vespertinum, absentia testium, etc. ; quibus casibus injungendum est, ut illas circumstantias evitent.

Sollicite quoque investigandum, an finis honestus vel intentio ineundi matrimonium vere subsistat ; cum nulla quandoque illius sit spes verisimilis aut apparentia ; quo casu alloquium periculosum, utpote inutile, saltem ad tempus interdicendum est ; idque præcipue fieri debet, si parentes sint inviti, quia inde etiam potest fieri illicitum.

An absolvi possunt juvenis et puella, qui vixerunt in occasione proxima peccatorum impudicitiæ, et fidem confessario datam pluries fregerunt, sed jam contracturi sunt matrimonium ?

Quid si jam sint matrimonium inituri.

R. Absolvi possunt, si videantur vere conteri de peccatis commissis ; ratio est, quod occasionem proximam absolute jam deserant ; ineundo enim matrimonium efficaciter tollunt peccandi periculum, maxime si matrimonium ineant eo fine, ut peccatis finem imponant. Confessarius autem curare debet, ut eos ad debitum doloris ac pœnitentiæ sensum excitet ; et si demum de debita eorum dispositione dubitet, absolutionem tantisper differre debet, nisi adsit urgens necessitas spiritualis, quæ ad dandam absolutionem inclinet.

Quid si præfati versentur in occasione proxima aliorum peccatorum, ut perjuriorum, ebrietatum, furtorum, vel horum peccatorum consuetudinem habeant ?

Quid si isti vixerint in occasione

R. Inquiri et attendi debet, an cum mutatione status sperari possit mutatio vitæ, v. g., an occasione matrimonii non sint mutaturi domicilium, sicque relicturi

aut consuetudine aliorum peccatorum.

locum aut personas quæ occasionem afferebant ; an maritus ob consortium uxoris magis piæ vel morigeræ non sit relicturus occasionem aut consuetudinem, etc. : quo casu per matrimonium indirecte tolletur periculum, ac ideo eodem modo procedi poterit ac in casu quæstionis præcedentis. Si vero talis mutatio ex matrimonio sperari non possit, absolutio concedi non potest, nec permitti matrimonium, donec appareant sufficienter dispositi ; nisi forte ex speciali confessarii cura et industria jam accedant signa extraordinaria, aut ita saltem dubitetur, ut hic etiam, ob necessitatem spiritualem pœnitentis, eum absolvere liceat.

Nota. Quando in prædictis casibus confessarius cogitur differre absolutionem, objicere solent, se absque detrimento famæ matrimonium differre non posse ; tunc autem adjuvabit pœnitentem suggerendo media evadendi infamiam circumstantiis maxime accommodata. Si nolint acquiescere, et dicant se ad matrimonium processuros, omni conatu eos deterrere debet a sacrilegio, et adhortari, ut prius se cum Deo reconcilient, ac alium etiam, si velint, confessarium adeant, etc.

Pro majori elucidatione addimus verba Steyaert in *Append. de administ. Sacram. Matrim.*, n. 7 : « Conjugandorum dispositio ac præparatio ad Sacramenta suscipienda facilior solet esse quam aliorum. Mirum id videbitur, sed tamen verum est. Ratio præcipua hæc est, quod matrimonium incundo ordinarie evadant plurimas peccatorum occasiones, non solum in impuritatis materia, sed etiam plurium ejusmodi vitiorum, ut ebriositatis, prodigalitatis, dissolutionis, etc., quibus solet succedere cura familiæ aliaque negotia. Porro notum est, eo facilius peccatorem ad pœnitentiam et bonam frugem disponi, quo minores peccandi occasiones in posterum habiturus est impugnandas. Quemadmodum vero facilior hæc dispositio esse solet, ita etiam sæpe non debet esse tam magna et evidens, ut deberet esse extra casum incundi matrimonii ; urget enim non raro necessitas, cum temporalis, tum maxime spiritualis, ob quam de rigore multum remittere oporteat. »

2.° De occasione

II. De occasione proxima, quæ oritur ex frequentatione tabernarum.

Ad quid specialiter attendet confessarius, dum pœnitens confitetur, se frequentando tabernas pluries fuisse ebrium, aut aliter, puta blasphemiis aut turpiloquiis, peccasse? proxima ex frequentatione tabernarum.

R. Specialiter attendet, an hæc occasio modo habenda sit ut proxima ; an adsit aliqua justa causa in ea permanendi : si non adsit, frequentatio interdici debet, nec absolutio dari potest, nisi pœnitens firmiter statuat hujusmodi occasionem proximam relinquere ; si autem adsit justa causa ex variis circumstantiis ponderanda, cum spe emendationis tentari hic etiam potest, ut occasio fiat remota.

Inter remedia opportuna hæc recenseri possunt : ut non nisi certam determinatamque mensuram bibat ; æquale vel duplum illius quod expendit, det pauperibus ; singulo vesperi sincerum dolorem et propositum eliciat, et mane speciatim oret ut a peccato præservetur.

Hic in perquirenda radice peccatorum, diligenter advertendum erit, ex quo provenerit, quod certis vicibus peccaverit et non aliis : quandoque enim deprehendetur malum provenisse ex peculiari quodam adjuncto, quod si evitetur, periculum cessabit. Ita si lusus chartarum fuerit occasio blasphemiarum aut rixarum, satis erit illum interdicere.

III. De occasione proxima quæ oritur ex conventibus personarum utriusque sexus, maxime ex choreis. 3.° De occasione proxima ex choreis aliisque conventiculis utriusque sexus.

Conventus personarum utriusque sexus, recreationis causa, non sunt de se illiciti, atque ita consanguinei et amici licite convenire possunt, ut honestis ludis, cantu, musica, sese recreent ; aliquando tamen, ratione accidentium, ejusmodi conventus plus minusve culpandi sunt ; quinimo aliqui, quibusdam in locis, ob manifesta pericula et præsentissima mala, castitati maxime infesta, graviter reprehendendi sunt, uti religiosis doctissimorum virorum voce et scriptis reprehensi fuerunt.

Choreas ducere de se etiam illicitum non est, ut Benedictus XIV, *Instit. 76*, et S. Franciscus Salesius, *Introduct. ad vitam devotam*, part. 5, cap. 32, observant; sæpe tamen, imo aliquando et ipsæ quæ in privatis familiarum cœtibus fiunt, periculosæ sunt, ob prava accidentia illis conjuncta, alicubi illa ipsa, quæ paulo supra de aliis quibusdam conventibus asserta sunt. Hinc iidem

Benedictus et S.Salesius, cit. loc., cum S. Carolo Borromæo, in Conc. prov. III, graviter reprehendunt atque insectanda volunt, choreas, saltationes ac tripudia, ea nempe, e quibus mortiferæ cupiditates, aliaque peccata gravia consequuntur.

Præcipua difficultas versatur circa conventicula publica, in quibus personæ utriusque sexus et omnis conditionis, maxime juniores conveniunt, atque ad sonum instrumentorum viri cum mulieribus saltitant, bibunt et mutua conversatione sese recreant. Itaque de istis conventiculis præcipue publicis petitur :

Quid de hujusmodi conventiculis dicendum est ?

Quid de illis, præcipue de publicis, dicendum.

R. 1.° Conventicula ista, si fiant debito tempore, loco, honesto fine et modo, non debent culpari, saltem de mortali. Id sequitur ex prænotatis.

2.° Assistere choreis honestis ex quadam necessitate, v. g., ex urgente parentum voluntate, aut ex quadam sui status decentia, imo absque necessitate, secluso gravi periculo ac notabili scandalo, easve decenter ducere, non est peccatum grave, et facile etiam, ut addit Gury, ab omni peccato vacare potest.

3.° Choreæ inhonestæ ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum, sunt semper graviter illicitæ, adeoque fugiendæ ; id exigit ordo rationis et cura salutis.

4.° Conventicula prædicta, ut vulgo fiunt, ordinarie pro multis sunt occasio proxima peccati mortalis : ratio est, quod ordinarie, si spectentur connexa cum illis antecedentia et consequentia, tales sint circumstantiæ, ut pro multis adsit morale periculum graviter peccandi, præcipue contra castitatem, sive interne, sive etiam externe. Periculum Deum ibi graviter offendendi eo majus est, quo plures circumstantiæ malæ concurrunt, v. g., quod ibi conveniant personæ improbæ, libidinosæ, etc.; quod conventus locum habeat vesperi et de nocte; quod saltationes lascivæ, sermones obscœni, copiosa libamina cerevisiæ aut vini locum habeant ; quod accedens ad libidinem pronus sit, etc. E contra minus esse poterit, si pauciores circumstantiæ malæ adfuerint ; imo fieri potest, ut sub certis cautelis periculum fiat remotum respectu timorati, et ideo supra dictum est : *ordinarie pro multis.*

Exinde sequitur, quod ubi spes adest conventicula chorearum e parochia eliminandi, allaborari debeat ut eo pertingatur. Ordinarie vero plus proficiet parochus, si choreas non nimis directe e cathedra impuguet, sed magis generatim loquatur de gravi ratione quam Deo reddituri sunt qui aliis occasionem præbent peccandi, in domo sua peccata permittunt ; deinde ostendat necessitatem fugiendi pericula peccatorum, etc. Observatio practica.

« Si vero nulla detur spes choreas de medio tollendi, ait III. Bouvier, *Dissert. in sextum præceptum*, ut frequentissime contingit, nimia severitas saluti animarum nocebit; multi enim arbitrantes hæc oblectamenta esse licita, aut non graviter illicita, ab eis penitus abstinere nolunt ; confessionem, Eucharistiam, conciones sacras deserunt; nullo fræno amplius retenti in teterrima omnis generis ruunt flagitia, etc. » Similiter sentit Emin. Gousset, *In Decal.*, n. 651. In hoc igitur casu satis erit si parochus satagat pericula peccatorum minuere, laborando ut choreæ locum non habeant temporibus pœnitentiæ, tempore divinorum officiorum, nec protrahantur in noctem ; nunquam juvenis solus cum sola domum revertatur, maxime ubi per vias desertas aut solitarias eundum est.

In confessionali autem, pœnitens qui se accusat de frequentatione chorearum, aut peccatis ea occasione commissis, prudenter interrogandus est, ut dignoscatur an respectu ipsius sit occasio proxima , ac deinde procedendum est juxta regulas ante traditas. Severius autem, quantum prudentia sinit, agere oportet cum illis, qui ista conventicula fovent, in domo sua permittunt, aut aliter iis cooperantur.

IV. De occasione proxima quæ oritur ex spectaculis theatralibus. 4.° De occasione proxima ex spectaculis.

Quid sentiendum est de frequentatione spectaculorum theatralium ?

R. 1.° Spectacula theatralia non sunt de se mala ; sed de illis dicendum est, quod S. Thomas, 2ª 2æ, quæst. 168, art. 3, ad 3, dicit de ludis comicis : *Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum ; nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est, non utendo aliquibus* Quid de spectaculis sentiendum ;

illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis.

Si ergo spectacula nec rei repræsentatæ turpitudine, nec gestuum, verborum, aut aliarum circumstantiarum inhonestate vel improbitate vitiata essent, nullatenus reprobanda forent.

2.° Pleraque spectacula, quæ hodiedum in theatris publicis exhibentur, sunt graviter mala ; plerumque enim occurrunt comœdæ aliæque personæ minus honeste vestitæ, repræsentantur actiones malæ, recitantur vel cantantur illicita, impia, obscœna, perversæ passiones et cupiditates excitantur, aliæque vulgo concurrunt circumstantiæ, quæ assistentibus periculum gravis peccati afferunt.

quid de iis qui illa frequentant ;

Igitur graviter peccant qui talia spectacula exhibent, qui ea fovent per subscriptiones ; item qui eis promiscue assistunt.

Hinc S. Carolus Borromæus in Conc. prov. III. sic statuit : « Publicorum peccatorum illecebras, quas homines, depravatæ consuetudinis errore decepti, pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendat... spectacula, lubricasque res id generis quæ ab ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque christianæ adversantur, perpetuo detestabitur. Demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in christianum populum emanare. In quam sententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ viri gravissimi, Tertullianus, Cyprianus martyr, Salvianus et Chrysostomus afferunt. »

Dictum est graviter peccare qui spectaculis modernis *promiscue* assistunt ; quia si quis illis tantum assisteret, in quibus sciret aut prævideret nihil graviter perniciosi exhibendum et nullum periculum perversionis se subiturum esse, is eo ipso non peccaret mortaliter.

Imo S. Alphonsus, lib. 4, n. 427, loquens de comœdiis turpibus dicit : « Non damnarem de mortali simplices spectatores, præciso periculo turpis delectationis, sine quibus comœdia etiam fieret ; isti enim neque essent causa illius turpis repræsentationis, quia non positive in illam influerent, neque occasio, quia, ut supponitur, etiam sine ipsis comœdia ageretur. Excipe clericos et

religiosos, qui non possunt ibi interesse sine gravi laicorum scandalo. Sic enim recte docet Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. 11, cap. 10. Excipe etiam laicos, sine quibus comœdia non fieret. Nullo autem modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate vellet curiositatis causa hujusmodi comœdiis interesse, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries esset expertus, se illas spectando nunquam lethaliter peccasse; modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non præberet hujusmodi turpibus repræsentationibus assistendi.»

Emin. Gousset, *In Decal.*, n. 646, dicit, quod si res repræsentatæ non sint notabiliter turpes, nec modus repræsentandi mores graviter offendat, veniale tantum sit peccatum iis assistere sine legitima causa, et ab omni peccato excusat eos, qui ex aliqua justa causa assistunt, ut si assisteret mulier conjugata, ne marito imperanti displiceat, filius aut filia, ut patri obediat, dummodo contra periculum sufficienter sese præmunire studeant.

Quid judicandum de comœdis, qui, ut solent, omnibus promiscue spectaculis etiam malis cooperantur?

quid de comœdis.

R. Eos graviter peccare, nec absolvi posse, nisi professioni suæ renunciare statuant.

Attamen in periculo mortis, in quo extrema nonnunquam tentanda sunt, si, considerata talium dispositione, periculosum esset absolutam renunciationem urgere, sufficere posset id quod suggerit Em. Gousset, quod nempe declarent, se, si convalescant, obtemperaturos mandato Episcopi; qui, si casus postea ad ipsum deferatur, omnibus consideratis, dijudicet, an renuntiatio absoluta necessaria sit, an vero sub certis cautelis aut conditionibus aliquid ad tempus indulgeri possit.

5.° De occasione proxima ex cohabitatione.

V. De occasione proxima quæ oritur ex cohabitatione.

Non infrequenter occurrunt casus, ut experientia constat, in quibus in eadem domo habitantes sibi invicem præbent occasionem gravium peccatorum, rixarum, detractionum, impudicitiarum, etc. Casus omnes describere et principia sufficienter exposita singulatim applicare, nimis longum foret. Cæterum principiorum modo expositorum habitualis scientia, aut studiosa eorum recordatio cum sedula adjunctorum in casibus particularibus consideratione, nonnunquam illico ostendent,

cohabitantes, ne animæ suæ detrimentum patiantur, separandos esse, vel ex eo quod talis cohabitatio, licet de se honesta, cum formali periculo nimis propinque et permanenter conjuncta sit, vel ex eo quod, cum ab una parte occasio proxima sit, ab alia parte nulla adsit justa causa in ea permanendi, atque ita sit et maneat voluntaria. Porro etiam notum est, ab aliquibus, puta famulis aut ancillis, ut in occasione, quam amant, permanere possint, afferri meros prætextus, non veras rationes, ex quibus judicari possit occasionem aliquo modo esse involuntariam. Interim circa quosdam casus hic petitur :

Ad quid speciatim attendet confessarius, 1.° si maritus vel viduus et consanguinea uxoris quam in domum recepit, 2.° si filiusfamilias et ancilla, 3.° si famulus et ancilla sint sibi invicem occasio peccatorum mortalium contra castitatem ?

Casus particulares.

R. 1.° Attendet confessarius ad numerum peccatorum aliasque circumstantias, ut discernat, an prædicta occasio sit modo proxima et perduret ; an vel ipsa sola cohabitatio afferat periculum, an vero potius aliqua specialis circumstantia, ut voluntaria et inutilis conversatio aut commoratio in certo loco, quæ certo interdici et vitari debet; an peccata commissa fuerint potissimum interna, aut fere ex parte unius tantum ; in hoc enim casu major spes affulget occasionem per media opportuna faciendi remotam.

2.° Attendet an et qua ratione occasio sit involuntaria : quocirca attendendum, an v. g. consanguinea, prævio contractu cum bona fide in domum recepta vel retenta, aut sine injustitia, aut sine æquali aut majore periculo dimitti non possit ; tunc enim applicari posset responsio 1ª data N. 93 ad I. Demum, uno verbo, attendendum, an gravissima quædam difficultas circa vitam, honorem aut bona fortunæ, in præsentibus circumstantiis non constituat veluti moralem impossibilitatem occasionem talem physice deserendi, adeoque justam efficiat causam in ea saltem ad tempus permanendi, utpote aliqua ratione involuntaria, cum spe divini auxilii et emendationis ; quocirca cfr. responsio supra cit. ad II.

In casu petitionis secundo et tertio, multum juvare

posset ad emendationem, si pœnitens complici serio declaret, quod rem patri vel hero denuntiaturus sit, si ipsum adhuc sollicitet ut peccato consentiat ; sæpe enim ex timore peccatum præcavebitur.

Ad hæc quidem et similia attendet confessarius ; at dum casus valde intricati sunt, in his angustiis ultimatum consilium est, confugere ad Deum pro assistrice sapientia, ne in tanti momenti negotio excedat confessarius austeritate aut indulgentia.

N.° 95. De illis qui quinto loco designantur in Rituali ut incapaces absolutionis.

Quosnam Rituale intelligit, dum dicit absolutionis incapaces esse : qui alio modo peccata relinquere, et vitam in melius emendare nolunt ?

R. Intelligit illos, qui quidem odia et inimicitias non fovent, nec in occasione proxima culpabiliter manere volunt : hos enim cum quibusdam aliis modo designaverat ; sed qui aliud quodcunque peccatum mortale relinquere et vitam in melius emendare nolunt. Tales sunt qui interrogati num grave peccatum quod confessi sunt, omittere velint, candide fatentur, se non omissuros aut omittere non posse ; qui quidem se omissuros dicunt, sed noscuntur id serio non velle, quia recusant media adhibere ad hoc necessaria ; qui idem affirmant, sed fidem non merentur, vel quia tam debiliter affirmant ut nec sibi ipsis credere videantur, vel quia inter certi generis recidivos aut consuetudinarios non emendatos recensendi sunt. Ut hi postremi facilius discernantur, inservient subsequentes NN.

Non sunt absolvendi qui vitam emendare nolunt.

N.° 96. Quinam vocentur relapsi, recidivi, consuetudinarii.

De istis hic agitur, prout in rigore ab invicem distinguuntur, et relate ad peccata mortalia ; de istis enim relate ad venialia actum est N. 29.

Quisnam dicitur simpliciter relapsus *in peccatum?*

R. Qui idem peccatum bis vel pluries commisit ante perceptam remissionem.

Quis sit relapsus,

Quisnam dicitur recidivus *?*

recidivus, R. Qui post confessionem in idem peccatum relapsus est.

Voces *relapsus* et *recidivus* apud grammaticos idem quidem significant, a theologis tamen secundum præcedentes descriptiones distinguuntur. Quod si, ut non raro contingit, per relapsum intelligendus veniat recidivus, ut hic supra descriptus est, id ex subjecta materia dignoscendum est.

Quisnam dicitur consuetudinarius, *seu* habituatus in peccato *?*

consuetudinarius. R. Qui peccatum sæpius iterando contraxit specialem propensionem fortiter inclinantem ad illud committendum.

Unde *consuetudo* seu *habitus* peccandi est specialis propensio et facilitas ad committendum aliquod peccatum, ex iteratione illius contracta.

Dictum est : *sæpius iterando*, item : *ex illius iteratione ;* quia licet in rigore consuetudo contrahi possit ex uno actu, non solet tamen provenire nisi ex repetitis actibus.

Ex datis definitionibus patet : 1.° aliquem posse esse recidivum et non consuetudinarium, si scilicet post absolutionem in pristinum peccatum recidat, quin illius habitum contraxerit ; 2.° aliquem posse esse consuetudinarium et non recidivum, si nempe necdum fuerit absolutus a peccato cujus consuetudinem contraxit ; 3.° aliquem posse esse consuetudinarium et recidivum simul, ut si habens consuetudinem, accepta absolutione, in consuetum peccatum recidat. — Non caret utilitate assignare ulteriorem differentiam in sequente quæstione.

In quibus consuetudinarius et recidivus differunt ?

Differentia inter consuetudinarium et recidivum, R. Differunt in sequentibus : 1.° Quod consuetudinarius habeat specialem propensionem ad committendum peccatum cujus consuetudine irretitus est ; recidivus autem non habeat nisi propensionem communem, quæ ex peccato originali inhæret, juxta verba Gen. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quo tamen recidivus frequentius peccatum committit, eo magis ordinarie ad illud fit pronus, ita quidem ut tande[illegible]suetudinem contrahat.

2.° Quod consuetudinarius, nisi specialiter sibi caveat, majori periculo peccandi exponatur quam recidivus, atque adeo confessarius, ut medicus, pro illius emendatione magis sollicitus esse debeat.

3.° Quod dum consuetudinarius efficaciter retractavit consuetudinem, relapsus ejus minus arguat defectum firmi propositi, quam relapsus recidivi. Ob propensionem enim, quæ non obstante retractatione consuetudinis in conversis naturaliter permanet, magis fragilis est, utpote continuo quasi stimulo seu tentatione ad peccatum impulsus.

Notandum etiam pro praxi, ipsas quoque consuetudines inter se differre : una enim magis inveterata est, adeoque difficilius vincitur, quam altera ; una versatur circa peccata magis adhæsiva, ut sunt quædam peccata carnis, quam altera, etc.

Quænam differentia inter consuetudinem et occasionem proximam pro praxi præcipue attendenda est ?

inter consuetudinem et occasionem proximam.

R. Hæc præcipue notanda est differentia, quod consuetudinarius facilius absolvi possit antequam consuetudinem extirpavit, quam occasionarius antequam occasionem deseruit, ut colligi potest tum ex ante dictis et dicendis, tum maxime ex his verbis S. Alphonsi, n. 464 : « Alio quidem longe diverso modo impellit occasio extrinseca, quam pravus habitus ; occasio enim per objecti præsentiam, quæ vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus pronos ad peccandum, affectumque ad peccatum reddit intensiorem ; et ideo pœnitens maximam sibi vim inferre debet, non soluni ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum, ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicis ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo, cum non habeat objectum extrinsecum præsens, non ita utique sicut occasio ad peccandum impellit ; unde fit, ut pœnitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Præterea, cum pravus habitus sit quid intrinsecum et inseparabile a persona, extirpatio habitus minus quam remotio occasionis, pendet a propria voluntate ; et ideo magis sperandum, fore ut Deus bonam voluntatem per majora auxilia adjuvet ad perseverandum. »

Quandonam in praxi pœnitens censendus est consuetudinarius seu habituatus ?

Consuetudo unde dignoscatur.

R. Non potest hoc generali regula præcise determinari ; igitur confessarius, in quantum hæc determinatio, ultra notitiam de statu pœnitentis accurate comparatam, utilis esse posset, tum ex numero lapsuum, tum ex natura peccati, tum præcipue ex modo quo pœnitens relapsus est, judicare debet, an contraxerit habitum, necne. Aliqui, ut recte advertit Collet, ex paucioribus actibus plus ad certum peccatum contrahunt facilitatis, quam alii qui illud sæpius commiserunt. Unde nec semper habendus pro consuetudinario, qui pluries in certo genere deliquit, nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater tantum peccare incœpit. Deinde peccata quæ cogitatione aut verbo fiunt, ex se facilius committuntur, quam quæ opere patrantur, nec adeo illorum iteratio tam cito supponit habitum. S. Alphonsus, in *Praxi conf.*, n. 70, dicit : « Advertatur hic, quod quinque vices in mense jam possint malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat ; et in materia fornicationum, sodomiarum... multo minor numerus habitum queat constituere : qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest. »

N.° 97. An recidivi et consuetudinarii absolvi possint.

Nota 1.° Non agitur hic de relapsis simpliciter, qui nempe peccatum, quod prima vice confitentur, bis aut pluries commiserunt, quin eorum habitum contraxerint ; manifeste enim absurdum foret dicere, quod hujusmodi peccatoribus, cum ordinaria dispositione accedentibus, absolutio necessario vel communiter differenda sit. Cæterum quod contingere possit, ut disposito ad aliquod breve tempus utiliter differatur absolutio, jam ante satis dictum fuit.

2.° Quamvis recidiva et consuetudo seu pravus habitus eo tendant, ut dispositionem pœnitentis aliquatenus incertam aut suspectam reddant, non tamen per se certo probant dispositionem ejus esse insufficientem.

Unde ad plura, puta ad causam, numerum ac tempus lapsuum, et præsertim ad diligentiam vel neglectum in remediorum usu attendere debet confessarius, ut patebit ex dicendis.

3.° Per se perinde est sive recidivus vel consuetudinarius eidem confessario confiteantur, sive alteri; quia est idem tribunal Christi. Dum ad alterum accedunt, hic, quatenus opus est, inquirere debet, quid apud alium peractum fuerit.

His prænotatis, petitur:

An sine dilatione absolvi potest consuetudinarius qui prima vice contractam consuetudinem confitetur?

An absolvendus sit consuetudinarius qui prima vice confitetur.

R. Generatim affirmative, etiam cum signis contritionis ordinariis, quibus scilicet non obstat positiva præsumptio in contrarium.

In hunc sensum dicit S. Alphonsus, n. 459: « Consuetudinarius hic intelligitur qui prima vice suum pravum habitum confitetur, et iste bene potest absolvi, etiamsi nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat, ut cum sententia communissima dicit Croix, lib. 6, p. 2, n. 1820. Ratio, quia talis pœnitens ex una parte non est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex illa bene præsumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium; omnes enim conveniunt, quod dolor per confessionem manifestatur. »

Tum immediate subdit: « Nec valet dicere, quod eadem prava consuetudo est signum indispositionis; nam licet pravus habitus reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat præsumptionem suæ infirmæ voluntatis. Attende quæ docet Catechismus Romanus, *De Pœnit.*, n. 60: *Si, audita confessione, judicaverit* (sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem omnino defuisse, absolvi poterit.* Nota *omnino defuisse.* »

Similiter docent Emin. Gousset, Scavini et Gury, qui, citato S. Alphonso, addit: « Et alii communiter contra Collet, Concina »; item contra plures alios, inter quos aliqui eo usque progressi sunt, ut amplexi fuerint eam sententiam, « quæ, ut loco citato loquitur

S. Alphonsus, cum intolerabili rigore dicit, nunquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius emendatione. »

Interim, cum boni spiritualis pœnitentis potissimum habenda sit ratio, merito hic etiam attendet confessarius ad id quod dicit S. Alph., in *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 8 : « Verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam confessarius ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans pœnitens in praxim deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. »

Ut responsio supra data confirmetur, doctrinam alias traditam de necessitate et modo retractandi pravam consuetudinem, hic summatim commemoramus :

Quare ad absolvendum consuetudinarium requiritur ut prius consuetudinem retractaverit ?

Cur debeat retractasse consuetudinem,

R. Quia aliter retineret voluntarie causam et periculum Deum graviter offendendi, adeoque indirecte vellet ipsum peccatum, cum quo vera contritio consistere non potest.

Quomodo consuetudo retractatur ?

et quomodo ;

R. Per voluntatem non amplius peccandi, et pravum habitum per media efficacia abolendi et extirpandi. Debet autem esse vera voluntas ; velleitas utique non sufficit, qualem reperire est in illis consuetudinariis et recidivis, qui quidem utcunque dolent se consuetudine peccandi irretitos esse, eaque liberari vellent, sed id serio et efficaciter non volunt, ex eo quod non conentur pravum habitum abolere actuum contrariorum exercitio, oratione, etc.

An ad absolvendum consuetudinarium requiritur, ut consuetudinem modo extirpaverit ?

non tamen debet eam extirpasse.

R. Negative ; sed sufficit quod eam per voluntatem efficaciter retractaverit : tunc enim adest firmum propositum non peccandi de cætero, quale sufficit ad contritionem. Hæc quidem retractatio fieri potest brevissimo tempore, imo in instanti ; et quando adesse cognoscitur, sufficiens est pro absolutione. Habitus vero involuntarie remanens accensendus est reliquiis peccatorum, nec nisi paulatim congruis mediis, cum divinæ et signanter sacramentalis gratiæ auxilio, aboleri

solet. Præcipua difficultas et quæstio superest de recidivis.

An sine dilatione absolvi potest recidivus, etiam si consuetudinarius fuerit ?

An et quando absolvendus sit recidivus etiam consuetudinarius ;

Ante responsionem nota. Per recidivum hic non intelligimus quemcunque recidivum, quasi dubitari posset, an quæcunque recidiva dubiam efficiat dispositionem : quotidiana enim prudentissimorum confessariorum praxi constat, recidivos quamplurimos sine dilatione absolvi ; unde hic loquimur de recidivis relate ad quædam adjuncta, atque ita, ut dicenda in responsione etiam valeant de consuetudinariis recidivis seu illis consuetudinariis qui post acceptum absolutionis beneficium in pristina peccata relapsi sunt. Subtiliores indagationes, in ordine ad figendos terminos et limites, quibus simpliciter recidivi a consuetudinariis recidivis discernuntur, nimiam in praxi confessariis injicerent moram, et nonnunquam etiam scrupulos : unde utrosque simul comprehendet responsio, prout in praxi reperientur utrique in circumstantiis moraliter paribus. Abstinemus autem a responsione simpliciter affirmativa aut negativa, ad evitandos, quantum in nobis est, scopulos laxitatis et rigoris. Itaque distinguimus, atque ita discernimus :

R. 1.° Recidivus qui recidit in pristina peccata ex mera fragilitate, aut ex quadam infelicitate, puta quia ex improviso se obtulit occasio, aut solito major tentatio aut passio suborta est, absolvi potest, quoties videtur dolere cum firmo proposito ; tunc enim, non obstante recidiva, prudenter præsumi potest firmum propositum non defuisse, nec in præsenti deesse. De tali recidivo maxime verificatur id quod dicit S. Thomas, part. 3ª, quæst. 84, art. 10, ad 4 : *Quod aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit... sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit, qui postea peccat.* Adde quod gratia Sacramenti quidem juvet contra relapsum, sed non reddat hominem impeccabilem.

2.° Recidivus qui numerum lapsuum notabiliter diminuit, aut notabili tempore post confessionem a peccatis abstinuit, in iis occasionibus aut tentationibus,

quibus alias succumbere solebat, iterum ac tertio absolvi potest intuitu signorum doloris ac propositi quæ ostendit. Ratio est, quod notabilis illa emendatio aut perseverantia haberi possit ut effectus firmi propositi et gratiæ sacramentalis, et spem præbeat fundatam, fore ut pœnitens, novo absolutionis beneficio confortatus, ad integram emendationem perveniat. « Si vides bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives, » dicit alicubi Concina, ita temperans rigorem, quem alias præ se fert.

3.° Idem quod supra relate ad unam aut alteram absolutionem sub spe emendationis, adhuc dici potest de recidivo, qui remedia contra relapsum diligenter aut bono animo adhibuit, atque ita numerum peccatorum diminuit, licet non adeo notabiliter; defectus enim veri propositi, ut scite hic observat Billuart, magis ex neglectu remediorum quam ex multiplici relapsu dignoscitur ; quia facilius est adhibere remedia quam abstinere a peccato, propter vehementem in illud propensionem ex consuetudine.

Itaque præfata diligentia et præsentia doloris et sinceræ voluntatis signa prudentem sufficientis dispositionis præsumptionem fundant. Experientia porro docet, innumeros esse, qui emendantur quidem, at non statim penitus emendantur, sed post aliquod spatium temporis, præsertim si Sacramenta frequentaverint, prudentem nacti confessarium, qui ad optatum finem, variatis pro opportunitate remediis, pedetentim eos provehit, novum animum novamque diligentiam eis inspirans.

quando non ;

4.° E contra recidivus qui remedia bene sibi nota aut indicata prorsus neglexit, aut ita modicum adhibuit, ut in moralem considerationem venire non debeat, ac propterea in pristina peccata relapsus est, ad aliquod tempus (salvo notamine infra ponendo) dimittendus est, donec meliora signa firmi propositi præbeat ; isti enim neglectus et relapsus propositum ejus valde suspectum reddunt, præsertim si fidem de mediis adhibendis confessario datam pluries violaverit. Hic applicandum illud : *Qui serio vult finem, vult etiam media ad finem necessaria.* Obvia est conclusio, ipsi etiam recidivo.

5.° A fortiori recidivus, qui in pristina peccata relapsus est studiose, et quasi consulto seu ex malitia, ultroneo se ingerens in peccati occasionem, aut qui semper promisit et nunquam se emendavit, nec vim aliquam sibi intulit contra relapsum, sed facile et cito recurrenti tentationi succubuit, ad aliquod tempus (salvo iterum notamine, de quo infra) sine absolutione dimittendus est, donec remedia præscripta adhibuerit.

S. Alphonsus, n. 459, sententiam suam sic proponit : « Sententia communis, quam sequimur, et tenent Sanchez.... et Salm., cum Suarez, docet, quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suæ dispositionis. » Et post pauca, suæ sententiæ sensum ita breviter evolvit : « Quamvis peccator prima vice se confitens censendus sit dispositus, eo quod, ut diximus, nulla ei obstat præsumptio in contrarium ; tamen quando jam in alia confessione ipse fuit admonitus, et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario præscriptis, frequens ille relapsus signum præbet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua pœnitentia non sit vera : qui enim firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius, aut rarius cadit.... Dicunt vero Sanch., Laym., Lugo... cum aliis, quod his non obstantibus, bene poterit absolvi recidivus usque ad tertiam vel quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus fuerit, et nullum adhibuerit remedium. Veneror tantorum DD. auctoritatem, sed ego eorum opinioni nunquam acquiescere potui : etenim cum pœnitens jam fuerit in alia confessione admonitus, et eodem modo reinciderit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem suspicio utique recurrit, qua fit ut confessarius non possit habere de ejus dispositione moralem certitudinem, sufficientem respective ad hoc Sacramentum. » Pro morali hac certitudine cfr. N. 79.

Supra dictum fuit : *salvo notamine*, etc. ; adeoque notandum quod si adessent speciales circumstantiæ, ut necessitas, aut extraordinaria contritionis signa, ob hæc recidivi illi, de quibus agitur, absolvi possent. saltem sine necessitate aut signis extraordinariis.

Confessarios animent hæc Leonis XII, in Bulla pro extensione Jubilæi, verba : *Sistunt se quidem multi Sacramenti pœnitentiæ ministris prorsus imparati, sed persæpe hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui venit non vocare justos sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere.*

Omni igitur cura et charitatis industria allaboret confessarius, ut peccatores, de quibus agitur, paratos faciat, atque peculiaria sinceri doloris et propositi signa obtineat, quibus jam fidere, eosque sine dilatione absolvere possit, præsertim si non ita facile differri possit absolutio. Ita, persæpe non sine fructu et consolatione, feliciter processisse plurimos confessarios, testata est experientia.

Quænam censentur esse signa dispositionis seu contritionis extraordinaria, quorum supra facta est mentio ?

Quæ signa extraordinaria hic reputentur.

R. Ea sic recenset S. Alphonsus, in *Hom. Apost.*, tract. ult., n. 12 :

« 1.° Major dolor manifestatus per lacrymas, (modo sint veræ compunctionis) aut per verba ex corde procedentia, quæ aliquando certiora signa quam lacrymæ esse possunt.

2.° Minor numerus peccatorum (intellige cum pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi) ; aut si pœnitens post ultimam confessionem perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20 aut 25 dies, ipse qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat; aut vero si relapsus fuerit post maguam resistentiam , aut etiam si antequam ad confessionem accederet , diu se abstinuerit a culpis mortalibus, in quas prolabi assuetus erat.

3.° Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si pœnitens diligenter occasionem vitaverit, media præscripta a confessario executioni mandaverit, aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas, etc., ad vitium extirpandum.

4.° Si ipse petit a confessario remedia aut nova media ad emendationem ; item si promittit implere

media quæ tunc ei suggerit confessarius, maxime si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo non omnino fidendum, si alia signa desint; cum pœnitentes ut absolutionem carpant facile promittunt, sed postea difficulter attendunt.

5.° Spontanea confessio, nempe si pœnitens accedit, non jam ad implendum præceptum paschale, neque ex quodam usu pro se confitendo in aliquibus temporibus, prout die Nativitatis Domini, in festivitatibus Deiparæ et similibus, neque accedit impulsus a parentibus, a domino, aut magistro; sed venit omnino sponte et vere inspiratus a divino lumine, ad solum finem ut divinam gratiam recipiat: præsertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit.

6.° Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metum alicujus imminentis flagelli, prout terræmotus, pestis, etc.

7.° Si pœnitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita.

8.° Si pœnitens antequam accedat, restituerit rem vel famam ablatam.

9.° Si propter monitionem confessarii ostendit apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati periculique suæ damnationis.

Alii alia signa addunt, prout si pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam; si asserit pœnituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur velle mori potius quam peccare. Sed hæc signa nescio an sola satis esse possint; potius dicerem, quod possent deservire ad alia adjuvanda signa, quæ sola non sufficerent.

Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim confessarius, ut pœnitentem absolvere possit, moraliter certus esse debet ejus dispositionis, attamen advertendum, quod in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Pœnitentiæ, cum materia sit moralis, prout sunt actus

pœnitentis, sufficit moralis certitudo sive respectiva, ut probatum est : nimirum satis est, quod confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione pœnitentis, sine aliqua prudenti suspicione in oppositum ; alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi ; nam omnia signa pœnitentium aliud non fundant quam probabilitatem quamdam de ipsorum dispositione. »

Demum obiter monemus, confessarium in hac materia aliquando in pœnitente detegere obligationem faciendi confessionem generalem a certo quodam tempore instituendam ; pro quo cfr. N. 63.

N.° 98. De iis qui publicum scandalum dederunt.

Rituale Romanum sexto loco absolutionis incapaces declarat : *qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.* De quibus petitur :

Quale scandalum hic intelligitur ?

Qui publicum scandalum dederunt,

R. Scandalum activum, quod de facto perseverat in se vel in effectu : ita publicum scandalum dedit, qui publice distribuit libros perniciosos ; estque incapax absolutionis, nisi non solum ab eo abstineat, sed etiam, quantum potest, libros e manibus aliorum tollat.

Quare absolvi non possunt qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant ?

cur absolvi non possint,

R. Quia scandalum, quamdiu non tollitur, pergit inducere in peccatum, adeoque qui scandalum dedit, perseverat esse illorum causa voluntaria, quamdiu illud non conatur pro viribus tollere, sicque peccare pergit adeoque est veræ contritionis incapax.

An scandalum debet reipsa sublatum esse antequam illius auctor absolvi possit ?

nisi scandalum tollant ;

R. Per se id non requiritur ; sed sufficit voluntas scandalum quamprimum, et quantum fieri potest, tollendi : per accidens vero id requiri debet ; ut si quis fregerit fidem ante datam de tollendo scandalo, et ideo dictis illius amplius credi non possit ; item si scandalum sit enorme, et publicam indignationem excitet, ita ut absolutio ante illius amotionem data offenderet fideles, aut scandalizaret debiles, ipsis præbendo ansam facilius peccandi.

Quomodo qui publicum scandalum dederunt publice satisfacere et scandalum tollere debent, ut Rituale præscribit?

quomodo tollendum.

R. Distinguendo : 1.° Si agatur de scandalo ordinario, quale v. g. quis dedit per publicas ebrietates, vendendo libros obscœnos, etc., illud satis tollitur publice ab his peccatis abstinendo, et illorum effectus, quantum fieri potest, tollendo, ac insuper vitam christianam ducendo, publice Sacramenta suscipiendo, officia divina frequentando, etc.

2.° Si agatur de scandalo enormi, dato v. g. per apostasiam, enormes blasphemias aut impietates, etc., exigenda est aliquando petitio veniæ coram testibus, et etiam retractatio scripta, quæ publicari aut ex cathedra fidelibus prælegi possit. Verum hic optime monet Steyaert, in *Append. de Sacr. Pœn.*, n. 37 : « Generatim de modo quo scandala publica publice tollenda sunt, merito sacerdos consulit Antistitem suum; ne improvide turbando multa, parum promoveat.»

Quandonam talibus dari possit communio, docetur in tract. *De Eucharistia*, N. 42.

N.° 99. De iis qui ignorant scitu necessaria necessitate medii, et quomodo procedendum cum ipsis.

Ignorantes scitu necessaria necessitate medii,

Inter eos qui defectu contritionis incapaces sunt absolutionis, N. 85 septimo loco recensiti sunt illi, qui ignorant ea quæ scire debent necessitate medii : de his, uti et de ignorantibus scitu necessaria necessitate præcepti, in hoc et proxime sequentibus NN. agendum est.

Pro illorum intelligentia, ex tract. *De Fide* in memoriam revocandum est, quænam dicantur et sint scitu necessaria necessitate medii et præcepti, aliaque cum illis proxime connexa.

An absolvi possunt qui ignorant veritates scitu necessarias necessitate medii?

cur absolvi non possint.

R. Negative ; sed de istis prius instrui debent : ratio est, quod sine fide explicita illarum veritatum nequeant justificari et salvari, ac adeo frustra pronuntiarentur verba absolutionis. Deinde sine fide illarum veritatum, nec spei, nec charitatis, nec contritionis actus elici potest. Patet insuper ex hac damnata ab Innocentio XI

propositione : *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.*

Unde Benedictus XIV illud tanquam indubitatum asserit in Const. *Etsi minime,* dicens : *Sacerdos excipiens confessionem, fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius, excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei educantur.*

Additur : *sed de illis prius instrui debent ;* quia, si aliunde non sint indispositi, ea de causa sine absolutione dimitti non debent, sed breviter de necessariis, et signanter de Sacramento Pœnitentiæ instrui, ac deinde juvari debent, ut actus fidei, spei, charitatis et contritionis eliciant. Notandum etiam, iterandas esse, utpote invalidas, confessiones antea forte institutas cum tali ignorantia, et si hæc fuerit graviter culpabilis, de ea se accusare debent, ut et de omissione actuum fidei, spei, charitatis, etc. Tandem monendi sunt, ut cætera quoque scitu necessaria quamprimum addiscant.

Ita quidem præscribit Rituale Romanum his verbis : *Si vero confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare christianæ fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.*

An confessiones institutæ tempore ignorantiæ scitu necessariorum necessitate medii, sunt non solum invalidæ, sed etiam formaliter sacrilegæ ?

Quando eorum confessiones censeantur formaliter sacrilegæ.

R. Distinguendo : Si ignorantia fuerit invincibilis, vel venialiter tantum culpabilis, istæ confessiones ex parte ignorantiæ non sunt formaliter sacrilegæ ; quia talis ignorantia excusat a peccato. Si vero ignorantia fuerit graviter culpabilis, istæ confessiones ut formaliter sacrilegæ habendæ sunt, adeoque numerus earum exponi debet. In hac patria talis ignorantia est ordinarie graviter culpabilis, ob facilitatem instructionis obtinendæ apud parochos aliosve sacerdotes, aut etiam laicos.

Quotuplicis generis pœnitentes qui ignorant scitu necessaria necessitate medii, in confessionali occurrere solent?

Alii nec scientiam nec fidem habent;

R. Duplicis generis : primum est eorum, *qui nec scientiam, nec fidem habent,* ut ait Braunman : scilicet qui quidem habent intellectum et memoriam, sed ita vel negotiis sæcularibus, vel scientiis profanis, vel mundi deliciis, aut etiam vitiis se immerserunt, ut ea quæ hominis christiani sunt, penitus neglexerint, et doctrinæ christianæ quam in juventute didicerunt, penitus obliti sint, atque adeo non amplius sciunt quid credere debeant, et reipsa non credunt, sed gentiliter vivunt, nihilque præter nomen christiani retinent. Hujus generis pœnitentes occurrunt occasione matrimonii ineundi, morbi periculosi, etc.

alii scientia carent, sed fidem habent;

Alterum genus ignorantium scitu necessaria necessitate medii est illorum, *qui scientia quidem carent, sed fidem habent.* Tales sunt, v. g., senes et rudes, qui ita memoria aut intellectu carent, ut necessaria omnia discere et retinere nequeant, sed equidem in Deum firmiter credunt, Ecclesiæ auctoritatem agnoscunt, ejusque pastores reverentur, et christiane vivunt.

Quomodo confessarius procedere debet cum ignorantibus prioris generis?

quomodo procedendum cum prioribus;

R. Confessarius debet eos breviter instruere circa scitu necessaria necessitate medii, et si videat quod ex auditu fidem concipiant, quia v. g. dicunt se dolere, quod illa obliti fuerint et tamdiu ignoraverint, seque firmiter illa jam credere, uti et reliqua omnia quæ Deus revelavit et Ecclesia credenda proponit ; si insuper promittant addiscere quæ necessitate præcepti sciri debent, absolvi possunt, si aliunde nihil obstet. Oportet vero ut prius, confessario duce, eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis juxta breves formulas adhiberi solitas. Confessiones autem, si quas tempore ignorantiæ instituerint, iterari debent, atque ideo nonnunquam differenda est absolutio, donec conscientiam examinaverint ; nisi necessitas urgeat, vel confessarius defectum examinis statim supplere possit.

Quid practicandum circa senes, item rudes qui quidem credunt, sed mysteria scitu necessaria necessitate medii discere aut retinere nequeunt?

quomodo cum cæteris.

R. 1.° Si ignorantia proveniat partim ex senio aut ruditate, et partim ex eo quod in audiendis concionibus et catechismis negligentes fuerint, monendi sunt ut de ista negligentia se accusent et conterantur, ac de cætero studeant ista media sedulo adhibere ; deinde breviter instruendi sunt, et servatis iis quæ in responsione præcedenti dicta sunt, absolvi possunt.

2.° Si vero ignorantia unice proveniat ex mentis imbecillitate vel memoriæ debilitate, confessarius debet illa mysteria proponere, ac illos deinde monere, ut, ipso præformante, eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis, ac deinde rite confessi ac dispositi absolvi possunt.

Minime expedit similes ignorantes sine absolutione dimittere donec instructi fuerint ; quia ob eorum incapacitatem id frustra fieret ; sed valde consultum est eos monere, ut frequenter accedant ad confessarium vel aliquem familiarem, ut, illo auxiliante et verbis præeunte, renovent actus fidei, spei, charitatis et contritionis, atque ita non solum satisfaciant præcepto actus illos eliciendi, sed etiam fructus inde provenientes consequantur.

N.° 100. De iis qui ignorant scitu necessaria necessitate præcepti.

An incapaces absolutionis sunt omnes qui ignorant scitu necessaria necessitate præcepti ?

Ignorantes necessaria necessitate præcepti, quando absolvi possint,

R. Negative, nam sine cognitione explicita illorum potest haberi vera fides, et cætera ad absolutionem requisita adesse possunt.

Quid requiritur ut absolvi possint ignorantes necessaria necessitate præcepti ?

R. Non requiritur ut ea addiscant ante absolutionem, sed sufficit ut de negligentia doleant ac firmum propositum habeant ea quamprimum addiscendi. Si tamen eorum dictis fides adhiberi non posset, quia v. g. *fidem fregerunt, vel admoniti ab eodem vel ab alio confessario, vel a pastore, tantum studii non adjunxerint quantum debuerunt pro qualitate suæ personæ, absolutio differatur ;* ut ait S. Carolus Borr., in *Instruct. conf.*, part. 2, cap. 12.

Idem præscribit Benedictus XIV in cit. Constit. dicens: *Sedulo etiam animadvertet confessarius in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate præcepti suo vitio nescit; et eo quandoque casu pœnitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscat et accuset, ac intime dolens tum a Deo veniam precetur, tum confessario serio promittat operam se impense daturum, qua divinæ gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate præcepti.*

An confessiones institutæ tempore ignorantiæ necessariorum necessitate præcepti, iterandæ sunt?

quando eorum confessiones sint iterandæ;

R. 1.° Si illa ignorantia fuerit mortaliter mala, vel si, ea durante, pœnitens manserit voluntarie in occasione proxima, aut consuetudinem vel voluntatem peccati mortalis retinuerit, confessiones eo tempore factæ habendæ sunt ut invalidæ et sacrilegæ, adeoque iterandæ, cum factæ fuerint sine contritione; hæc enim cum ista voluntaria adhæsione ad peccatum mortale consistere nequit.

2.° Si vero illa ignorantia vel nullatenus vel tantum venialiter culpabilis fuerit, confessiones eatenus ut validæ habendæ sunt.

Quænam in ordine ad confessionem datur differentia inter ignorantes necessaria necessitate medii, et ignorantes necessaria necessitate præcepti?

in quo differant ab iis qui ignorant necessaria necessitate medii.

R. Ex antedictis sequitur, esse inter eos duplicem præcipue differentiam. Prima, quod ignorans scitu necessaria necessitate medii, non possit absolvi nisi prius ea cognoverit et explicite credat; possit vero absolvi ignorans necessaria necessitate præcepti tantum, antequam ea didicerit, si habeat firmum propositum illa addiscendi. Secunda, quod omnes confessiones factæ in ignorantia scitu necessariorum necessitate medii sint invalidæ, sive ignorantia fuerit vincibilis sive non, adeoque sint repetendæ; confessiones vero factæ in sola ignorantia scitu necessariorum necessitate præcepti sint validæ, si ignorantia fuerit invincibilis vel non mortaliter culpabilis, nec adeo repetendæ.

N.° 101. Quandonam et quomodo pœnitens interrogari debeat circa articulos fidei.

Quinam pœnitentes a confessario interrogandi sunt circa scitu necessaria?

Quinam interrogandi sint de scitu necessariis,

R. Illi soli qui ex modo confitendi aut vivendi, aliisve causis merito præsumuntur illa ignorare; cæteri enim, reverenter et debite confitentes, supponi possunt et debent esse bene instructi. Ratio autem cur confessarius teneatur præfatos interrogare est, quod de illis dubitet an sint rite dispositi.

Proinde multum a sana praxi aberraret confessarius qui nullum interrogaret, sub prætextu quod omnes instructi sint per pastores, catechistas et concionatores; constat enim multos concionibus aut catechizationibus non assistere, aut animum non intendere.

Quomodo interrogationes circa scitu necessaria fieri debent?

et quomodo.

R. Debent fieri: 1.° cum prudentia, ut scilicet pœnitens non offendatur aut deterreatur; 2.° modo conditioni pœnitentis accommodato; ita pœnitentibus simplicibus et vulgaribus proponi possunt faciliores quæstiones Catechismi: *Quot sunt Dii? Quot sunt personæ divinæ?* etc.; litteratis vero, cultioribus et qui de vulgo non sunt, minores ejusmodi quæstiones statim proponi non possunt, ne forte offendantur; sed a longe incipi debet, dicendo quod forsitan negotiis aut studio scientiarum profanarum absorpti neglexerint scientiam salutis, an adhuc sciant in quo consistant præcipua mysteria, v. g. SS. Trinitatis, Incarnationis, et ita pergendo, prout exigunt eorum responsiones.

N.° 102. An confessarius teneatur instruere pœnitentes ignorantes, et quandonam possit illos in ignorantia relinquere.

An tenetur confessarius instruere pœnitentes quos deprehendit ignorare ea quæ scire debent, et circa quæ?

Circa

R. 1.° Tenetur eos instruere de omnibus quæ sunt

necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ valide et fructuose suscipiendum, si nempe appareat, ea ab ipsis ignorari. Ratio est, quod tanquam minister Sacramenti teneatur curare, ut hoc rite administretur et suscipiatur. Unde tenetur eos ante absolutionem instruere de scitu necessariis necessitate medii, ut supra dictum est ; item de peccatis mortalibus integre confitendis, elicienda debita contritione, et adimplenda satisfactione.

quæ confessarius pœnitentem instruere debeat.

2.° De illis vero quæ directe ad Sacramentum Pœnitentiæ non pertinent, tenetur illos instruere, si ignorantia involvat peccatum mortale, aut periculum illius ; ratio est, quod ut medicus spiritualis teneatur pœnitentes præservare a peccatis. Cfr. S. Alph., n. 607. Patebit ulterius ex quæstione quæ sequitur.

An confessarius potest pœnitentem relinquere in ignorantia circa aliquam obligationem in materia gravi ?

R. 1.° Si illa ignorantia sit graviter culpabilis, confessarius non potest pœnitentem in illa relinquere. Ratio est, quod talis ignorantia sit peccatum mortale et non raro causa aliorum mortalium ; confessarius autem ut medicus teneatur pœnitentem a peccato liberare et præservare, quod hic aliter quam ipsum instruendo facere non potest. Deinde tenetur illum disponere ad absolutionem, adeoque ad contritionem de ista ignorantia ; id autem facere non potest quin illum instruat. Ad hoc vero tenetur, etiamsi prævideat monitionem statim non profuturam, ut docent Billuart, *De conscientia*, art. 4, Antoine et alii contra paucos; quia tunc pœnitentem utpote indispositum absolvere non potest et de dilationis causa monere debet, ut illam amovere possit, ubi voluerit ; præterea semper sperari potest fore, ut pœnitens instructus conscientiæ stimulis ad resipiscentiam excitetur ; atque ita instructio est utilis pro futuro.

Non potest eum relinquere in ignorantia graviter culpabili,

R. 2.° Si ignorantia sit inculpabilis vel tantum venialiter mala , juxta omnes pœnitens debet instrui , si affulgeat spes boni successus, nec gravius malum secuturum timeatur. Ratio est, quod confessarius, ut minister Dei et medicus animarum , teneatur pœnitentis peccata etiam materialia aliaque mala impedire

neque in inculpabili, si sit spes boni successus;

si absque gravi incommodo id possit ; ignorantia autem de qua agitur est malum et peccata producit.

secus, si spes desit.

Si vero non affulgeat spes boni eventus, aut si grave malum ex monitione secuturum sit, communis et vera sententia, ut ait S. Alphonsus, n. 610, docet, confessarium posse ac debere relinquere pœnitentem in ignorantia, dummodo aliunde nihil obstet ; donec scilicet affulgeat spes boni eventus.

Ratio est, quod non obligemur ad actus inutiles, nec præsertim ad noxios ; talis autem in casu foret monitio, si desit spes emendationis, et pœnitens monitus peccaturus sit formaliter, qui aliter tantum peccasset materialiter ; imo damnandus est, si ita moriatur, ubi non monitus potest salvari, quandoquidem ignorantia supponatur inculpabilis, vel tantum venialiter culpabilis. Aliunde e duobus malis minus est permittendum ; jamvero minus malum est peccatum materiale, quod pœnitens committit, quam formale, quod monitus committeret. Inde sequuntur tres conclusiones practicæ :

Conclusiones.

Prima : quod non debeat moneri pœnitens de obligatione restituendi, quando eam inculpabiliter ignorat, si merito timeatur non obtemperaturus.

Secunda : quod non debeat moneri pœnitens de invaliditate matrimonii, si sit periculum incontinentiæ aut aliorum peccatorum. De quo plura in tract. *De Matrimonio*.

Tertia : generatim omittendam esse monitionem, quando timetur grave scandalum aliorum, ut dissensiones, rixæ, etc. ; minus enim malum est materiale peccatum quod pœnitens non monitus committere perget, quam ista formalia peccata aliorum.

Exceptiones.

Additum est in secundo membro responsionis : *dummodo aliunde nihil obstet ;* quia pœnitens in ignorantia relinqui non potest : 1.° si ignorantia vergeret in detrimentum fidei aut boni communis Ecclesiæ : ita monendus foret pastor, qui doceret errores in necessariis punctis fidei, vel circa mores ; necnon pœnitens ex cujus ignorantia scandalum publicum daretur. Ratio est, quod licet confessarius teneatur ratione officii procurare bonum pœnitentis sui, nihilominus tanquam minister Ecclesiæ, teneatur illius bonum commune

præferre privato. Unde Benedictus XIV, Constit. *Apostolica*, 26 Jun. 1749, dicit : monendum esse pœnitentem, *si in iis versetur facti circumstantiis quæ, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ ab iis qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit.* 2.° Omnino moneri debet pœnitens, qui confessarium circa objectum ignorantiæ suæ interrogat : tum quia interrogatio signum est pœnitentem jam non esse omnino in bona fide, et fructum sperari posse ; tum quia silentium confessarii esset erroris approbatio. « Recte tamen, ut ait S. Alphonsus, n. 616, dicunt Sanchez, Suarez, Layman et Sporer, quod cum pœnitens interrogat, confessarius non plus respondere debet quam ab ipso interrogetur. » Ita, si quis obstrictus voto castitatis interroget, an matrimonium propter votum fuerit invalidum, et an teneatur uxori reddere debitum, confessarius dicat, matrimonium inde non esse invalidum et debitum esse reddendum, tacens de obligatione non petendi : ita agendum, etiamsi noverit matrimonium ob aliquod occultum impedimentum dirimens esse nullum. 3.° Si confessarius prævideat, pœnitentem initio quidem ex turbatione aut infirmitate monitionem rejecturum, postea vero, sedata mente et re melius perpensa, obtemperaturum, monitionem facere debet.

An confessarius tenetur monere pœnitentem versantem in ignorantia inculpabili circa rem gravem, si dubitet an monitio sit profutura ?

Quid in dubio an monitio sit profutura.

R. cum S. Alphonso, n. 616, quod regulariter non teneatur, quia in dubio peccata formalia potius evitanda sunt quam materialia.

N.° 103. An et in qua necessitate absolvi possit dubie dispositus.

Quale intelligatur hic dubium,

Nota 1.° Quantum ad dubium, quæstio proprie tantum est, an absolutio concedi possit, si confessarius, omni adhibita diligentia ad disponendum pœnitentem, non valeat prudenter judicare ipsum esse dispositum, sed anceps hæreat ob fundatam rationem dubitandi de ejus contritione. Certe dubium leve remorari non debet,

quia alias nimis frequens esset negatio absolutionis cum maximo pœnitentium præjudicio, et plurimorum interitu sempiterno.

qualis necessitas.

Nota 2.° Quantum ad necessitatem, hic intelligitur necessitas spiritualis pœnitentis, in eo consistens quod salus ipsius periclitetur. Unde gravitas illius necessitatis dependet a gravitate periculi quod subest, ne anima miseri peccatoris pereat casu quo absolutio non daretur, adeo ut quo majus vel minus est hoc periculum, eo major vel minor sit necessitas.

Porro necessitas hic distinguitur triplex : extrema, gravis, et levis. Per extremam intelligitur periculum amittendi salutem in quo peccator versatur ob instantem mortem ; per gravem intelligitur hujusmodi periculum verisimile seu grave, quod tamen non est adeo propinquum ; per levem demum intelligendum venit periculum ita parvum, ut ob verisimilitudinem nullitatis Sacramenti in moralem considerationem venire non debeat.

Nota 3.° Facile patet, quod nunquam liceat aliquem absolvere qui certo indispositus est , quandoquidem absolutio omnino nulla et sacrilega nulla ratione cohonestari possit. Proinde nequidem in articulo mortis absolvere licet formalem hæreticum, neque eum qui quocunque modo peccata deserere aut confiteri recusat. Hinc superest quæstio :

An et in qua necessitate dari potest absolutio dubie dispositi, seu in dubio an pœnitens annumerandus sit iis quibus Rituale dicit absolutionem negandam esse ?

Dubie dispositus absolvi potest in necessitate extrema,

R. 1.° Dubie disposito certo dari potest absolutio in extrema necessitate quæ occurrit in articulo vel propinquo periculo mortis; tunc nempe absolvuntur omnes, quicunque consuetudinarii et recidivi, dummodo dicant se vere pœnitere de peccatis, vel proponere emendationem, aut aliqua subsit ratio præsumendi quod forte sint dispositi.

item in gravi,

R. 2.° Dubie disposito etiam dari potest absolutio in necessitate gravi : ratio est, quod hoc Sacramentum institutum sit ad præcavendam animarum perniciem, et ad obviandum infirmitatibus humanis. Hanc assertionem, saltem quoad sensum, existimamus conformem

communi theologorum sententiæ, quamquam difficile sit inde eruere in quibus casibus adsit gravis causa, seu necessitas quæ sufficiat ad absolvendum dubie dispositum. Confessarius igitur id ex circumstantiis plerumque colligere debet. Interim ex quibusdam auctoribus, præsertim nostratibus, hujusmodi necessitatis casus recensemus :

1.° Dum miles castrametatus est hostibus vicinus, civitatem obsidet, ex præsidio ad castra pergit, etc., ubi facile concipitur periculum grave aut extremum moriendi sine absolutione, antequam confessarius haberi possit.

2.° Dum mulier partum periculosum experta iterum partui proxima est. Ubi vero in ipso partu periculum mortis suboritur, erit in necessitate extrema.

3.° Dum quis de proximo se committere debet periculosæ navigationi, in qua copiam confessarii non habebit.

In istis et similibus casibus tales absolvi possunt, modo serio asserant se dolere, promittant emendationem, et quod media contra relapsum adhibituri sint, etiamsi ob diuturnam consuetudinem aut recidivam aliasve causas eorum dubia videatur dispositio ; quia gravis urget necessitas : cum enim supponantur obnoxii gravibus peccatis, salutem amitterent, si in istis periculis subito sine absolutione morerentur, ubi e contra sperare licet, eos virtute absolutionis salvandos esse.

4.° Admittunt etiam Steyaert, Dujardin, Braunman, etc., absolvi posse dubie dispositum : 1.° si ex dilatione timeatur præcipitandus in desperationem vel ex pusillanimitate lapsurus in graviora delicta ; 2.° si timeatur transiturus ad hæreticorum vel apostatarum sectas ; 3.° si fundate verendum sit, ne semel dimissus non amplius redeat ad ullum confessarium ; quia in Catechismo Romano, *De Sacram. Pœnit.*, n. 51, inculcatur confessariis, *maxime verendum esse, ne semel dimissi, amplius non redeant.*

Una aut altera ex hujusmodi necessitatibus facile occurrere potest in sponsis, qui jamjam matrimonium inituri sunt. Cfr. N. 94.

R. 3.° Dubie disposito absolutio dari non potest ob non aucausam levem ; quia tantum periculum irreverentiæ tem in

necessitate levi.

Sacramento irrogandæ in tali casu prævalet causæ seu necessitati levi. Hinc resolvitur, quod causa lucrandi indulgentias, aut communicandi cum confratribus aut sodalibus secundum regulas piæ societatis, de se non præbeat necessitatem sufficientem ; imo nec præceptum communionis paschalis per se sufficit ad absolvendum dubie dispositum ; nam in ipsa lege, cap. *Omnis utriusque sexus,* conceditur potestas differendi communionem : deinde dilatio absolutionis in casu nullum involvit morale periculum salutis pro pœnitente, nec adeo adfert necessitatem spiritualem.

Dictum est : *per se ;* quia necessitas sufficiens, de qua supra dictum est, etiam tempore paschali occurrere potest ; et quidem, signanter in certis locis, facilius quam aliis anni temporibus fieri potest, ut merito timeatur, ne pœnitens ob dilationem absolutionis officia hominis christiani penitus negligat, ex pusillanimitate in graviora delicta præceps ruat, vel non amplius redeat ad usum Sacramentorum.

Quoad circumstantiam temporis paschalis generatim observat Steyaert, *De Euch.*, § II, n. 6, quod « merito quia Pascha est, aliquid majoris facilitatis possit adhibere confessarius, quam si non esset. » Similiter loquitur Pauwels, *De Euch.*, cap. 17, § 4, dicens: « Certe procedendum est hic media via, non nimis laxe, prout faciunt illi confessarii qui cuilibet donant absolutionem sub prætextu Paschatis, nec nimis rigorose, nullum respectum habendo erga hoc tempus. Ego non dubito, quin aliqua minori morali certitudine debeat esse contentus confessarius in Paschate, quam esset extra illud tempus, eo quod ad necessitatem aliquam reducatur, quod homines debeant huic præcepto satisfacere, adeoque cum paterna simul et generosa prudentia debet hic procedere confessarius. »

An absolvi potest qui confessario volenti differre absolutionem comminatur dicens : Nunquam confitebor amplius ?

Quid de illo qui minatur se non amplius confessurum,

R. Ordinarie non potest ; nam per ipsam illam comminationem reddit se indignum absolutione : vel enim intendit illam implere, et tunc gravissime peccat contra præcepta Dei et Ecclesiæ ; vel non intendit minas exequi, et tunc equidem peccat graviter, dum per

fictas minas vult a confessario extorquere absolutionem probabiliter nullam. Igitur monendus est, ut se melius præparet ad absolutionem ac doleat de gravi peccato in ipsa confessione commisso, etc. Additum est : *ordinarie;* quia si quis id dixerit ex pusillanimitate aut præcipitantia, sine seria intentione non amplius confitendi, neque ex malitia ad extorquendam indebite absolutionem, is confortandus et animandus foret, ut serium concipiat emendationis propositum, et si quidem tolerabilia signa contritionis præberet, absolvi posset, ne in desperationem cadat, juxta ante dicta.

An infamia aliave damna aut scandala, quæ objiciuntur secutura ex dilatione absolutionis, præbent sufficientem rationem absolvendi dubie dispositum ?

R. Sunt prætextus communiter insufficientes, si aliunde gravis necessitas non accedat, quandoquidem dilatio absolutionis ejusque causa occultæ sint; ac deinde si abstinentia a communione innotescere aut peculiariter animadverti debeat, variis modis objecta incommoda præcaveri possint ; constat enim abstinentiam a communione variis titulis justificari posse, vel quia aliquid cibi sumptum est, vel quia quis in aliquo anxius est, vel quia confessarius dissuasit hac vice, etc. aut objicit infamiam ex dilatione absolutionis oriundam, etc.

Deinde notanda est sententia S. Thomæ, part. 3ª, q. 80, art. 6, ad 2 : *Peccator occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere.*

Observandum tamen, quod una aut altera ex istis causis, licet per se non sufficiant ad dandam absolutionem dubie disposito, præbeant tamen vehemens motivum ut pœnitens efficaciter excitetur, et ex totis viribus conetur ad veram sufficientem dispositionem ; id quod valde notandum est, ut finaliter videat confessarius, an forte sua diligentia in hortando et monendo non obtinuerit signum aliquod speciale contritionis quod in hac aliquali necessitate sufficiens haberi possit.

Tandem animadvertendum, quod in casibus descriptis, præsertim si quis sine absolutione dimittatur, monendus sit, ut non differat ad confessionem redire, et contritionis actum interea elicere et renovare. Et ad moribundum quod attinet, qui in statu supra descripto absolutus fuit, confessarius, quatenus locus et Monitum.

tempus permittunt, omnem operam impendere debet, ut eum ad meliorem dispositionem perducat, et ubi certiora contritionis signa detegit, eum iterum absolvere debet. Viaticum vero iterato administrari non debet, tum quia illud forte digne suscepit, tum quia praxis id non habet ; post aliquot vero dies dari potest communio per modum devotionis, maxime si eam ardenter desideret.

N.° 104. De sigillo sacramentali; quo jure et quam arcte obliget.

S. Thom., Supplem., quæst. 11.

Quid est sigillum sacramentale ?

Sigillum sacramentale

Est inviolabilis obligatio servandi secreta, seu non revelandi ea quæ ex confessione sacramentali cognita sunt, neque utendi eorum notitia in gravamen pœnitentium, sine illorum consensu.

Dicitur *sigillum*, metaphora sumpta a sigillo quo obsignamus quæ volumus esse secreta.

Dicitur : *inviolabilis obligatio ;* quia tam stricta est, ut nullo casu nullove tempore violari aut in ea dispensari possit.

Dicitur : *quæ ex confessione sacramentali cognita sunt ;* quibus verbis indicatur materia sigilli, de qua speciatim erit dicendum.

Additur : *neque utendi eorum notitia in gravamen pœnitentium ;* puta, licet tertio nihil revelctur, prout explicabitur N. 113.

Sine illorum consensu, quia ex consensu pœnitentium potest esse licita revelatio, aut usus alioquin prohibitus. Cfr. N. 111.

Quo jure obligat sigillum confessionis sacramentalis ?

obligat

R. Obligat jure divino, jure naturali, et jure ecclesiastico.

Proba sigillum confessionis obligare jure divino.

jure divino,

R. Probatur ex ipsa institutione et natura Sacramenti Pœnitentiæ. Christus, qui Sacramentum Pœnitentiæ instituendo, confessionem peccatorum integram præcepit, tanquam sapientissimus legislator simul ea

ordinare debuit, sine quibus Sacramentum odiosum esset hominibus, et integritas confessionis subsistere non posset : atqui talis est inviolabilis obligatio sigilli ; etenim si hoc aliquo casu violari posset, peccatores passim timerent peccata gravia confiteri, atque inde Sacramentum odiosum et desertum foret ; ergo ex ipsius Christi institutione, adeoque jure divino obligat sigillum confessionis.

Continet autem hoc sigilli arcanum mysticam significationem, nimirum quod Deus in hoc Sacramento peccata remittat et deleat ita, quasi eorum non recordetur. *Deus,* inquit S. Thomas, q. 11, art. 1, in corp., *peccatum illius, qui se sibi subjicit per pœnitentiam, tegit ; unde et hoc oportet in Sacramento Pœnitentiæ significari ; et ideo de necessitate Sacramenti est, quod* (confessarius) *confessionem celet, et tanquam violator Sacramenti peccat qui confessionem revelat.*

Nota. Sigillum ita cohæret cum præcepto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ et integre confitendi, ut ad obligationem sigilli inducendam opus non fuerit explicito præcepto Christi. Equidem non desunt theologi qui cum Sylvio putent, Christum Apostolis suis præceptum peculiare et explicitum intimasse; sive autem explicitum sive implicitum tantum admittatur, certum est vere divinum esse præceptum sigilli sacramentalis, ab ipsius Christi Domini voluntate repetendum.

Proba sigillum confessionis obligare jure naturali.

R. Probatur 1.° Jus naturale præcipit, ut quæ sub secreto commissa sunt et acceptata, secreta servemus : atqui in confessione pœnitens peccata sua declarat sub implicita conditione ea secreta servandi, et confessarius eo ipso quod confessionem excipit, illam conditionem acceptat ; ergo. jure naturali,

Prob. 2.° Vetat jus naturale, ne famam proximi lædamus ; atqui id sæpe fieret per revelationem eorum quæ in confessione exposita sunt.

Observa tamen, quod jus naturale per se, et independenter a jure divino positivo, non induceret totum rigorem arcani sacramentalis, ut bene notat Estius in IV, dist. 17, n. 14. « Quamvis, inquit, lege naturali quisque teneatur ad secreti sibi commissi occultationem.

maxime quando ejus detectio spectaret ad infamiam proximi,... præcipua tamen vis hujus obligationis nasci videtur ex jure divino atque ex ratione Sacramenti, quo fit ut nullo prorsus casu, nequidem periculi, vitæ, reipublicæ, regni, animarum, nec ulla dispensatione ecclesiasticæ potestatis, liceat vel minimum peccatum ex confessione cognitum detegere. Hoc autem non ita esset, si ex sola lege naturali vel humana hæc obligatio nasceretur. »

Proba sigillum obligare jure ecclesiastico.

jure ecclesiastico.

R. Probatur ex his clarissimis verbis Conc. Lateranensis, cap. *Utriusque sexus*, 21, quibus et prohibetur secretum confessionis prodere, et contra illos qui id facere præsumpserint, graves pœnæ decernuntur : *Caveat sacerdos ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatores, sed si prudenti consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute inquirat ; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.*

Jam antea, circa finem sæculi VI, S. Gregorius M. simile decretum tulerat, quod refertur in jure can., cap. *Sacerdos*, dist. 6, de Pœnit., his verbis : *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur, peccata alicui recitet ; non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.*

Hinc patet, etiam apud veteres summam fuisse secreti sacramentalis religionem, quam in S. Ambrosio signanter laudat S. Paulinus, una cum ipsius benignitate eximia erga pœnitentes, dicens : *Causas autem criminum quæ illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.*

S. Leo supra citatus N. 44, satis indicat, hanc obligationem sigilli semper in Ecclesia sancte custoditam fuisse ex apostolica traditione ; dum nimirum, carpens *præsumptionem* eorum, qui *contra apostolicam regulam* cogerent pœnitentes ad publicanda peccata sua, addit,

quod *reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta.*

Apposite advertunt theologi Wirceburgenses, quod Deo placuerit inviolabilem sigilli legem miraculo confirmare, dum linguam S. Joannis Nepomuceni, pro asservato sigillo sacramentali interempti, immunem a corruptione servavit ; ac deinde merito addunt : « Sed annon hoc maximum miraculum est, quod cum tot sint sacerdotes, quorum nonnulli vitæ profligatæ, aut versi in amentiam, tamen rarissime visum sit sacrum sigillum periclitari ? »

An potest dari casus in quo liceat violare sigillum confessionis ?

Nullo casu violari potest.

R. Non potest dari, ut colligitur ex dictis ; ea utique est voluntas Christi et Ecclesiæ, ut nullo casu id liceat ; nam si aliquando liceret confessionis secretum revelare, fideles Sacramentum ut nimis grave et durum haberent, et ab ejus susceptione averterentur, dum hujusmodi casus in se occurrere suspicarentur, aut timerent, ne confessarii etiam immerito id præsumerent.

Igitur nec ad mortem evitandam, nec ad interitum reipublicæ avertendum, nec ad hæresim vel schisma præcavendum, nec ad salvandam animam liceret sigillum frangere.

Ex quo patet arctiorem esse obligationem sigilli sacramentalis, quam secreti naturalis, quod non in omnibus casibus obligat.

Si autem quis ad revelandum sigillum minis adigeretur, sequi deberet exemplum beati martyris Joannis Nepocumeni, qui a Wenceslao rege sollicitatus ut conjugis illius confessionem revelaret, « cœpit excelso animo honores ac minas contemnere, confessarii munus explicare, silentii sacrosanctam legem extollere, pœnas temporales et sempiternas in iis qui secretum non tenuerint paratas exaggerare, denique regem monere, ut abstineret desiderio captandi quæ uni Deo cognoscenda servantur, sine sacrilegio talia tentari non posse, in cæteris omnibus regis imperia adorare se, unum hoc deprecari, quod si mille mortes obeundæ essent, non faceret. » Ita refert auctor vitæ ejus, apud Bollandistas, tom. 3 Maii, pag. 671.

An obligatio sigilli perseverat post mortem pœnitentis?

neque post mortem pœnitentis,

R. Omnino ; ita enim solent homines esse solliciti, ne post mortem infamentur, ut si tunc cessaret obligatio sigilli, integre confiteri non auderent, et Sacramentum inde odiosum redderetur ac desertum, quod est contra voluntatem et institutionem Christi.

An obligatio sigilli cessat in dubio ?

neque in dubio.

Dubium esse potest, an aliquid in particulari cadat sub sigillo, seu dictum sit a pœnitente in ordine ad confessionem, vel an hic et nunc usus notitiæ sacramentalis gravamen allaturus sit pœnitenti. His prænotatis,

R. In dubio semper standum est pro obligatione. Ratio est, quod contraria praxis redderet confessionem odiosam : « Dum alioquin, ait S. Alphonsus, n. 637, plura peccata revera in confessione audita, ob defectum memoriæ et hallucinationem confessarii possent impune manifestari. » Aliunde vero pœnitens jus certum habet, ne occasione suæ confessionis ullum patiatur detrimentum : unde concludit citatus S. Auctor, n. 633 : « Non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum pœnitenti gravamen inferri. »

Contra arctissimam sigilli sacramentalis obligationem

Objectiones.

Obj. 1.° Quod illa obligatio cedat in perniciem boni communis, quandoquidem impediat, ne sacerdotes revelent funesta consilia quæ iniqui moliuntur contra vitam regum, etc. ; ergo non potuit a Christo præcipi. Ita Dallæus, minister Calvinista et alii, quos adducit Bœhmerus, *Jur. ecclesiast. protest.*, lib. 5.

R. Neg. antec., et rationis additæ inanitas manifestatur. Etenim propter ipsum sigillum ejusmodi nefarii homines audent sua prava consilia revelare confessariis, qui divini judicii terrore aliisque mediis eos ad resipiscentiam et ad denuntiandas conspirationes nonnunquam perducunt, dum sine sigillo nec confessariis, uti nec aliis, sua consilia revelarent, adeoque magis impediretur bonum commune.

Obj. 2.° Lex naturalis præcipit revelari crimen, etiam sub secreto cognitum, quando necessaria est revelatio bono communi Ecclesiæ vel patriæ : atqui non datur lex positiva divina contraria legi naturali ; ergo.

R. Disting. major. : Lex naturalis præcipit revelari crimen, dum revelatio ita conducit bono communi, ut inde majus malum non sequatur, conc. ; secus, nego. Majus autem malum sequeretur ex prætensa obligatione revelandi confessionem, nempe destructio Sacramenti in perniciem totius Ecclesiæ.

Obj. 3.° Summi Pontifices aliquando sigillum confessionis relaxarunt ; ut Pius IV et Gregorius XV, dum mandarunt confessariis ut suos pœnitentes, *quos noverint ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes*. Ex quo Bœhmerus, loco cit., concludit : « Per indirectum sigillum confessionis pandi ; quamvis enim confessionarii ita non revelent arcana, inquit, cogunt tamen pœnitentes, ut seipsos prodant judici et factum sacerdotis denuntient. » Ergo.

R. Neg. maj.: ad probationem vero, advertimus nulla ratione ibi attingi secretum confessionis. Pœnitentes enim, qui debent revelare sollicitantes, non tenentur sigillo ; confessarii autem tantum in sacro tribunali eos monere debent, ut adimpleant suam obligationem, quemadmodum eos de aliis obligationibus admonent, et ad conspirationem v. g. denuntiandam cogunt.

N.° 105. De peccato violationis sigilli et pœnis annexis.

Quale peccatum committeret qui frangeret sigillum confessionis ?

Quale peccatum sit violare sigillum,

R. 1.° Peccatum sacrilegii, quatenus injuriam inferret Sacramento ; 2.° peccatum infidelitatis erga proximum, quatenus revelaret secretum, quod saltem tacite acceptavit servandum ; 3.° peccatum committeret injustitiæ, si per revelationem secreti sacramentalis fama proximi læderetur, aut aliud damnum ei inferretur.

Quantum peccatum est hæc sigilli fractio ?

et quantum.

R. In ratione sacrilegii est peccatum de se mortale, quod non admittit parvitatem materiæ, si directe quid reveletur, quia semper gravis inordinatio inest etiam in minima revelatione, cum Sacramentum odiosum reddat, et fideles ab eo avertat.

In ratione autem infidelitatis et injustitiæ est etiam peccatum ex genere suo mortale, sed in quo potest dari parvitas materiæ.

Quamvis in violatione directa sigilli non detur parvitas materiæ in ratione sacrilegii, admittit tamen Gury, n. 497, quod dari possit in revelatione indirecta, si nimirum periculum indirectæ revelationis sit valde remotum, seu parum probabile ; quia si revelatio tunc sequeretur, velut ex casu et per accidens subsequi censenda foret. Saltem potest hoc peccatum esse veniale ex defectu deliberationis seu advertentiæ.

Quas pœnas incurrit confessarius qui scienter violat sigillum, revelando peccatum pœnitentis ?

Pœnæ contra illud latæ.

R. S. Gregorius, in can. *Sacerdos*, præc. N. citato, statuit, ut *deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Conc. Later. in cap. *Omnis utriusque sexus*, pœnam depositionis confirmans, perpetuam ignominiosam peregrinationem mutavit in perpetuam detrusionem in arctum monasterium: *Qui peccatum in pœnitentiali judicio detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.*

Pœnæ illæ, ut ex verbis patet, sunt ferendæ sententiæ tantum, et per judicem ecclesiasticum infligendæ. Illas autem incurrit solus confessarius revelans peccatum pœnitentis tertio, idque *præsumptuose*, seu graviter malitiose. Alii vero, vel aliter revelantes, per judicem puniendi sunt pœna extraordinaria juxta majorem vel minorem gravitatem patrati delicti. Ita citatus Ferraris, v. *sigillum*.

N.° 106. Ex quali confessione oriatur sigillum.

Ex quali confessione oritur sigillum sacramentale ?

Sigillum oritur ex sola confessione sacramentali,

R. Ex omni et sola confessione sacramentali, cum huic soli illud annexuerit Dominus ; sacramentalis vero est confessio quæ fit in ordine ad Sacramentum, aut saltem cum intentione se subjiciendi sacerdoti tanquam hujus Sacramenti ministro, et salutaria consilia ab eo accipiendi. Sufficit autem, quod ita sit sacramentalis ex

intentione confitentis, sive hic dispositus sit ad absolutionem aut secus, et sive ille cui confitetur sit legitimus minister vel non.

Igitur oritur obligatio sigilli ex confessione facta in ordine ad absolutionem, sed quam confessarius ob indispositionem pœnitentis aliamve rationem non concessit. Item ex confessione facta laico vel sacerdoti jurisdictione carenti, quem pœnitens putabat esse confessarium legitimum ; in hoc enim casu revelatio secreti vergeret in detrimentum Sacramenti, dum fideles ab eo deterreret metu hujusmodi deceptionis.

E contra non oritur, si peccati manifestatio fiat laico qui ut talis notus est, vel sacerdoti qui scitur carere jurisdictione, aut si crimen reveletur confessario extra confessionem sacramentalem et sine ordine ad ipsam.

Similiter non oritur obligatio sigilli, si quis peccata unice aperiat ad eleemosynam obtinendam, vel ad confessarium irridendum, aut eum in aliquod crimen pertrahendum. Nam ficta illa confessio nullo modo est sacramentalis ; unde non potest dari in casu nisi forte obligatio secreti naturalis ; cavendum vero est, ne per fictæ ejusmodi confessionis revelationem scandalum detur in detrimentum Sacramenti.

An oritur obligatio sigilli sacramentalis, si quis extra confessionem, et non in ordine ad illam, alteri dicat : Hoc tibi dico sub secreto confessionis, *et alter acceptet?*

R. Negative, quia obligatio sigilli unice repetenda est ex voluntate Christi, qui illam annexam esse voluit soli confessioni sacramentali, qualis in casu omnino non datur. Si vero alter acceptaverit, exurgit obligatio secreti naturalis promissi, religiose servandi etiam ob reverentiam sacri sigilli interpositi. Interim vix sine irreverentia in Sacramentum posset quis secretum tali modo proponere, aut propositum acceptare.

nec potest ad aliud extendi voluntate hominis.

N.° 107. De materia sigilli sacramentalis.

S. Thom., Supplem., quæst. 11, art. 2.

Materia sigilli sunt ea, ad quæ sigillum se extendit, sive *directe* sive *indirecte*.

Ad quæ directe se extendit sigillum?

Materia sigilli directa, R. *Directe* se extendit ad ea, quæ in confessione declarata fuerunt a pœnitente in ordine ad peccata exponenda. Talia sunt :

1.° Peccata mortalia, sive in specie, sive in genere tantum ; unde directe frangeret sigillum confessarius qui de pœnitente diceret, quod peccaverit mortaliter.

2.° Peccata venialia in specie, ut quod quis sit mentitus ; non autem peccata venialia in genere, ut quod quis peccaverit venialiter.

3.° Circumstantiæ peccatorum, etiam explicatæ post absolutionem, quoties illæ detectæ sunt in ordine ad confessionem ; nisi tamen aliquid referri posset sine ulla revelatione confessionis aut gravamine pœnitentis. Unde sigillum violaret, qui cognoscens alicujus furtum ex fama publica, sed ex sola confessione cognoscens quantitatem, furtum illud narrando, simul quantitatem indicaret.

Sed si quis ex confessione cognosceret duorum cognationem, ut circumstantiam v. g. fornicationis patratæ, et postea diceret illos cognatos esse, sic ut nemo apprehendere posset, illud ex confessione esse notum, non frangeret sigillum ; secus vero, si audientes suspicari possent, id in confessione expositum fuisse tanquam circumstantiam peccati, aut si alio modo id cederet in gravamen pœnitentis.

4.° Peccatum complicis vel tertii, quod pœnitens sive juste sive injuste revelavit. Quocirca Archiepiscopus et Episcopi Belgii in decreto 23 Aprilis 1697 dixerunt : *Ipsum peccatum et nomen complicis, si per inadvertentiam pœnitens expresserit, cadit sub sigillo una cum peccato pœnitentis.* Ita etiam si mulier v. g. confiteatur se fuisse offensam ob blasphemias viri, illæ blasphemiæ viri cadunt sub sigillo.

5.° Peccatum in futuro patrandum a pœnitente vel tertio, seu intentio aut dispositio illud patrandi ex confessione cognita.

6.° Defectus naturales pœnitentis, nempe quod sit ignobilis, pauper aut ignarus, surdus, et similia, saltem quatenus illa nota sunt ex manifestatione pœnitentis in ordine ad declaranda sua peccata. Ita S. Alphonsus

n. 642 : « Si, inquit, confessarius tales defectus noverit, quatenus a pœnitente fuerint manifestati ad explicanda peccata, tunc certe cadunt sub sigillo, ut communiter docent Suarez, etc. Et hoc, etiamsi manifestatio dictorum defectuum nihil conferret ad explicationem peccati, sed pœnitens jam illos exponeret ad plenius suam conscientiam manifestandam.... »

« Secus vero, si confessarius noverit defectus illos, quatenus pœnitens incidenter, sive impertinenter ad confessionem eos detexerit, ut etiam communiter dicunt... Et hoc est valde probabile, quidquid opponat Renzi, etc... Ratio, quia cum pœnitens tales defectus ultro detegat, sine ullo ordine ad explicanda peccata, eos minime censetur subjicere (nec subjicere posset) clavibus sigilli, cum ad confessionem nihil pertineant. »

Idem quod de defectibus naturalibus hic censendum est de defectibus moralibus, ut quod aliquis sit scrupulosus, pronus ad iram, etc.

Ad quæ indirecte se extendit sigillum ?

R. *Indirecte* sigillum se extendit ad ea quæ, licet non sint ex declaratis a pœnitente in ordine ad confessionem sacramentalem, cum ea tamen sunt connexa, ita ut si revelentur, in cognitionem peccatorum expositorum perducere, aut pœnitenti gravamen adferre possint. Talia sunt : indirecta.

1°. Pœnitentia a confessario injuncta, saltem si talis sit, quæ non nisi pro mortali imponi solet ; ut sunt Psalmi pœnitentiales, jejunium, etc. Non tamen sigillum frangit confessarius, si revelet pœnitentiam pro veniali imponi solitam, v. g. unum Pater et Ave, Salve Regina, Alma Redemptoris, et hujusmodi. Ita Ferraris ex communi Doctorum.

2.° Indispositio pœnitentis, item negatio absolutionis ; ex ipsis enim concludi potest, ipsum gravibus peccatis obnoxium esse.

3.° Defectus naturales aut morales pœnitentis, quatenus innotescunt, non ex declaratione pœnitentis, sed ex modo confitendi, aut actionibus ejus in sacro tribunali, ut quod sit blæsus, surdus, rudis, hebetis ingenii, etc., nisi constet pœnitentem ex eorum revelatione minime gravari. Ita cum multis, contra non paucos,

S. Alphonsus, qui, relata contraria sententia negantium in casu illos defectus cadere sub sigillo, addit n. 643 : « Sed huic sententiæ merito contradicunt Pal., Antoine, etc. Ratio, quia cum defectus illi sint odiosi, et confessarius noverit eos occasione confessionis dum pœnitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo confessionem odiosam et ab ea retardaret. Tantummodo prima (negativa) sententia locum habere posset, quando omnino constaret confessario, pœnitentem ex illius defectus manifestatione minime gravari. »

Idem quod de defectibus naturalibus, resolvit S. Auctor num. seq. de defectu scrupulositatis ; citata nimirum contraria quorumdam sententia dicentium, posse confessarium dicere pœnitentem suum esse scrupulosum, si id noverit vel ex modo confitendi, vel si illius scrupulositas sit publice nota, addit : « Sed pariter huic nec acquiescimus cum Sporer,... quia eadem ratio currit, cum non pauci ægre ferant scrupulosos appellari. Tantum id admitti posset, si minime redundaret in gravamen pœnitentis, prout facile accidere potest, loquendo de sæcularibus, qui potius laudantur, cum dicitur de eis quod sint scrupulosi ; hoc enim pro iis qui in sæculo versantur, indicium est bonæ et timoratæ conscientiæ. Secus dicatur de prælato, confessario et similibus, quibus scrupulositas est signum mentis confusæ et irresolutæ. »

Annon omnia ex confessione seu illius occasione cognita sub sigillo comprehenduntur ?

Quæ non cadant sub sigillo ;

R. Negative : non enim comprehenduntur illa, quæ non in ordine ad confessionem, sed incidenter tantum sunt dicta; uti nec illa quæ, licet ad explicanda peccata sint dicta, aut ex confessione sacramentali sint cognita, sine ulla tamen revelatione confessionis aut gravamine pœnitentis referri possunt ; v. g., quod pœnitens vel alius vocetur Joannes, quod sit doctus, pius, et cætera quæ pœnitens bene vult sciri ab aliis. « Est regulariter accepta ab omnibus illa regula, ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tr. 16, n. 155, quod non cadunt sub sigillo omnia illa, quorum manifestatio non inducit periculum revelationis directe aut indirecte, nec gravamen pœnitentis. »

An peccata publica in confessione exposita cadunt sub sigillo ?

R. Affirmative, quatenus scilicet ex confessione cognita sunt ; unde violaret sigillum, qui de fure in judicio convicto diceret, ipsum crimen sibi confessum esse ; aut qui referret circumstantiam quam ex sola confessione cognosceret. Hac occasione dicit Billuart : « Improbandos censeo, qui, orto scandalo in aliquo loco, dicunt, ut frequens est, aures confessariorum continuo vexari de obloculionibus contra istud scandalum. »

Potest tamen confessarius de peccatis istis loqui, ut sibi aliunde nota sunt, v. g. per famam publicam.

N.° 108. Quæstiones particulares circa manifestationem peccati ex confessione cogniti.

Violatio directa et indirecta.

Quemadmodum duplici modo potest aliquid cadere sub sigillo, ita duplici modo potest contingere sigilli violatio, *directe* scilicet et *indirecte*. Violatur *directe*, dum expresse et aperte peccatum confessum aut aliquid aliud cadens sub sigillo manifestatur. *Indirecte* violatur, dum, licet expresse non manifestetur aliquid cadens sub sigillo, ex notitia tamen confessionis aliquid dicitur vel agitur, unde conjici potest alterius peccatum, aut quod graviter peccaverit, etc., vel unde pœnitenti gravamen oriri potest. His præmissis, quæritur :

Quæst. I. *An violaret sigillum qui diceret : Iste mihi confessus est venialia ?*

An frangat sigillum qui dicit pœnitentem esse confessum venialia,

R. Negative ; quia peccatum veniale in genere non est materia sigilli. Cum enim hoc sit commune omnibus hominibus, quod venialiter peccaverint, et cum is qui sacramentaliter vult confiteri, saltem veniale aliquod teneatur declarare, nulla tali dicto fit revelatio, et nullum pœnitenti gravamen infertur. A similibus tamen prorsus abstinendum est ; imo per accidens sic posset indirecte violari sigillum, si v. g. inde occasio præberetur suspicandi alium similiter confessum peccasse mortaliter.

Propter similem rationem cavendum est illis, qui audiunt confessiones carcere et maxime extremo supplicio

damnatorum, ne quovis modo ex scientia sacramentali significent ministris justitiæ, hunc vel illum esse innocentem, quia de aliis silendo, indirecte innuerent eos esse reos.

Quæst. II. *An confessarius violat sigillum, si narret peccata quæ in confessione audivit, non designando personas ?*

aut narrat peccata audita in confessione.

R. Negative ; dummodo nullum sit periculum, ne qui fecit aut confessus est, cognoscatur vel aliquod gravamen inde accipiat.

Monent tamen doctores ab his abstinendum esse, si desit specialis ratio utilitatis, ne inde scandalizentur fideles, et fiduciam erga confessarios amittant, aut periculum etiam revelationis suboriatur non prævisum. « Seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi, inquit Billuart, abstinendum est a similibus narrationibus et colloquiis; tum quia simplices inde scandalizantur, putantes frangi sigillum confessionis ; tum propter periculum revelationis, quæ contingere potest, et quandoque contingit ex collatis confessarii dictis in diversis locis et temporibus ; ut si dicas uno tempore, primum tuum pœnitentem confessum fuisse adulterium, et alio tempore, prioris dicti immemor, dicas coram iisdem talem fuisse primum tuum pœnitentem. »

Etiam in petendo consilio generatim præstat casum simpliciter proponere, non declarando illum sibi in confessionali occurrere.

Quæst. III. *An violaret sigillum, qui diceret : Hodie quidam vir mihi confessus est homicidium ?*

Quid si dicat : Hodie aliquis confessus est homicidium.

R. Violaret sigillum, si ex illa temporis et qualitatis expressione pœnitens agnosci vel saltem in suspicionem venire posset, aut confessio fieri odiosa ; ut natum est fieri, præsertim si confessarius paucos tantum audiverit pœnitentes, aut non nisi ex determinato loco aut ex parva communitate.

Hic in memoriam revocandum ducimus sequens monitum quod habetur in *Instruct. pro confessariis* diœcesis Mechlin., § 6 : *Intolerabile foret quempiam adeo sui oblivisci, ut etiam in conviviis referret ea quæ in confessione audivit, aut modum quo quidam confitentur, maxime si peccata ipsa referret, et adderet, illo ipso die se ea*

audivisse. Hoc igitur confessarii caveant ; alioquin sciant, a pœnis sacrilegii se non fore immunes.

Quæst. IV. *An violaret sigillum, qui ex notitia confessionis de aliquo loco vel communitate diceret, ibi committi gravia delicta ?*

An qui diceret, gravia committi delicta in tali monasterio,

R. 1.° cum S. Alphonso : « Frangit sigillum, qui diceret se in tali monasterio audivisse peccatum grave cujusdam religiosi, aut diceret quod ibi committuntur peccata gravia, licet personam reticeret, quia tunc quilibet ejusdem monasterii damnum pateretur : ita communiter Suarez, etc... »

« Idem dicit Diana cum Maldero, si diceret se audivisse peccatum alicujus religiosi talis Ordinis. Sed probabiliter huic contradicit P. Conc., dum hoc dicere non censetur sigilli revelatio nec gravamen pœnitentis ; nam in quolibet Ordine communiter adsunt religiosi pravi ; modo illa non esset religio strictæ observantiæ. » Ita in *Homo Apost.*, tract. 16, n. 157. Verum etiam in dubio an violetur sigillum, nemo tale quid dicere præsumere debet, juxta dicta N. 104. Observa insuper, quod ex circumstantiis aliquando facile aliquis apprehenderet talem religiosum esse ex certa quadam communitate, aut ex parvis quibusdam communitatibus illius Ordinis, quæ solæ sunt in tali loco aut vicinia, ita ut illæ communitates inde infamarentur, ac propterea certo violaretur sigillum.

aut in tali oppido.

R. 2.° Qui diceret in tali oppido committi talia peccatorum genera, quæ ipse audivit in confessione, secundum eumdem S. Auctorem, ex communissima sententia Suarezii, Bonac., etc., contra paucos, frangeret sigillum, « si locus est parvus, ait, quia tunc revelatio cum redundaret in infamiam communitatis, redundaret etiam in gravamen pœnitentis. Secus autem, si oppidum est magnum, et delicta sunt publica, ut dicunt iidem auctores... cum Petrocorensi et Habert, qui recte hoc permittunt tunc etiam concionatoribus, modo non manifestent, vitia contra quæ invehuntur, se audivisse in confessione, et modo non descendant ad circumstantias particulares. » Ibidem, n. 158.

Quæst. V. *An frangit sigillum qui revelat peccatum sibi confessum, quod etiam aliunde novit ?*

An qui revelat peccatum aliunde etiam notum

R. Negative ; si nempe unice utatur scientia aliunde acquisita. Ratio est, quod sigillum unice afficiat scientiam per sacramentalem confessionem acquisitam, non vero scientiam aliunde habitam, nec adeo hujus usum impediat. Accedit, quod sigillum foret onus nimis grave pro confessariis, si ipsis adimeret jus utendi scientia aliunde acquisita ; imo tunc confessio quandoque vergeret in detrimentum boni publici ; subditi enim confitendo superiori impedire possent, ne hic pœnam promeritam infligeret, aut media adhiberet ad delicta præcavenda.

Dum vero ob justam causam confessarius scientia extra confessionem acquisita utitur, id ita prudenter et caute fieri debet, ut pœnitens aliive fundate conjicere nequeant ipsum ex confessione loqui ; ideo sæpe juvat indicare causam scientiæ, dicendo, v. g., *vidi illum furantem ; aliquis mihi dixit talem esse furatum,* etc. Cavendum etiam, ne ex notitia confessionis factum certius affirmetur, aliter narretur quam aliunde noscitur, circumstantia addatur, etc. Neque confessarius dicere potest, se non loqui ex confessione, quia sic indirecte indicaret, rem in confessione sibi fuisse expositam.

Conclude quod pastor possit publice arguere abusum quem extra confessionem novit, quamvis illius auctores sibi culpam confessi fuerint ; sæpe etiam tum expedit addere causam scientiæ extrasacramentalis, ut, quod viderit, plures sibi conquesti fuerint, etc.

Quæst. VI. *An confessarius violat sigillum, si audiens grave peccatum alta voce suspiret, aut per graves increpationes vel gestus dolorem manifestet ?*

An qui in confessionali alta voce increpat, etc.

R. Affirmative ; si nempe alii adstent et inde suspicari possint pœnitentem grave peccatum confiteri.

Quæst. VII. *Quid faciendum confessario, si quis confitens confuse de materiis gravibus, et interrogatus a confessario de circumstantiis et de habitu, cognosceretur esse surdus, dum non respondet aut respondet abs re, et contra confessarius ob adstantes non posset vocem elevare ?*

Quid facere debet confessarius qui, incepta

R. S. Alphonsus hunc casum proponens, n. 644, et in *Homo Apost.*, n. 155, hoc ultimo loco ita resolvit : « Si circa principium confessionis animadvertit pœnitentem esse surdum, tum ei imponere debet, ut tempore

et loco opportuno redeat, cum non adsint qui eum audire possint ; et interim potest circumstantibus indicare ejus surditatem , cum illa est communiter nota. Sed si in progressu confessionis id animadverteret, tunc non potest confessarius elata voce ei imponere ut redeat, quia aliis suspicionem ingereret illum de materia gravi confessum fuisse : ideoque in tali casu dicerem, quod confessarius, cum meliori modo quo possit, intelligere curaverit, absolutionem det pœnitenti,.... et pœnitentiam in hoc casu debet adjungere levem, cum alii eam audituri sunt. »

confessione, reperit pœnitentem esse surdum, et propter adstantes non potest vocem elevare.

Quæst. VIII. *Quid confessarius, ne violet sigillum, respondere debet, si interrogetur de re quam novit per solam confessionem ?*

R. Debet respondere se illam nescire, et, si opus foret, posset responsum juramento confirmare. Sic autem respondendo nullum committit mendacium, quandoquidem interrogetur ut homo, et ut talis nesciat, quamvis sciat ut Dei minister, seu *ut Deus,* quemadmodum loquitur S. Thomas, *Supplem.*, quæst. 11, art. 1, ad 3. Nequidem in casu occurrit restrictio mentalis, cum sincere respondeat in ea qualitate in qua censetur quæstio proponi. Neque debet in casu confessarius tacere, ut advertit De Lugo cum aliis, quia ipsum silentium non levem ingereret suspicionem. Nec, dicendo se nescire, addere potest : *extra confessionem,* quia indirecte innueret, se scire ex confessione.

Quid respondere debet interrogatus de re ex sola confessione cognita.

Quæst. IX. *Quid confessarius respondere debet , si ab eo aperte petatur, an rem aliquam sciat per confessionem ?*

R. 1.° Certum est, quod non liceat affirmare, nequidem ob periculum mortis, vel aliud quodvis detrimentum, privatum aut publicum, avertendum. Neque etiam potest diversa assumi ratio respondendi pro casu quo quis sciat, et pro casu quo nesciat ; si enim neget ubi nescit, et taceat aut effugium quærat ubi scit, ipso silentio proderet confessionem.

Quid si petatur aperte, an ex confessione sciat,

R. 2.° Circa modum autem respondendi non ita conveniunt auctores. Alii dicunt non esse affirmandum nec negandum , sed interrogationem esse rejiciendam ut incongruam et impiam, addendo etiam, si

opus sit, nemini jus competere confessarium interrogandi circa confessionem aliorum.

« Hoc tamen aliis non placet, ait De Lugo, quia si v. g. maritus zelotypia ardens id a confessario interroget, et hic nolit negare, eo ipso pro confesso reputabitur. Ideo cæteri communiter dicunt posse etiam tunc negare, cum quacunque reflexione et reduplicatione interrogatio fiat ; quos referunt et sequuntur Suarez et Vasquez. » Ita disp. 25, sect. 4. Neque in tali responso, secundum ipsum, inest mendacium aut restrictio mentalis ; quia ex naturali verborum acceptione huic locutioni : *non scio,* vel simili, inest hic sensus : non scio cognitione utili ad respondendum ; atque hunc sensum semper intendere potest respondens, quocunque modo alter interroget. Aliunde interrogans jus non habet, ut ei respondeatur sine illo æquivoco quod non potest omitti sine peccato, prout dicit S. Alphonsus, *Homo Apost.*, n. 148.

Alii tandem utrumque respondendi modum conjungere videntur. Ita Natalis Alexander : « At si judex urgeat, inquit, quæratque num tale peccatum confessus fuerit, respondere debet, hanc impiam esse quæstionem, se ad respondendum huic interrogationi non teneri, se penitus nescire. »

Casu occurrente, illum respondendi modum eligat confessarius, quo certius secretum confessionis tegatur et honori Sacramenti prospiciatur.

Quæst. X. *Quid respondere debet confessarius interrogatus, an aliquem sibi confessum absolverit vel non absolverit ?*

vel an pœnitentem absolverit necne.

R. Si ipsum absolverit, id per se affirmaret sine violatione sigilli ; per accidens vero violaret sigillum, si v. g. inde oriri posset suspicio, quod pœnitens grave quid fuerit confessus, vel quod alius, de quo idem non dicitur, propter indispositionem non fuerit absolutus.

Si pœnitentem non absolverit, per se id non licet dicere, quia audientes inde colligere possent eum fuisse indispositum, adeoque indirecte violaretur sigillum. Per accidens non violaretur, si v. g. audientes apprehenderent, non fuisse absolutum, propter defectum usus rationis publice notum.

Præstat autem, quoad omnes uti eadem responsione : *functus sum officio meo ;* vix enim sine aliquo scandalo aut periculo aliquid affirmaretur aut negaretur.

N.° 109. De testimonio confessionis dando aut negando.

An confessarius violat sigillum verbo vel scripto testando aliquem sibi confessum fuisse ?

Non violat sigillum qui testatur aliquem sibi confessum esse.

R. Negative per se, quia sic nihil revelat ex confessione, nec gravamen adfert pœnitenti. Per accidens tamen sic ageret contra sigillum, si nimirum pœnitens verbo vel facto, v. g., clam accedendo, significaverit se nolle sciri quod sit confessus, quia tunc revelatio cederet in hujus gravamen ; imo eo ipso quod sciretur clam confessus confessario extraordinario, posset venire in suspicionem gravioris delicti.

An confessarius rogatus a pœnitente potest ei negare testimonium confessionis, si non fuerit absolutus ?

Testimonium negari non potest, licet pœnitens non fuerit absolutus.

R. Negative ; quia negare schedulam, saltem si in iisdem circumstantiis concedi soleat iis qui absolvuntur, idem esset ac indirecte revelare pœnitentem non esse rite confessum. Hanc sententiam ut probabiliorem et communiorem tenet S. Alphonsus, n. 639, contra Bonacinam et De Lugo, quorum prior dicit in casu negandam esse schedulam, alter vero, posse negari.

Quomodo testimonium confessionis conscribi debet ?

Forma testimonii.

R. Hoc modo : *N....* (prænomen et nomen pœnitentis) *mihi sacramentaliter confessus est, hac....* Signatur a confessario.

Si nomen pœnitentis ignoretur, nec hic illud libenter declaret, non ideo testimonium est negandum, sed conscribi potest hoc modo : *Lator* vel *latrix hujus mihi sacramentaliter confessus est, hac...*

Oportet autem semper uti eadem forma, sive absolutio data fuerit sive non ; nunquam addendum, absolutionem datam esse, ne, si quandoque non addatur, suspicio oriatur de negata absolutione ; neque addendum, pœnitentem esse confessum in ordine ad communionem paschalem aut matrimonium, vel aliud quod confessioni extrinsecum est, et non potest semper addi.

An testimonium dandum est illi qui nihil confitetur, sed petit solam schedulam?

Non potest dari illi qui nil confitetur.

R. cum La Croix negative; neque sine mendacio dari posset, cum reipsa non sit confessus.

N.° 110. Quinam obligentur sigillo sacramentali.

Quinam obligantur sigillo sacramentali?

Sigillo obligantur qui rem cognoscunt ex confessione immediate,

R. Omnes qui ex confessione immediate vel mediate, licite vel illicite, notitiam habent rei sub sigillo comprehensæ.

Ita *immediate* ex confessione notitiam ejusmodi rei habent:

1.° Ipse confessarius, sive verus fuerit sive fictus, etiamsi laicus.

2.° Interpres a pœnitente ad confitendum adhibitus; tum ille qui confessionem alterius scripsit, v. g. rudis, ut hic facilius et perfectius confiteretur.

3.° Qui confessionali vicinus aliquid de confessione audivit, seu casu, seu ex industria.

4.° Illi coram quibus confessio facta est propter necessitatem, v. g., in incendio, naufragio, etc.

Atque hi omnes non tantum obligantur secreto naturali arctissimo, ut omnes concedunt, sed etiam sigillo sacramentali prorsus inviolabili: sacerdos quidem principaliter et certo, juxta omnes, cæteri vero secundario et probabilius, juxta communiorem sententiam contra paucos.

mediate;

Mediate vero ex confessione notitiam habent rei sub sigillo comprehensæ, et similiter juxta communiorem sententiam, non tantum secreto naturali sed sigillo sacramentali obligantur:

1.° Superior cui se sistit pœnitens absolutus in necessitate a censura reservata, aut cui ipse aut confessarius de ejus licentia manifestavit, pro facultate absolvendi obtinenda, peccatum reservatum. Præstat vero facultatem absolvendi a reservatis petere in genere absque designatione personæ, ut minus gravetur pœnitens, qui ordinarie non libenter concedit notitiam peccati sui communicari tertio etiam sub secreto sigilli.

2.° Ille cui confessarius manifestat peccatum ex confessione sacramentali notum ad petendum consilium ; quod de licentia pœnitentis fieri potest, juxta dicenda N. seq.

Nonnulli idem sustinent de eo, a quo ipse pœnitens consilium petit in ordine ad suam confessionem faciendam ; sed probabilius alii negant, et in casu secretum naturale tantum admitti posse sustinent, quia talis declaratio nulla ratione est sacramentalis, neque manifestatio secreti retraheret a confessione, sed tantum a consultatione, ad quam nemo tenetur. Verumtamen si talis consultatio fieret apud ipsum confessarium ad facilius et melius eidem postea confitendum, hic obligaretur sigillo ; quia tunc est quædam sacramentalis confessionis inchoatio.

3.° Omnes generatim quibus aliquid sub sigillo cadens revelatum est, sive licite sive illicite, etiamsi ad plures transiverit.

Ratio omnium communis est, quod hi omnes participes sunt scientiæ sacramentalis, quæ ad ipsos transit cum suo onere inviolabilis sigilli

An sigillo tenetur, qui legit chartam in qua alter peccata sua descripsit ?

an qui legit chartam in qua confessio scripta est.

R. verbis S. Alphonsi, *Homo Apost.*, tract. 16, n. 151: « Affirmant Sporer, Roncaglia et alii pauci ; tum quia illa scriptura est proxime ordinata ad confessionem futuram ; tum quia manifestatio talis scripturæ redderet odiosam confessionem. Sed negant communissime et probabilius Soto, Navarrus, Suarez,.... quia sigillum non contrahitur in præparatione ad confessionem, sed dumtaxat in confessione actuali aut proxime inchoata... Et cum scriptura ordinarie non sit necessaria ad confitendum, respondetur ad secundam rationem oppositam... quod timor revelationis scripturæ redderet odiosam scriptionem, non autem confessionem. »

« Recte tamen excipiunt Lugo, Sporer, Holzman, etc., 1.° si illa scriptura confecta esset a muto, qui non posset aliter confiteri ; 2.° si esset epistola ad superiorem scripta pro obtinenda licentia reservatorum ; 3.° si illa charta, ut recte dicunt Viva, Wigandt cum ipso De Lugo, esset consignata sacerdoti pro confessione

facienda, quia tunc etiam habetur tanquam confessio inchoata ; aut, addunt, si illa charta relicta esset casu in confessionali post factam confessionem. »

« Cæterum extra hos casus, ut dicunt Laym., Castrop., et Spor., qui legeret hujusmodi scripturas (et tanto magis qui eas proderet), non potest excusari a peccato gravi, nisi sciret certo ibi contineri levissima peccata. Addunt amplius Laym., et Spor., quod peccata ibi contenta non possent revelari nisi in casu maximæ necessitatis, ut esset ad salvandam rempublicam aut vitam innocentis. »

An ipse pœnitens etiam ligatur sigillo sacramentali ?

Non obligatur sigillo ipse pœnitens.

R. Negative, tum quoad ea quæ ipse confessus est, tum quoad ea quæ a confessario sibi dicta sunt ; quia sigillum institutum est tantum in favorem pœnitentium, non confessariorum.

Attamen propria peccata in tantum tenetur celare, in quantum tenetur se non infamare. Quoad ea vero quæ spectant confessarium, tenetur secreto naturali, si ea revelare nequeat absque ejus, aut alterius, seu Sacramenti præjudicio. Addit S. Alphonsus, n. 647, teneri pœnitentes huic secreto, quamvis naturali, strictius quam alii ; rationem vero allegat, quod cæteri qui consilia præbent, voluntarie id faciant, confessarius autem teneatur præbere ex officio.

N.° 111. De licentia pœnitentis circa sigillum.

S. Thom., Supplem., quæst. 11, art. 4.

Quotuplex distinguendus est modus concedendi licentiam ad revelandum ea quæ ex confessione nota sunt ?

Duplex modus concedendi licentiam revelandi cognita ex confessione.

R. Duplex, nimirum : 1.° si detur ita ut pœnitens confessario alium cognoscendi modum procuret, extrasacramentalem nempe et humanum ; quo fit ut confessarius tunc ea cognoscat, non solum ut minister Christi, sed etiam ut homo. Neque necesse est ut ideo extra confessionem pœnitens distinctim eadem repetat, sed sufficit, ut v. g. inter confitendum dicat : *potes plane agere ac si hæc extra confessionem dixissem,* vel post confessionem addat : *ea quæ confessus sum, jam*

etiam dico extra confessionem. Sic enim in æquivalente et virtualiter eadem dicit extra confessionem sacramentalem.

2.° Si licentia concedatur ita, ut non detur simul nova notitia extrasacramentalis, sed ut manente sigillo confessionis, confessarius ad talem vel talem effectum uti possit ipsa scientia quam ex confessione habet, seu auditis formaliter in confessione, ut quidam loquuntur.

An pœnitentes possunt aliquando confessariis dare licentiam manifestandi ea quæ ipsis confessi sunt?

Quomodo concedi possit.

R. 1.° Quoad priorem modum manifestandi supra indicatum, non potest moveri dubium quin ex justa causa hanc licentiam concedere possint. Quemadmodum enim ex justa causa aliis possunt extrasacramentaliter peccata detegere, ita et confessario, et per hunc tertio. Neque talis manifestatio injuriosa esse potest Sacramento, cum ipsa notitia, qua utitur confessarius, tunc sit extrasacramentalis.

R. 2.° Quoad alterum modum, quo nulla extrasacramentalis notitia peccati confessario datur, sed ipsa sigillata notitia ex sacramentali confessione habita, tertio communicari permittitur, duplex est theologorum sententia. Prima negat pœnitentem hanc licentiam dare posse, quia licet pœnitens cedere possit juri suo, non tamen cedere potest juri Sacramenti, in cujus favorem, inquiunt,* primario introductum est sigillum : quemadmodum non potest clericus renuntiare juri suo cum detrimento privilegii statui clericali concessi. Ita Henno et communiter Scotistæ post ipsum Scotum in IV, dist. 21, q. 2.

Secunda sententia communior affirmat sic licentiam dari posse, cum Suarez, De Lugo aliisque, qui pro se adferunt S. Thomam, S. Bonaventuram, etc. Hi ad fundamentum contrariæ sententiæ respondent, quod honor Sacramenti in tantum vetet confessionis seu sigillatæ notitiæ revelationem, in quantum hæc redderet Sacramentum odiosum fidelibus : talis autem non est revelatio confessionis facta ex justa causa de licentia pœnitentis; e contra hæc est favorabilis Sacramento, quatenus allevat onus pœnitentis, qui alias plerumque deberet dicere peccatum extra confessionem, cum periculo ut

jam, deficiente sigillo, posset facilius revelari. Unde et paritatem negant cum exemplo clerici qui cederet privilegio sui status, quia hic cedendo suo juri equidem efficere non potest, quin injuria inferatur statui qui utique in ipso perseverat.

An is cui confessarius cum licentia pœnitentis aliquid manifestavit directe aut indirecte, obligatur sigillo?

An tertius tunc obligatur sigillo

R. Distinguendo : si priori modo supra descripto concessa fuerit licentia, non obligatur, quia tunc communicatur cognitio extrasacramentalis, quæ non potest affici sigillo, sed tantum secreto naturali. Si vero posteriori modo licentia sit data, tertius sigillo obligatur, quia tunc communicatur ei ipsa confessio sacramentalis, quæ ex institutione Domini est sigillata. In hoc autem casu alteri dicendum est, rem communicari sub sigillo. In dubio semper est supponendum, licentiam datam esse hoc modo, adeoque communicationem fieri sub sigillo ; præsertim ubi communicatio fit in ordine ad petendum consilium circa directionem pœnitentis, aut absolutionem ei dandam, vel ad petendam facultatem absolvendi a reservatis, etc.

Ubi vero danda est licentia confessario utendi cognitis ex confessione, non in ordine ad hoc ipsum Sacramentum, sed in ordine v. g. ad confessarii directionem in sua agendi ratione vel circa seipsum, vel circa tertium vel circa ipsum pœnitentem extra Sacramentum, utilius conceditur priori modo, ut confessarius sic liberius agere possit sine periculo scandali aut violationis sigilli.

Notanda.

Quovis denique modo concessa fuerit licentia, prudenter ea utatur confessarius, ne limites concessionis excedat, et *ne fractor sigilli reputetur*, ut monet S. Thomas, art. 4, in corp.

Advertunt aliqui theologi, cavendum etiam esse, ne fictus pœnitens ex appetitu vindictæ aut alio pravo affectu nitatur opprimere innocentem ope confessarii, hunc v. g. inducendo ut severius erga illum agat, aut apud superiores accuset. Quamobrem confessarius caute et raro, et non nisi ob gravem causam, petat aut acceptet licentiam confessis utendi, aut de iis loquendi, maxime ubi iis uti deberet in gravamen alterius.

Generatim ad omnia incommoda certius vitanda, præstat ut pœnitens ad confessarium vel ad tertium accedat extra confessionem ut ei rem declaret ; et ad hoc inducendus est, nisi inde timeatur gravis vexatio aut aliud malum.

Qualis debet esse licentia pœnitentis, ut confessarius ea uti possit ?

Condiciones ut ea uti possit confessarius.

R. Debet esse 1.° prorsus *spontanea* et *libera* : ita ut pœnitens, etiam quando tenetur dare, ad eam dandam non fuerit coactus importunis precibus, aut minis, aut metu reverentiali. Unde pœnitenti quidem proponi possunt rationes et obligatio concedendi licentiam, sed si nolit, importune urgeri non potest ; alioquin invalide concessa censeretur.

2.° *Expressa* : non enim sufficit præsumpta, tacita, interpretativa ; alioquin confessio etiam apud prudentes foret odiosa, quandoquidem facile sibi persuaderent, confessarios nimis facile præsumpturos aut supposituros licentiam esse datam. Sequitur a fortiori non sufficere licentiam petitam, sed recusatam.

Perinde autem est sive verbo, sive scripto, sive nutu aut facto licentia detur.

3.° Debet esse *rationabilis*, seu data ob justam rationem ; v. g., ad petendum consilium, ad impediendum grave malum, vel notabile bonum procurandum.

4.° Requiritur ut *non* sit *revocata* ; pœnitens enim jus retinet quovis tempore eam revocandi.

N.° 412. De obligatione confessarii ad servandum sigillum respectu ipsius pœnitentis, et de reparando errore in confessione admisso.

An confessarius in confessione loqui potest pœnitenti de cognitis ex præcedente ejus confessione ?

Potest confessarius in confessione loqui ex justa causa de auditis in alia ejusdem

R. Affirmative, cum sententia communissima contra paucos, si nempe recta administratio Sacramenti, aut utilitas pœnitentis id requirat. « Quia, inquit Billuart, licet sola peccata præsentia sint materia directa præsentis confessionis, præterita tamen, quatenus rectitudini præsentis confessionis et judicii expediunt, ad illud indirecte pertinent. Et hæc est praxis timoratorum

confessione : confessariorum, qui v. g. pœnitentes ob relapsus arguunt ; atque incassum adhortaremur pœnitentes eodem semper confessario uti, si is deberet se gerere ac si nesciret præcedentes confessiones. »

Additur : *si recta administratio, etc., id requirat ;* quia de se natum est pœnitenti gravamen adferre, adeoque evitari debet, nisi justa causa id requirat. Casus occurrit, si necesse sit ad reparandum errorem in præcedenti confessione commissum, vel pœnitens monendus sit de recidiva, consuetudine, occasione proxima, etc.

An ex justa causa potest confessarius, immediate post datam absolutionem, adhuc loqui pœnitenti de iis quæ in confessione exposita sunt ?

item immediate post absolutionem ; R. Affirmative ; quamdiu scilicet pœnitens est in confessionali ; quia licet Sacramentum sit completum, judicium adhuc moraliter perseverat. Requiritur tamen aliqua necessitas vel notabilis utilitas ; aliter enim immerito gravaretur pœnitens.

An confessarius potest extra confessionem loqui cum pœnitente de iis quæ audivit in confessione, absque illius expressa licentia ?

non extra sacrum tribunal sine expressa licentia. R. Negative ; et hoc certo videtur tenendum, si non agatur de reparando defectu in confessione commisso. Si autem agatur de tali defectu reparando, nonnulli graves auctores, ut Suarez, etc., docent licere, imo confessarium ad hoc teneri ; quia, inquiunt, talis monitio supplet et perficit eamdem confessionem inchoatam, quæ imperfecta manserat.

Verum communior et probabilior sententia negat cum Sanchez, De Lugo, etc. ; eique subscribens S. Alphonsus, n. 622 : « Ratio potissima, inquit, quia licet monitio illa fiat ad reparandum defectum præteritæ confessionis, attamen, cum non sit cum illa conjuncta, et judicium jam fuerit completum, evadit illicita ; eo quod esset quædam peccati exprobratio, et ideo odiosam confessionem redderet. »

Addit vero idem S. Auctor : « Hoc tamen intelligendum, si confessarius judicium jam perfecerit, absolutionem impertiendo ; nam si non absolverit, vel quia oblitus fuerit absolutionem dare, vel quia eam male protulerit, tunc valde probabiliter dicit La Croix,

bene posse confessarium, non petita licentia, dicere pœnitenti, eum non absolvisse ; tunc enim revera nulla intervenit peccati exprobratio. »

An et quomodo tenetur confessarius reparare errorem, quo invalidum redditur Sacramentum, ut si omisit vel male protulit formam ?

An et quomodo reparandus sit error, quo redditur sacramentum invalidum,

R. 1.° Si absolutionem datam non fuisse animadvertat brevi post confessionem, ita ut confessio et contritio moraliter censeantur adhuc perseverare, et pœnitens sit sufficienter præsens, potest, et si materiam necessariam confessus erat pœnitens, tenetur occulte eum absolvere, v. g. sedentem prope confessionale, aut jam constitutum in scamno communionis. Posset etiam aliquando, præsertim si etiam satisfactio sit imponenda, pœnitentem revocare ad tribunal pœnitentiæ, si tamen inde nullum timeatur scandalum aut suspicio aliorum.

R. 2.° Si sic error reparari nequeat, quia v. g. pœnitens abscessit, aut absolutio invalida fuit propter defectum jurisdictionis, aut indispositionem pœnitentis, distinguendum est.

Vel 1.° pœnitens ex hoc defectu versatur in proximo periculo damnationis, ut si sit in periculo mortis, nec iterum prævideatur confessurus, aut aliud Sacramentum suscepturus, aut perfectam contritionem habiturus ; tunc tenetur confessarius eum monere extra confessionem, prius petita licentia ; idque etiam cum gravi damno proprio, ut si propterea iter difficile esset suscipiendum, quia ex charitate tenetur subire grave damnum, si necessarium sit ad avertendum summum periculum spirituale proximi adeo imminens.

Vel 2.° pœnitens non versatur in tanto salutis periculo, attamen ex isto errore magnum damnum spirituale patitur ; ut si inde prævideatur diu permansurus in statu peccati mortalis ; tunc etiam per se monendus est pœnitens de defectu extra confessionem, petita prius licentia ; et quidem cum gravi confessarii incommodo, si error fuit graviter culpabilis ; secus, si leviter aut nullatenus fuit culpabilis.

Dicitur : *per se ;* quia per accidens propter scandalum non posset confessarius pœnitentem monere, ut si prævideat illum ex monitione graviter commovendum, et

inde fieri odiosum Sacramentum, ut dicit Billuart. Quo casu eum moneat in sequenti confessione, nisi ex monitione in confessione simile timeatur scandalum ; tunc enim omnis monitio prætermittenda esset.

Vel 3.° pœnitens inde non constituitur in periculo salutis, nec diu videtur permansurus in statu peccati mortalis, quia v. g moraliter certum est, quod iterum et brevi confitebitur, et ideo a præcedentibus peccatis indirecte absolvetur. In hoc casu non tenetur confessarius eum monere, nisi in confessione, si redeat ; et hoc tantum, si ex monitione non sit scandalum passurus. Rationem dat Billuart : « Quia ex monitione extra confessionem sequitur semper aliquod scandalum in pœnitente, et magna verecundia ac infamia quædam in confessario, ut recte advertit Nugno. Pœnitens autem propter bonam fidem excusatur ab integritate materiali confessionis secuturæ, in qua speratur justificandus. » Idemque videtur dicendum, si pœnitens videatur justificandus per Eucharistiam, aliudve Sacramentum quod suscepturus est ; saltem si sine gravi incommodo antea moneri non possit. A fortiori monitio extra confessionem omittenda est, si jam aliud Sacramentum bona fide fuit susceptum.

Ad quid tenetur confessarius, si ex errore Sacramentum quidem non redditur invalidum, sed grave prævidetur damnum secuturum vel pœnitentis vel tertii ?

ut ex quo grave imminet damnum pœnitenti vel tertio.

R. Idem videtur dicendum ac in secundo casu supra posito, ubi ex invaliditate Sacramenti grave sequitur pœnitentis damnum ; nimirum monendum esse etiam extra confessionem, petita prius licentia, nisi grave scandalum prævideatur ; idque facere tenetur confessarius cum gravi proprio damno, si error fuit graviter culpabilis, secus vero non.

Casus est, si omisit pœnitentem monere de occasione proxima vitanda, ex quo prævidetur in peccatum mortale lapsurus ; vel si eum deobligavit a restitutione facienda, ex quo hanc prævidetur omissurus. An vero in ultimo casu confessarius teneretur ipse ad restitutionem, vide in tract. *De jure et justitia.*

Ad quid tenetur confessarius, si error fuit tantum circa integritatem materialem confessionis ?

R. cum Billuart : « Si ex errore confessarii non sit invalidum Sacramentum, nec sequatur in pœnitente periculum proximum peccandi, nec damnum respectu tertii, sed tantum præjudicium directæ remissioni aliquorum peccatorum, puta quia omisit, etiamsi culpa biliter, interrogare peccatorum species, numerum, circumstantias, etc., tenetur quidem, ut salvetur, in quantum potest, integritas materialis confessionis. monere pœnitentem in confessione, si redeat, et possit fieri sine inconveniente, quale esset, si ex refricata alicujus peccati memoria, pœnitens magno rubore afficeretur, et inde haberet exosum Sacramentum, ut facile contingit in mulieribus circa peccata carnis. Extra confessionem autem, secundum communiorem et nobis veriorem sententiam, non tenetur monere ; quia judicium sacramentale est jam valide finitum, nec pœnitenti est inde ullum periculum salutis, cum supponatur in gratia, et ab omnibus peccatis saltem indirecte absolutus. Ex monitione autem extra confessionem semper natum est sequi, ut jam diximus, scandalum in pœnitente, et in confessario magna verecundia et quædam infamia. » Quid si error tantum afficiat integritatem confessionis.

Denique observat idem Billuart, quod si confessarius absolverit pœnitentem a censura a qua absolvere non poterat, et pœnitens ignoret se censura innodatum, confessarius posset eum postea nescientem et absentem absolvere, obtenta facultate a tali censura absolvendi extra confessionem.

N.° 113. De usu licito vel illicito scientiæ ex confessione haustæ.

Ex notione sigilli sacramentalis constat, non tantum prohibitum esse revelare aliquid ex notis per confessionem, sine expressa pœnitentis licentia, sed etiam uti hac notitia cum gravamine pœnitentis, quamvis fieret sine revelatione.

Hinc quæritur :

Quandonam confessarius utens scientia confessionis violat sigillum ?

R. In duobus casibus : 1.° Quando periculum subest, Quando

confessarius utens scientia confessionis violet sigillum.

ne saltem indirecte reveletur aliquid cadens sub sigillo, aut ne illud suspicandi occasio præbeatur.

2.° Quando quidem non subest ejusmodi periculum, attamen usus ille notitiæ sacramentalis cederet in gravamen verum aut apprehensum pœnitentis aut complicis : ut si confessarius ex sola notitia sacramentali negaret pœnitenti aut complici testimonium morum. Ratio, quia sic confessio redderetur odiosa, et pœnitentes ab ea averterentur.

Hic notandum decretum in Congr. gen. Universalis Inquisitionis auctoritate Innocentii XI editum, anno 1682, quo proscripsit opinionem quæ dicebat : *Scientia ex confessione acquisita uti licere.... cum gravamine pœnitentis, seclusa quacunque revelatione, atque in casu quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur ;* et prohibuit *ne quis publice aut privatim hanc propositionem doceat, mandans etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant.*

Jam olim, anno scilicet 1594, Clemens VIII superioribus regularium prohibuerat, ne notitia confessionis ad externam gubernationem uterentur : *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quamvis hoc decretum emanatum fuerit tantum pro superioribus regularibus, extendi tamen debet ad alios omnes, cum eadem ratio quæ urget pro regularibus, valeat pro sæcularibus, ne scilicet confessio reddatur odiosa. Unde hoc decretum non tam habendum est ut mera juris positivi dispositio, quam ut declaratio juris divini. Cfr. Steyaert.

Hinc cum S. Alphonso, n. 657, concludendum est ut certum, contra quosdam antiquos theologos, non licere superiori in electione ad beneficium vel officium negare suffragium ei quem ex sola confessione noverit indignum. Dicitur : *ex sola confessione ;* quia confessio non impedit quin confessarius utatur notitia aliunde acquisita, prudenter tamen, ne scandalum præbeat et suspicionem violati sigilli ingerat.

Ex eodem principio inferendum est, confessarium ex sola notitia confessionis exercere non posse alios actus pœnitenti ingratos : ut vultum austeriorem ostendere, durius alloqui, fugere ejus colloquium, mittere ad alium locum, recusare licentiam exeundi, repellere a beneficio vel ab Ordinibus, expellere domo, puta furem domesticum, amovere ab officio, etc.

Neque refert quod in his et similibus casibus pœnitens non advertat id fieri ex notitia confessionis, cum equidem fiat in ejus gravamen, et si scirent fideles licitum esse confessariis sic uti cognitis ex confessione, ab ea omnino deterrerentur.

Idem dicendum, si usus confessionis vergat in detrimentum non ipsius pœnitentis, sed complicis vel tertii, cujus peccatum ex sola confessione notum est.

Major est dubitandi ratio, si agatur de quibusdam actibus qui non ita directe pœnitenti aut complici, vel tertio gravamen adferunt, sed extrinseca impedimenta peccatis opponunt : ut est, diligentius res suas custodire, seras mutare, claves apud se servare, obstruere fores vel fenestram. « Multi, inquit Billuart, hæc licere dicunt ; quia hujusmodi actus non debent censeri ingrati pœnitenti, ad quos ipse, si vere sit pœnitens, cooperari tenetur, et ideo inde nulli confessio redditur rationabiliter odiosa ; quoad decretum Clementis VIII dicunt eo tantum prohiberi actus versantes directe contra personas confessas. Hæc quidem, addit, probabiliter dicuntur ; at non minus probabile est oppositum ; tum quia per hæc tacite exprobrantur peccata pœnitenti si advertat, et inde erubescit ; si non advertat, obstare videtur decretum Clementis VIII, quod non distinguit inter actus et actus, sed generaliter prohibet, ne hujusmodi notitia superiores utantur ad externam gubernationem. » Concludit hanc posteriorem sententiam in praxi tenendam esse.

Quandonam confessarius uti potest scientia in confessione acquisita, independenter ab expressa licentia pœnitentis ?

R. Quando neutra ex sequelis supra indicatis est timenda, nimirum, si non subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, neque sequi possit ullum

gravamen pœnitenti vel alteri. Tunc enim usus notitiæ ex confessione habitæ non potest reddere Sacramentum odiosum aut pœnitentes ab eo avertere.

Unde potest confessarius ex sola notitia confessionis exercere actus gratos pœnitenti, ut orare pro ipso, benigniorem vultum ostendere, ab austeriore regimine, aut a verbis seu factis offensionis abstinere, etc., etiamsi pœnitens suspicari possit hæc fieri ex notitia confessionis.

Item potest confessarius uti notitia confessionis ad proprios mores corrigendos, ad sibi præcavendum a periculis damni spiritualis aut temporalis, ad diligentius invigilandum super gregem suum, ad alios monendum in genere de periculo, sed sine gravamine pœnitentis ; item ad alios interrogandos et instruendos, nullam tamen dando alterius confessionis suspicionem ; potest consulere libros et sapientes, etc. Cfr. S. Alphonsus, n. 657, qui tamen quosdam ex illis actibus enumerans, merito addit : « Nulli dubium, quin in prædictis actibus quam maxime caute confessarius procedere debeat, cum difficile sit in his omne periculum evitare vel revelationis vel gravaminis pœnitentis. »

Speciali quidem cautione et prudentia opus est, quando in concionibus publicis utitur confessarius notitia confessionis, ad increpanda quædam vitia, aut præmuniendum fideles contra certa pericula ; ne pœnitentes suspicentur eum loqui ex confessione, et pudore suffundantur ; præsertim si confessarius parvæ communitatis, v. g., religiosæ, coram illa concionetur. Imo in hoc ultimo casu non videtur posse prudenter agere in particulari nisi de vitiis et defectibus, quæ in tali communitate contingere communiter sciuntur.

N.° 114. Casus et quæstiones practicæ circa usum scientiæ ex confessione acquisitæ.

I. *Quid aget confessarius rogatus ut Sacramentum, v. g. Eucharistiam, Matrimonium, Ordinem, etc., administret illi, quem ex sola confessione cognoscit esse indignum ?*

Quid agere debeat confessarius

R. Agere debet quasi indignitatem illam ignoraret ; adeoque Sacramentum propterea denegare non potest, prout de sacra communione jam dictum est in

tract. *De Euchar.*, N. 40. Atque hæc sententia, contra quosdam antiquos, omnino tenenda est, post decretum Innocentii XI supra relatum, etiam in casu ubi petitio occulte fit et nullum datur periculum revelationis ; quia equidem confessarius Sacramentum denegans uteretur scientia confessionis in gravamen saltem apprehensum pœnitentis, adeoque sigillum violaret.

administraturus aliquod Sacramentum erga illũ quem ex sola confessione cognoscit indignum.

Verum in ipsa confessione studeat sacrilegium præcavere quantum potest ; ideo si illud prævideat, ab eo peccatorem deterreat, ac deinde pro ejus resipiscentia ferventer oret.

Si autem extra confessionem sciat pœnitentem indignum eique Sacramentum denegandum fore, expedit ut ante confessionem id ipsi dicat, ne post confessionem Sacramenta recusans, videatur sigillum violare.

II. *An confessarius ex sola confessione sponsi sciens peccatum v. g. fornicationis ipsum inter et sponsam habuisse locum, potest absolvere sponsam quæ illud sacrilege reticet, et vicissim ?*

Quid erga illum qui in confessione tacet peccatum quod scit ex confessione complicis.

Prænotandum, quod non possit confessarius ex scientia in confessione sponsi acquisita sponsæ absolutionem aperte denegare, nec eam monere ut se pariter de fornicatione accuset ; quandoquidem ita revelaret alterius confessionem, eaque abuteretur cum gravamine complicis. Propter eamdem rationem non posset nimia insistentia desuper interrogare sponsam, ita ut hæc merito suspicaretur ex confessione sponsi illud fieri. Supponitur autem, quod post justam et prudentem diligentiam confessarii in examine et monitione pœnitentis illa pergat peccatum dissimulare, et aliunde constet illud nondum fuisse confessam.

R. Videtur respondendum cum Sylvio, Steyaert, Du Jardin, Pontas, Collet, etc., sponsam in hoc casu posse ac debere simpliciter absolvi, si non sit alia ratio absolutionem differendi : quia alias abuteretur confessarius notitia ex confessione habita cum gravamine complicis. Quidam tamen cum Lacroix, n. 1969, resolvunt, sponsam in casu non debere absolvi, sed dissimulanter super eam dici : *Misereatur*, etc., ita scilicet ut non advertat absolutionem non dari. Verum hæc praxis non videtur probanda, tum quia videtur esse

simulatio Sacramenti, quæ, juxta dicta, *De Sacram. in gen.*, N. 43, semper est illicita, tum quia sic confessarius uteretur confessione sponsi cum gravamine complicis: hæc enim, cum tanquam bonum sibi apprehendat, quod a confessario veluti disposita tractetur et absolutionem percipiat, ea privari veluti damnum haberet ex confessione alterius sibi adveniens.

Ut hæc difficultas præcaveatur et sponsi adducantur ad delicta sua integre confitendum, quædam cautelæ indicantur a theologis, quæ utiliter adhibentur.

Prima est, ut confessarii regulam sibi præfigant desponsandos semper interrogandi circa peccata quæ sexto et nono præcepto Decalogi adversantur; quod hoc fere modo fieri potest: Pro majori dispositione et tranquillitate conscientiæ eorum qui matrimonio jungendi sunt, soleo ipsis quasdam interrogationes proponere; rogo ut sincere et cum fiducia ad eas respondeas, neque timeas, etiamsi graviter peccaveris, absolutionem tibi recusandam esse. An occasione proximi matrimonii tibi subortæ non sunt cogitationes inhonestæ? Annon contigerunt illicitæ libertates? Deus omnia vidit, et illi soli hic confiteris, etc.

Secunda cautela in eo consistit, quod ille prius audiatur, qui creditur confidentius et magis integre confessurus, quia vel minus erubescit, quod viris proprium est, vel timoratior est, ut fœminæ esse solent, vel assuetus est huic confessario candide confiteri, etc.

Tertia cautela indicatur a nonnullis, scilicet ut qui prius confessus est, inducatur ad alteri dicendum, priusquam hic accedat, se peccatum illud aperte confessum esse, adeoque ab ipso quoque fidenter esse declarandum.

Quarta cautela aliquibus esse videtur, ut confessarius ab eo qui prior peccatum confitetur, licentiam petat alterum de eo interrogandi. Hoc tamen pluribus pœnitentibus odiosum videri posset; unde adhibendum non est, si timendum sit ne pœnitens ægre licentiam concedat, aut complex illud ægre ferat; aut si hic per se candide confessurus prævideatur.

Quando autem licentia hujusmodi data est omnino spontanee et cum cæteris conditionibus supra recensitis,

eadem prudenter ac benigne utatur confessarius, ut complex in sua confessione inde solatium potius quam aliquod gravamen accipiat.

Nota. Similis difficultas advenire potest confessario duorum conjugum vel aliorum qui simul grave peccatum incontinentiæ, injustitiæ, etc., commiserunt ; eadem quoque principia iis applicari debent.

III. *Quid agendum confessario, qui in confessione puellæ moribundæ audit eam esse gravidam, idque omnino esse occultum ?*

Quid si puellam moribundam esse gravidam sciat ex confessione.

R. 1.° Debet eam inducere, ut extra confessionem prægnationem suam alicui declaret, sive matri, sive medico, sive alteri, ut, si forte moriatur, fœtus secreto possit extrahi ex utero et baptizari. Ipsa enim tenetur Baptismum, in quantum fieri potest, proli procurare etiam cum detrimento propriæ famæ. Si autem alteri id revelare non audeat, confessarius ei persuadere poterit, ut sibi extra confessionem rem declaret, medico v. g. communicandam ; sed eo casu valde prudenter se gerere debet, ne sigillum violasse videatur. Posset etiam suggerere, ut mulier rem scribat in charta, aut confessarius pro ea ; ipsa autem chartam clausam tradat tertiæ personæ post mortem aperiendam.

2.° Si ita a confessario monita mulier nolit assentiri, prudenter se gerat confessarius, nec statim pronuntiet negandam esse absolutionem : nam plerumque erit concedenda ; ut si conceptionis signa non sint omnino certa, vel si puella bona fide putet fœtum esse mortuum, aut non posse sibi supervivere, ita saltem ut detur spes fundata Baptismi ei conferendi ; imo si putet se non teneri ad prodendam famam propter spem remotam procurandi salutem prolis, saltem ut dubie disposita in periculo mortis erit absolvenda.

Cumque talia sibi facile persuadeant hujusmodi puellæ, prudens confessarius non nimis stricte urgebit hanc obligationem, ubi videt eas renitentes, ne omnino faciat indispositas et certo perdat, et ne, ut dicit Cangiamila, dum fœtus animam liberare cupimus, matris animam incaute perdamus.

3.° Si denique unice ex confessione statum puellæ cognoscat confessarius, sive ante sive post mortem ita

se gerere debet, ac si nihil sciret, adeoque non potest aliis rem indicare ; secus violaret sigillum.

Monet Braunman cum aliis, confessarium vocatum ad puellam moribundam, cujus vivendi ratio suspicionem ingerit, ne forte sit gravida, priusquam se accingat ad confessionem ipsius audiendam, nisi sit periculum in mora, provide a parentibus, aliisve, præsertim vero a medico sciscitari, quæ fuerit illius conversatio, quæ morbi causa, etc., ut si gravidam esse intelligat, facilius in confessione et post eam procedere valeat.

IV. *An confessarius qui ex sola confessione novit sibi a pœnitente vel ab aliis parari insidias, vinum venenatum in Missa propinandum esse, etc., potest ea notitia uti ad sibi cavendum ?*

Quid si ex confessione sciat sibi parari insidias.

R. Distinguendum est : 1.° Si pœnitens det licentiam utendi hac notitia sacramentali, confessarius certo ea uti poterit, juxta ante tradita. Tenetur autem ille pœnitens in casu sub gravi hanc licentiam dare confessario, saltem in quantum necesse est, ut hic periculum declinare possit, nisi forte ipse pœnitens gravissimum inde damnum esset passurus.

Posset etiam confessarius uti accepta notitia, si pœnitens id dixerit, non ex intentione confitendi, sed ad confessarium de periculo commonendum, vel ad comminandum , quia tunc notitia non est sacramentalis.

Similiter, etsi pœnitens nolit dare licentiam, si confessarius habeat aliam rationem iter non suscipiendi, Missam non celebrandi, etc., poterit ex hac ratione iter omittere, etc., ac ita periculum declinare ; cognitio enim sacramentalis non impedire debet, quominus aliis rationibus quas vere habet, ducatur.

2.° Si ex usu cognitionis sacramentalis minime manifestetur aliis peccatum confessum, nec ullum pœnitenti gravamen afferatur , ea uti licet ad periculum præcavendum. Cfr. S. Alphonsus, n. 659.

3.° Si ex usu cognitionis sacramentalis nullum quidem gravamen pœnitenti afferatur, sed alii, v. g. complices, conjiciant eum esse confessum illud peccatum, duplex est sententia : una affirmat licere, cum Sporer, Laymann, Billuart, etc., quia tunc non fit revelatio peccati confessi, sed confessionem peccati alii ex propria scientia

conjiciunt : altera vero sententia cum S. Alphonso negat, quia ex ipsa confessarii actione, etiamsi simularet ex alia causa id fieri, illi rationabiliter conjiciunt peccatum confessum, adeoque fit indirecta revelatio illius.

4.° Si ex tali usu notitiæ sacramentalis sequeretur damnum pœnitentis, ut si propterea male tractaretur a complicibus, probabilius, etsi quidam contrarium teneant, non liceret. Unde nihil superesset, nisi ut confessarius se divinæ Providentiæ committat, eamque exoret ut periculum avertere dignetur ; de cætero vero exterius se ita gerat, ac si nihil ex confessione sciret, in iis omnibus quæ possent gravamen pœnitenti afferre.

V. *An confessarius ex sola confessione sciens aliquem esse gravibus peccatis assuetum, vel tenuem dispositionem afferre, potest abire ne eum audiat, vel aliter illius confessionem declinare ?*

An possit confessarius declinare pœnitentem cujus conscientiam intricatam scit ex anterioribus confessionibus.

R. 1.° Si advertant alii id oriri ex prioribus confessionibus, vel inde suspicentur de pœnitente aliquid mali, non potest, quia esset revelare indirecte confessionem cum gravamine pœnitentis. Ita Billuart.

2.° Si solus pœnitens id advertat, quidam dicunt licere, quia pœnitenti minus grave est, quod confessarius sic se subtrahat quam si in confessionali ei dicat : Tua conscientia est nimis intricata, quære alium confessarium, nolo amplius te audire : et hoc Billuart, loquens de habente conscientiam intricatam, existimat probabilius. Alii vero prorsus negant licere, quia, ut censent, hoc redderet confessionem odiosam pœnitenti.

3.° Imo S. Alphonsus putat, nequidem licere, etsi pœnitens non advertat id fieri propter confessiones anteriores, et rationem dat : « Quod licet tunc fuga illa ex prætextu apparenter justo non redderet confessionem odiosam tali pœnitenti, redderet tamen odiosam generaliter reipublicæ christianæ ; quia si scirent fideles, posse confessarios ex colorato prætextu aufugere ab ipsis, ob notitiam in confessione acceptam suorum peccatorum, facile gravarentur. »

Addit merito S. Auctor : « Licite autem confessarius se celabit, si justam habeat causam, ob quam etiam ab aliis pœnitentibus incognitis æque se excusaret. Nec obstat, quod pœnitens tunc etiam suspicari posset

confessarium se celare ob audita sua peccata ; nam si revera confessarius ob justam causam se excusaret, revera tunc sua suspicio esset temeraria, quam confessarius vitare non tenetur. »

Ob eamdem rationem posset confessarius dimittere famulum quem ex confessione alterius nosset esse furem, si alia suppeteret ratio propter quam eum dimisisset, etiamsi ex confessione nihil sciret ; secus vero non, nisi pœnitens spontanee dederit licentiam utendi extra confessionale hac notitia.

Denique hic utiliter subjungendum censemus monitum, quod S. Alphonsus in fine tractationis de sigillo, n. 661, habet : « Cæterum, inquit, generaliter loquendo, dico, quod esto confessarius in hac materia tam gravi et periculosa debeat esse valde cautus, ne pœnitentes ex confessione aliquod injustum gravamen subeant ; tamen non tenetur cavere omnes leves conjecturas, quas facile malitiosi faciunt, sed tantum ne præbeat suspiciones probabiles de peccatis auditis. »

N.° 115. De satisfactione in generali.

Satisfactio in genere,

Explicatis duabus partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, nempe contritione et confessione, de tertia, seu de satisfactione nunc agendum est.

Satisfactionis nomen late sumptum omnem actionem significare potest, per quam aliquis debitum suum implet : apud theologos vero per antonomasiam actionem significat, per quam Deo pro peccatis satisfacimus.

Porro duo in peccato consideranda sunt, videlicet culpa et pœna ; ex quo fit, duplicem intelligi satisfactionem apud Deum, alteram pro culpa, alteram pro pœna.

Satisfactio pro culpa,

De satisfactione pro culpa, seu de pœnitentia in ordine ad remissionem culpæ hic nihil dicendum est ; tum quia nullo modo pertinet ad hanc tertiam partem hujus Sacramenti ; tum quia non est a contritione distincta, neque alias conditiones requirit, et de illis antea actum est, ubi de contritione tam extra quam intra Sacramentum, ad remissionem peccatorum seu culpæ obtinendam. Nec etiam agendum est de satisfactione

pro pœna æterna, quia ex iis quæ antea tractata sunt, similiter constat, æternam pœnam nunquam manere sine culpa, ita ut dum remittitur culpa, per eamdem pœnitentiam vel satisfactionem remittatur pœna æterna.

satisfactio pro pœna.

Agendum igitur hic est de satisfactione pro pœna temporali, quæ, peccatis quoad culpam remissis, adhuc luenda restat. Hæc satisfactio, sic specialiter et stricte sumpta, duplex esse potest, altera extra Sacramentum, altera sacramentalis. Hujus posterioris consideratio propria est hujus loci, et de ea agetur in sequentibus NN.; in præsenti N. prius quædam dicemus de satisfactione secundum se considerata. Cæterum utraque consideratio plurimum est inter se connexa.

His præmissis, aliquot quæstiones resolvemus de satisfactione intra limites indicatos.

Quæst. I. *Quid est satisfactio generatim et secundum se sumpta?*

Hæc definitur.

R. Est voluntaria sui punitio ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam, et ad eum sic placandum, ut pœnam temporalem remittat.

Dum dicitur *voluntaria* sui punitio, non tantum intelligitur spontanea assumptio operum pœnalium, sed etiam voluntaria et pia toleratio pœnarum et afflictionum, quas Deus pro peccatis nostris immittit, aut confessarius vice Dei pœnitentibus imponit.

Quæst. II. *An vere possumus in hac vita remissionem pœnæ temporalis per nostras satisfactiones consequi?*

In hac vita remissionem pœnæ temporalis per nostras satisfactiones obtineri posse,

Ante responsionem nota. Lutherus, *Serm. de indulg.*, in assert. art. 5; Calvinus, *Institut.*, lib. 3, cap. 4; Confessio Augustana, *De satisfactione*, et in hujus *Apologia* Melanchton; Kemnitius, in *Examine Concilii Trid.*, et Dallæus in peculiari hac de re libro, adeoque Lutherani et Calvinistæ contendunt, remissa culpa, nullam superesse in ipsius vindictam solvendam pœnam; peccatorum sive ante sive post Baptismum patratorum eamdem habendam esse rationem; satisfactionem in sensu catholicorum officere meritis Christi, eisque gravem contumeliam irrogare; denique pœnas constitui non posse a ministris Ecclesiæ; neque in ultionem delictorum quondam inflictas, sed ad cautelam in futurum,

contra sectarios

ad experimentum veræ pœnitentiæ, et ad peccatores alios hisce rigoris exemplis terrefaciendos.

probatur R. Est de fide contra sectarios, quod per opera nostra consequi possimus apud Deum remissionem pœnæ temporalis. Hoc definitum est in Conc. Florent., et Trident., sess. XIV, cap. VIII et IX, et can. 13, quem vide sub initium tract.

ex Script. sacra, Probatur assertio dogmatica ex S. Script. : primo ex illis locis, in quibus generatim bonis operibus, præsertim pœnitentiæ, perfecta munditia et peccatorum remissio promittitur, ut Isai. I, 16 : *Lavamini et mundi estote*, etc., et infra : *Venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ;* et similia multa habentur Ezech. XVIII et XXXIII, Joel. II et sæpe alias : cum enim culpa per solam contritionem omnino remittatur, si nihil veniæ per cætera pœnitentiæ opera comparari posset, nulla peccati remissio illis promitti posset, et frustra in hunc finem exigerentur, præsertim post remissam culpam. Et in hunc sensum exponitur a Patribus verbum illud Joannis Baptistæ, Luc. III, 8 : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, i. e., fructus pœnitentiæ, scilicet qui pœnitentiam consequuntur, et ideo digni sunt aliqua remissione, tanquam vere satisfactoria opera.

Hanc interpretationem confirmat Suarez, disp. 37, sect. 1, auctoritate S. Augustini, lib. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 15, et Chrysost., *Homil. 10 in Matth.*, et post plura : « Confirmant hoc, inquit, illa sacræ Scripturæ loca, in quibus operibus misericordiæ peccatorum venia promittitur; Tob. IV : *Eleemosyna a peccato liberat, et non patitur animam ire in tenebras ;* ubi aperte sermo est de pœna vitæ futuræ, quæ per eleemosynas compensari dicitur. Unde Ecclesiast. III : *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Et in hunc sensum exponitur a Sanctis verbum illud Christi, Luc. XI : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis ;* quod intelligitur de munditia a reatu pœnæ, si tamen homo potius a se culpam abjecerit ; ut exposuit Basilius in *Regulis brevioribus*, in 271. Eamdem vim habet illa promissio Christi, Joan. XIV : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, remittet et vobis Pater cœlestis :* remissio

enim injuriarum quædam eleemosyna est, ut Aug. exposuit. »

Confirmatur hæc veritas Sanctorum exemplis apud Suarez, cit. loc. Et ad SS. Patres quod attinet, hi tam clare et constanter hanc doctrinam tradiderunt, ut Illyricus, Calvinus, Kemnitius ipsorum consensum cum diffiteri non possent, Patres excessus aut hyperbolicæ locutionis accusare satius duxerint. ex Patribus,

Tandem accedit ratio theologica : quia major concipitur requiri vis et efficacia ad promerendam vitam æternam, quam ad extinguendam pœnam temporalem ; sed bona justorum opera habent vim et efficaciam de condigno promerendi vitam æternam ; ergo multo magis habent vim et efficaciam de condigno satisfaciendi pro pœna temporali. et ratione theologica.

Nituntur sectarii duplici fundamento : primo, contendunt nullum remanere debitum pœnæ temporalis peccato quoad culpam dimisso ; secundo, dicunt satisfactiones nostras repugnare dignitati Christi satisfacientis. Utrumque hoc refutatum vide N. 12. Cæterum hæc et similia alibi recurrunt, ubi de indulgentiis, purgatorio, etc., agitur. Modo præstat summatim proponere doctrinam Conc. Trident.

Quænam contra sectarios est summa doctrinæ catholicæ a Conc. Trid., sess. XIV, variis capitibus et canonibus stabilitæ quoad satisfactionem ?

R. Istius doctrinæ summa hæc est : culpa remissa, temporalem plerumque pœnam luendam superesse : divinæ justitiæ ordinem postulare, ut aliter de peccatis ante Baptismum, aliter de iis, quæ post Baptismum commissa sunt, statuatur ; illa namque potissimum per ignorantiam, hæc autem per malitiam patrantur ; quocirca ut freno quodam peccatores coerceantur, æquum est, ut satisfactoriis quibusdam pœnis subjiciantur ; — illas satisfactiones non ita nostras esse, ut non sint per Jesum Christum in quo vivimus, meremur, satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre ; neque ex hujusmodi satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte Summa doctrinæ catholicæ ex Conc. Trid.

minui ; — debere sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere non tantum ad vitæ novæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem ; — Deo tandem satisfieri non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delictorum impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, a nobis patienter toleratis.

Quænam ex Conc. Trid., loc. cit., sunt utilitates satisfactionis ?

Utilitates satisfactionis.

R. Satisfactoriarum pœnarum utilitates ipsis fere formalibus Concilii verbis recensentur sequentes :

1.° *Magnopere a peccato revocant et quasi fræno quodam coercent ;* 2.° *vigiliantiores in futurum pœnitentes efficiunt;* 3.° *medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt;* 4.° *imminentem a Deo pœnam amovent;* 5.° *Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiunt ;* 6.° *certissimam salutis arrham præbent, quia si compatimur et conglorificabimur.*

Quæst. III. *An tenetur homo satisfactionem pro pœna temporali Deo exhibere in hac vita ?*

An teneatur homo satisfacere pro pœna temporali in hac vita.

Nota. Non agitur hic de præcepto divino quoad satisfactionem sacramentalem, sed inquiritur generatim de præcepto naturali aut divino positivo, quo præcise obligetur homo satisfacere Deo in hac vita pro pœna temporali remanente post remissionem culpæ.

R. Antoine, *Theol. dogm.*, cap. 4, de satisfact., art. 4, affirmat his verbis : « Homo tenetur lege divina naturali niti ad satisfaciendum Deo in hac vita pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita ; ita Valentia, Martinonius et alii multi. Ita etiam sentire videtur S. Thomas, cum docet pœnitentiam internam et externam esse de jure naturali. »

Alii potius negant. Ita theologia RR. Patrum S. J. Wirceburg., cap. 5, de satisfact., n. 231, his verbis : « Hactenus actum est de satisfactione, quæ ex opere operantis exhibetur : ad quam tamen observa, neminem

per se teneri. Neque enim justitia vindicativa exigit, ut quis de se ipso supplicium sumat ; sufficit ergo illi satisfieri in purgatorio. Neque etiam lex charitatis quemquam graviter adstringit ad avertendum a se malum, nisi irreparabile, et quo inimici Dei constituimur : neque jubet procurare accelerationem beatitudinis, ad cujus perfectionem procurandam neminem sub gravi obligat. Et quis peccati lethalis damnabit eum, qui veniale peccatum adhuc in mortis articulo admitteret, aut de venialibus omnibus non contereretur tunc, quando scit, se amplius satisfacere non posse ? »

Plura in hunc sensum tradit, et quæstionem ex professo tractat Suarez, disput. 15, sect. 7, et alibi.

Quæst. IV. *Quænam conditiones requiruntur ad satisfactionem ?*

R. Cum satisfactio sit opus hominis relative ad Deum, constat quasdam requiri conditiones, quarum aliæ se tenent ex parte operis, aliæ ex parte hominis, aliæ demum ex parte Dei. Conditiones requisitæ ad satisfactionem

I. *Ex parte operis* requiritur ut sit 1.° liberum, 2.° bonum, 3.° supernaturale, utpote disponens ad promptiorem finis supernaturalis consecutionem, 4.° pœnale, ut plurimi addunt : sed nulla hinc suboritur difficultas in praxi, cum omne virtutis opus pœnale seu afflictivum esse reputetur. Hinc idem actus potest esse meritorius ut bonus, et satisfactorius insuper ut pœnalis et afflictivus naturæ in hac conditione mortali. 1.° ex parte operis,

II. *Ex parte hominis* necesse est, ut sit in statu viæ et in statu gratiæ. 2.° ex parte hominis,

1.° Necesse est ut sit *in statu viæ ;* sicut enim post vitam hanc nullus est merito locus, sic nec satisfactioni. Hinc Christus generatim dicit, Joan. IX : *Venit hora, quando nemo potest operari.* Itaque in purgatorio non proprie satisfactio, sed satispassio est.

2.° Necesse est ut sit *in statu gratiæ.* Hæc conditio difficultate non caret. Attamen dicendum cum Suarez et communiori sententia, videlicet, quod nullus in peccato mortali existens possit satisfacere pro pœna temporali, ratione peccati alicujus debita ; dicit enim Concilium Trid., sess. XIV, cap. VIII: *Omnis gloriatio nostra in Christo est : in quo vivimus, in quo meremur, in quo*

satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ. Igitur ex Concilio prius est vivere in Christo quam mereri et satisfacere ; ergo etc. Accedit ratio : quia inimicus Dei indignus est, ut ejus opera tanquam satisfactio acceptentur a Deo pro pœna temporali peccatis debita ; sicut indignus est ut opera ejus bona acceptentur ad præmium.

Aliud dubium incidenter hic occurrens expedit Suarez, disp. 36, sect. 2, assert. 1, n. 7, scilicet, an bona opera facta in mortali peccato, adveniente gratia, reviviscant quoad effectum satisfaciendi ex opere operantis ? Et respondet negative, sicque docere asserit omnes theologos : ratio est, quia illa opera non fuerunt mortificata, sed omnino mortua : quia, cum a principio caruerint vita gratiæ, valore etiam tam ad satisfaciendum quam ad merendum caruerunt ; et ideo sicut postea non reviviscunt ad meritum, ita neque ad satisfactionem : gratia enim postea adveniens illa non informat, et consequenter nec dignitatem, nec valorem confert.

Cave tamen, ut merito monet Tournely, ne inde putes inutilia esse illa opera ; præterquam enim quod valent ad obtinendam compunctionis et veræ conversionis gratiam, corpus paulatim labore ac pœnitentia mitescit; nec ita contumaciter legi Dei reluctatur. De operibus virtute clavium elevatis dicetur postea.

3.° ex parte Dei.

III. *Ex parte Dei* requiritur acceptatio, seu promissio remittendi pœnam temporalem intuitu bonorum operum. Constat ex Conc. Trid., quod, sess. cit., cap. VIII, ait : *In quo* (Christo) *satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, et ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre ;* et cap. IX, dicit, esse maximum amoris divini argumentum, quod nostras satisfactiones acceptat.

Itaque vi istius divinæ promissionis gratuito a Deo factæ, bona justorum opera jam proportionem æqualitatis habent ad merendum et satisfaciendum infallibiliter et de condigno : infallibiliter, inquam, et de condigno ; quia Deus promissione sua, cui deesse non potest, facit, ut illa opera ad istos effectus jam proportionata sint ; cum alioquin ut supremus omnium Dominus et

peccatorum vindex illa aliis titulis exigere, illave ad redimendam graviorem purgatorii pœnam non acceptare potuisset.

Quæst. V. *An per quodlibet opus pœnale potest pro quolibet peccato satisfieri; an vero distincta peccata distinctam satisfactionem exigunt?*

R. 1.° Si satisfactio consideretur ut medicina præservans, et curans, et expellens vitia, hoc modo diversam satisfactionem diversa peccata exigunt: quia contraria vitia contrariis virtutibus expelli debent. Advertendum tamen, quædam esse remedia omnibus communia, ut sunt oratio, amor, vel timor, et in universum omnia opera quæ ad impetrandam divinam gratiam ordinantur. Satisfactio ut est medicina diversa requiritur pro diversis peccatis,

R. 2.° Proprie loquendo de satisfactione, ut est pœnæ solutio, quodlibet opus pœnale aptum est ad satisfaciendum pro pœna cuilibet peccato debita; non quod in quantitate semper sit æquale, sæpe enim peccatum majorem pœnam meretur, quam ut per unum vel alium actum virtutis persolvatur; sed quod quælibet species pœnæ sufficiat, et consequenter, quod multiplicando actus possit tota pœna cujusque peccati compensari. non autem ut est pœnæ solutio.

Ratio est, quia Deus non distribuit, nec designat quosdam actus ad satisfaciendum pro quibusdam peccatis, et alios pro aliis, sed generatim exigit pro peccatis virtutis ac satisfactionis opera. Item quia, sicut eadem contritione possunt omnes culpæ deleri, ita eadem honesta pœna potest pro quolibet peccato satisfieri. Nec refert, quod in purgatorio diversis peccatis diversæ pœnæ fortasse respondeant, quia ibi fit solutio per modum satispassionis, et ideo redditur omnino illa pœna, quæ peccato assignata est, et accommodata; hic autem per modum satisfactionis et velut redemptionis, in qua proinde ejusdem speciei pretia, seu ejusdem speciei opera pœnalia, ad diversas purgatorii pœnas persolvendas seu redimendas valorem habent. Ita fere Suarez, disp. 37, sect. 6, n. 71. Quod in hac quæstione generatim dictum est de satisfactione, id præsertim inservire potest confessario respectu sui pœnitentis, ut nempe consideret, an pœnitentia, quæ imponenda est, ut *solutio pœnæ* præsertim, an vero ut *medicina* potissimum intendi debeat.

Quæst. VI. *An unus satisfacere potest pro alio ?*

Nota. Non agitur hic de satisfactione sacramentali ; nec de formali fidei dogmate quoad suffragia viventium pro animabus in purgatorio detentis ; sed quæritur, an suffragia vel opera satisfactoria fidelium prosint aliis viventibus quoad remissionem pœnæ temporalis, dum ea in istum finem pro aliis Deo offerunt.

R. 1.° Non potest unus pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut remedium et medicina contra peccatum : *Quia,* ut ait S.Thom., *Suppl.*, quæst. 15, art. 2, *ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum : sed hoc est per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis.*

Potest unus pro alio satisfacere.

R. 2.° proprie : Potest unus pro alio satisfacere, considerando satisfactionem, ut est compensatio pœnæ temporalis peccatis alterius remissis debitæ, modo hic etiam sit in statu gratiæ : nam qui est in peccato mortali, est indignus omni remissione tam culpæ, quam pœnæ. Probatur breviter sic : satisfactio est solutio debiti ; potest autem unus pro alio debitum solvere : unde Apostolus ad Gal. VI, 2, dicit : *Alter alterius onera portate.*

Porro communis sensus Ecclesiæ et perpetua traditio videntur nobis fidem facere, id conforme esse divinæ voluntati et institutioni. Hoc enim modo videtur Ecclesia semper intellexisse, quoad partem, *Communionem Sanctorum,* quam in Symbolo profitetur.

Hic quoque valde notanda sunt verba Catechismi Romani, in fine totius materiæ de Sacramento Pœnitentiæ, n. 109 : *In eo,* inquit, *summa Dei bonitas, et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere.* Et infra explicans modum hujus satisfactionis ait : *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere ; quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Declarat igitur hanc satisfactionem esse solutionem debiti, quam unus pro altero Deo reddit, et Ipse acceptat ; et subdit : *Nec vero de hoc cuiquam fidelium*

dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem confitemur. Hoc sensu et nexu Catechismi Romani verba exhibet Suarez, disp. 48, de suffragiis, sect. 2.

N.° 116. Quid sit satisfactio sacramentalis, et an necessario imponenda a confessario.

Quid est satisfactio sacramentalis ?

Satisfactio sacramentalis quid sit ;

R. Est voluntaria toleratio pœnæ a confessario injunctæ ad injuriam Deo per peccata illatam compensandam, cavendamque futuram, et ad redimendam pœnam temporalem, quæ, remissa culpa, adhuc luenda superest.

Vulgariter appellatur *pœnitentia sacramentalis*, ac etiam simpliciter *pœnitentia*.

In quo differt satisfactio sacramentalis ab ea quæ fit extra Sacramentum ?

et quomodo differat ab aliis.

R. Differt in eo quod prior utpote injuncta a confessario, sit pars Sacramenti, ac etiam effectum habeat ex opere operato, atque ita, ut dicit S. Thomas, *Quodlib. 3*, quæst. 13 : *Amplius valet ad expiandum peccatum, quam si homo proprio arbitrio faceret idem opus.*

Qualiter satisfactio sit pars Sacramenti, explicatum est N. 30.

Quomodo concipitur confessarium habere potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem implendam ?

Confessarius illam imponere potest,

R. Ex demandato sibi officio : cum gerat officium judicis et medici, potest pœnitentes, utpote reos, sacramentali satisfactione punire, et per convenientem satisfactionem peccatis eorum remedia adhibere.

An et sub qua obligatione confessarius tenetur pœnitenti rite confesso imponere satisfactionem sacramentalem ?

et debet.

R. Tenetur per se loquendo et quidem sub gravi, saltem quoad mortalia, satisfactionem imponere ei quem absolvit.

Ratio hujus obligationis facile adstruitur ex eo quod confessarius sit minister hujus Sacramenti, simul judex et medicus pœnitentis. Hinc Conc. Trid., sess. XIV, cap. 8, docet : *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit...., salutares et convenientes satisfactiones injungere....*

Dictum est : *per se loquendo ;* quia per accidens, dum pœnitens est incapax pœnitentiæ acceptandæ aut implendæ, ea imponi non debet, et nihilominus ipse absolvendus est, dum cætera requisita adsunt.

Dictum est : *saltem quoad mortalia ;* quia aliqui contenderunt esse tantum levem obligationem imponendi pœnitentiam, si ob peccata venialia, aut mortalia sæpius confessa, levis tantum esset imponenda. Verum communior sententia hic etiam gravem obligationem adstruit, quia confessarius tenetur servare ritum ab ipso Christo institutum, et curare ne Sacramentum mutiletur sua parte integrali : id quod respectu ministri hujus Sacramenti tanquam quid grave communius reputatur.

Ex dictis sequitur, satisfactionem etiam imponendam esse, dum pœnitens indulgentiam plenariam aut jubilæum lucraturus est, aut etiam si præsumatur nullam amplius ab ipso pœnam luendam esse. Ipsis moribundis juxta proportionem suæ facultatis aliquid imponi poterit, v. g. ut sacratissima nomina Jesu et Mariæ corde et ore proferant, aut saltem corde concipiant et invocent.

N.° 117. An pœnitens teneatur acceptare et adimplere satisfactionem sacramentalem.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam justam quam confessarius imponit ?

Tenetur pœnitens justam satisfactionem acceptare et adimplere.

R. Affirmative, cum communi et vera sententia contra paucos, quorum aliqui olim contendebant, pœnitentem non teneri acceptare satisfactionem sacramentalem, si velit pœnam luere in purgatorio ; aliqui vero docebant, eum posse non acceptare, sed si acceptet, teneri ad eam exequendam.

Communis et vera sententia probatur ex Conc. Trid., sess. XIV, cap. VIII, ubi docet confessariis datas esse claves ad ligandum, *non tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* Unde non appareret, quomodo oppositæ sententiæ sine temeritate sustineri possent post Tridentinum.

Accedit ratio theologica : quia, ut docet Bened. XIV, in Epist. Encycl. *Inter præteritos,* sicut confessarius

justam teneatur injungere pœnitentiam, ita pœnitens teneatur illam adimplere ; hæc enim sunt duo correlata. Et certe talis est nunc omnium timoratorum sive confessariorum sive pœnitentium sensus et praxis.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam, si confessarius ex imprudentia aut nimia severitate imponat pœnitentiam justo graviorem aut nimis onerosam relative ad suam debilitatem ?

R. Si sit vere talis, et confessarius nollet illam pœnitenti humiliter petenti mutare aut imminuere, posset iste, saltem absque gravi culpa, discedere sine absolutione et alium confessarium adire.

Dictum est : *si sit vere talis ;* « Nam, ut dicit S. Alphonsus, n. 516, si contra pœnitentia facile posset ab eo impleri, et nollet ex mera desidia illam acceptare, ac cum levi absolvi vellet, non videtur posse excusari a peccato gravi, quia, ut bene ait Lugo, sicut peccaret sacerdos imponendo levem pœnitentiam sine justa causa pro gravibus culpis, ita peccaret pœnitens volens sine causa recipere absolutionem cum pœnitentia justo leviori. » Porro non licet pœnitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, et justum, cui se jam subjecit, sacerdotis judicium effugere ; facta enim confessione tali sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, atque ejus auctoritate ligat.

Ex obligatione pœnitentiam justam acceptandi, manifeste sequitur obligatio eam sibi impositam et acceptatam adimplendi.

Quale peccatum committit, qui sine justa causa omittit adimplere satisfactionem sacramentalem ?

Omittens sine justa causa committit peccatum sacrilegii, quantum.

R. Committit peccatum sacrilegii, quia mutilat Sacramentum parte integrali : peccat etiam contra virtutem pœnitentiæ, ex cujus fine satisfactio imponitur.

Quantum peccatum committit qui sine causa omittit integram satisfactionem sacramentalem ?

R. Præcipuas theologorum sententias recensendo : satis communiter omnes tradunt, illum graviter peccare, qui omittit satisfactionem gravem impositam pro peccato mortali ; discrepant vero si omittat levem, vel gravem quidem, sed impositam pro solis venialibus aut mortalibus ante remissis.

Etenim 1.° si satisfactio sit levis, aliqui docent quod non sit grave peccatum illam omittere ; quia materia levis non est capax gravis obligationis : nec obstare dicunt, quod Sacramentum maneat incompletum, quia illud est completum essentialiter ; completio autem integralis per materiam levem non obligat nisi leviter secundum materiam. Alii vero rectius, ut videtur, sustinent esse grave peccatum ; quia licet omissio sit in se levis, manet tamen formalis mutilatio Sacramenti, quæ non potest censeri levis, cum attingat totam ejus partem integralem.

2.° Si satisfactio quidem gravis sit, sed imposita pro solis venialibus vel mortalibus ante remissis, aliqui adhuc dicunt omissionem non esse grave peccatum, quia confessarius non tenebatur, imo, inquiunt, non poterat imponere illam satisfactionem sub gravi, nec adeo pœnitens sub gravi illam adimplere tenebatur ; alii autem rectius dicunt illius omissionem esse peccatum grave, quia materia, sine restrictione imposita, est gravis ; ac deinde, quia privando Sacramentum tota sua parte integrali, gravis injuria ei infertur. Accedit quod confessarius forte ob specialem pœnitentis dispositionem aliquid grave merito imposuerit.

In praxi plerumque judicandum est, quod ille qui omisit adimplere totam pœnitentiam, mortaliter peccaverit, quia communis, saltem in his partibus, apprehensio fidelium habet, impositam pœnitentiam obligare sub gravi.

Quantum peccatum committit, qui omittit partem satisfactionis a confessario impositæ ?

Quid si omittat partem,

R. Si pars omissa sit materia levis, videtur solummodo committere veniale peccatum, ob parvitatem materiæ ; si vero pars omissa constituat materiam gravem, videtur peccare graviter ; quia pœnitens in re gravi transgreditur præceptum judicis sacramentalis, ac in notabili materia mutilat partem integralem Sacramenti.

Quantum peccatum committit, qui omittit circumstantiam satisfactionis a confessario adjectam, v. g., ut oret genibus flexis, etc. ?

aut circumstantiam a

R. Istud dependet tum a majori vel minori gravitate circumstantiæ omissæ, tum ab intentione confessarii,

quatenus hæc ab ipso manifestata fuerit ; et ita omissio circumstantiæ supra expressæ ordinarie tantum erit veniale peccatum. Si injunctum fuisset orare brachiis expansis, omissio istius circumstantiæ in longioribus orationibus facilius esse posset peccatum grave, ratione gravioris molestiæ, quam pœnitens effugere voluerit. confessario adjectam.

Quandonam satisfactio impleri debet ?

R. Tempore a confessario determinato ; quod si neglectum fuerit, perdurat obligatio et mox implenda est : si vero nullum tempus determinatum fuerit, adimpleri debet quamprimum commode poterit ; tum quia satisfactio est solutio debiti et compensatio injuriæ illatæ, quæ diu differri non debent ; tum quia satisfactio, utpote pars Sacramenti, moraliter, adeoque sine notabili dilatione, aliis partibus uniri debet. Quando satisfactio implenda sit,

Quantum peccatum committit, qui differt adimplere pœnitentiam ultra tempus debitum ?

R. Habito respectu ad ea quæ supra dicta sunt, dici potest, quod committat peccatum grave, si diu et sine justa causa differat integram pœnitentiam, vel ejus partem, omnibus consideratis, notabilem ; veniale vero, si vel non diu, vel non nisi partem levem adimplere differat. et quæ dilatio sit gravis.

Non conveniunt theologi in definiendo quænam dilatio sit notabilis seu sufficiens ad peccatum grave. Roncaglia dicit : « Quando dilatio pœnitentiæ, dum confessarius tempus non assignaverit, sit culpa levis vel gravis, potius pendet a judicio prudentis confessarii, juxta diversas circumstantias regulando. » Tum addit : « Ego puto quod si commodum sit pœnitenti statim exequi satisfactionem, et sine causa differat per quindecim dies, talis dilatio sit gravis. » Hoc S. Alphonso videtur nimis rigidum, ideoque in *Hom. Apost.*, n. 57, judicat eum non graviter peccare qui differt pœnitentiam per mensem, modo pœnitentia non sit medicinalis, et in posterum possit fieri.

In dilatione pœnitentiæ medicinalis facilius graviter peccatur ; unde bene dicit Roncaglia : « Quod si pœnitentiæ injunctæ executio sit valde necessaria ad futura peccata præcavenda, tunc minor dilatio potest

esse peccatum grave, quia confessarius intendit hujusmodi pœnitentias statim executioni mandandas. »

N.° 118. De fine et effectibus satisfactionis sacramentalis.

In quem finem imponitur satisfactio sacramentalis ?

Satisfactio ratione finis triplex :

R. Potissimum ob triplicem hunc finem, quem exprimit Conc. Trid., sess. XIV, cap. VIII, dum dicit : *Habeant* (confessarii) *præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* Porro satisfactionem imponi ut Sacramentum Pœnitentiæ sit integrum, ex sæpe dictis constat.

Quotuplici nomine appellatur satisfactio ratione finis ob quem imponitur ?

R. Secundum id quod præcedit, appellatur vindicativa, medicinalis et præservativa.

vindicativa,

1.° *Vindicativa* dicitur, quatenus conducit *ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* Pœnitens enim præstando satisfactionem, peccata sua punit, justitiæ vindicativæ satisfacit, et redemptionem alicujus pœnæ temporalis obtinet.

medicinalis,

2.° *Medicinalis* dicitur, quatenus est *ad infirmitatis medicamentum,* seu medetur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollit, ut Trid., ibid., explicat.

præservativa.

3.° Tandem *præservativa* dicitur, quatenus præservando pœnitentem a peccatis, conducit ad *novæ vitæ custodiam ;* id vero efficit elongando pœnitentes a personis aut locis quæ fuerunt occasio peccandi, aut aliter præmuniendo contra relapsum.

Quinam sunt effectus satisfactionis sacramentalis ?

Effectus ejus ex opere operato :

Non agitur hic de satisfactione prout est in proposito ; sic enim refertur ad contritionem et eatenus ad essentiam Sacramenti pertinet ; nec de effectu ejus qui est ex opere operantis ; sed agitur de satisfactione prout est in executione et pars integralis Sacramenti, effectum habens ex opere operato.

1.° remissio

R. 1.° Proprius et maxime indubitatus effectus ex

opere operato satisfactionis est remissio pœnæ temporalis majoris vel minoris, tum pro gradu operis, tum et pro satisfacientis dispositione. Ita theologi communiter, et constat ex Conc. Trid., sess. VI, cap. XIV, et sess. XIV, cap. VIII. pœnæ temporalis,

2.° Alter effectus ex opere operato satisfactionis est augmentum gratiæ sanctificantis, ut censent multi, vel absolute, vel ut valde probabile, cum Suarez et Billuart. Ratio hæc affertur : satisfactio est pars Sacramenti ; ergo debet participare naturam totius ; at natura totius est conferre gratiam ex opere operato : ergo hoc ipsum competere debet parti. Confirmatur : si pœnitens eodem tempore quo absolvitur, injunctam pœnitentiam impleret, majorem gratiam reciperet ex opere operato ; ergo eamdem recipiet, etiamsi illam adimpleat postea ; nam ex eo quod illam adimpleat postea, non tollitur, quin moraliter conjuncta cum aliis partibus unum Sacramentum constituat cum illis. 2.° augmentum gratiæ sanctificantis, secundum multos,

Alii autem cum Vasquez et Tournely illum effectum non admittunt, aut saltem magis in dubium vocant. Ratio hæc affertur : Sacramenta novæ Legis id tantum efficiunt quod significant : at satisfactio sacramentalis significat solam peccatorum punitionem, et pœnæ ex peccatis condonatis relictæ remissionem, et ut plures addunt, majorem in posterum peccata præcavendi facilitatem ; ergo.

3.° Insuper effectus satisfactionis sacramentalis sunt auxilia supernaturalia ad peccata posthac præcavenda, ut censent plures, etiam ex iis qui, ut supra, negant gratiæ sanctificantis augmentum. Ratio est, quia satisfactio non est tantum ordinata ad vindictam præcedentium peccatorum, sed et in medicinam et curationem, ad quem effectum maxime necessaria sunt auxilia supernaturalia a futuro lapsu præservantia. Ad hoc facit quod dicit Suarez : « Mihi saltem verum videtur, dari ex opere operato per hanc satisfactionem sacramentalem aliquam gratiam, id est, auxilium aliquod præservans seu adjuvans ad emendanda peccata ; quia cum propter hunc finem primario sit instituta hæc pars, non videtur dubium, quin illi sit data hæc virtus adjuvans in hunc finem.» 3.° secundum plures auxilia supernaturalia ad peccata præcavenda.

Nota. Si quis pœnitentiam sacramentalem ex præscripto confessarii impleret ante absolutionem, ut olim frequenter et nunc interdum fit, ista satisfactio, licet virtute clavium niteretur, non haberet totum suum effectum ex opere operato nisi postea, consummato nempe Sacramento, ut exponit Suarez, disput. 38, sect. 2, n. 5.

N.° 119. De qualitate et quantitate satisfactionis.

Qualem et quantam satisfactionem confessarius injungere debet?

Satisfactiones debent esse proportionatæ peccatis, spectatis circumstantiis.

R. Tenetur injungere talem et tantam, ut aliquo modo peccatis proportionata sit, spectatis omnibus circumstantiis.

Responsio nititur verbis Conc. Trid., cit. sess. XIV, cap. VIII, ubi docet : *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis connivant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Circa hæc verba Tridentini, et generatim circa datam responsionem quædam utiliter exponenda sunt.

1.° Dicitur : *quantum spiritus et prudentia suggesserit.* Hinc ab una parte monentur confessarii, nullam esse certam satisfactionis mensuram lege ecclesiastica taxatam, quam imponere teneantur, sed arbitrio ab illis utendum esse ; ab alia autem parte monentur non esse in hac re temere procedendum, sed identidem invocandum esse Spiritum sanctum, et diligenter attendendum, quamnam expediat satisfactionem injungere, ne in ejus excessu aut defectu peccetur.

2.° Dicitur: *pro qualitate criminum et pœnitentium facultate.* Quibus verbis declaratur duo esse, ad quæ potissimum confessarius attendere debet :

Primum est *criminum qualitas :* quia per se loquendo, pro majoribus criminibus major satisfactio injungenda est. Unde peccaret graviter confessarius, si pro quibusvis etiam gravissimis peccatis leves tantum pœnitentias imponeret. Quamvis autem non fiat illic

mentio multitudinis peccatorum, certum tamen est, multum etiam ad eam esse attendendum, ut satisfactio criminibus proportionetur.

Alterum est *pœnitentium facultas* : quo nomine involvuntur omnes circumstantiæ tenentes se ex parte pœnitentis, ad propositum facientes, ut sunt ejus conditio, ætas, sexus, valetudo, convictus, infirmitas, etc. ; certum enim est, non posse genus et quantitatem satisfactionis prudenter præscribi, nisi attendendo ad istas aut similes circumstantias. Facile enim intelligitur notabiles eleemosynas imprudenter injungi illis qui diurno labore victum sibi comparant, aut graves corporis afflictiones, ut jejunia, etc., illis qui vel infirma sunt valetudine, vel quotidie in aliquo opere laborioso versantur, vel in aliqua conditione degunt ærumnis et miseriis plena. Quis etiam non videat quandoque alias fœminis, alias viris, alias pueris, alias adultis, alias senibus, pro eorumdem etiam peccatorum satisfactione, imponendas esse pœnitentias ?

3.° Dicitur : *salutares et convenientes satisfactiones*. Tales autem sunt præcipue ob duas causas, videlicet : primo, quando aptæ sunt, ut per eas Deo satisfiat, quales eo magis sunt, generaliter loquendo, quo magis pœnales sunt ; secundo, quando idoneæ sunt ad relapsum præcavendum. Non sunt autem censendæ salutares, quando tam graves sunt, ut, habita ratione conditionis aut infirmitatis pœnitentium, aut aliarum circumstantiarum, merito timeatur, ne eas impleant, aut ne a confessione deinceps retrahant, atque ita non in salutem eorum, sed in exitium vertantur. salutares et convenientes.

4.° Dicitur : *ne levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur*. Hinc graviter errant, et frequenter alienorum peccatorum participes efficientur illi confessarii, qui omnibus indiscriminatim pœnitentibus aliquot tantum *Pater* et *Ave*, aut etiam decades ex rosario injungunt ; sic enim sunt causa novorum relapsuum quia pœnitentes, gravium peccatorum rei, sic minus apprehendunt eorum gravitatem, minusque deterrentur. Præterea tales confessarii causa sunt, cur multi pœnitentes diutius ardeant in purgatorio : si enim plura et majora opera

injungerent, hæc vi Sacramenti elevarentur ad delendas magis pœnas.

N.° 120. Regulæ circa modum aut quantitatem pœnitentiæ, et casus in quibus justo minor imponi potest.

Assigna quasdam conclusiones seu regulas circa modum et quantitatem pœnitentiæ in confessione imponendæ.

Regulæ satisfactionis imponendæ :

R. Sequentes statui, vel ex dictis colligi possunt :

1ª. Potius sectanda misericordia quam severitas.

Regula 1ª. Ubi de quantitate pœnitentiæ imponendæ agitur, potius sectanda est misericordia quam severitas : quia *tribunal pœnitentiæ non est forum iræ et pœnarum*, ut loquitur Trid., cit. cap. VIII, sed veniæ, misericordiæ, et piæ cujusdam vindictæ medicinalis. In hunc sensum citatur S. Chrysost., ubi ait : *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem ? Si Pater largus est, dispensator non debet esse tenax ; si Deus benignus est, cur sacerdos austerus ? Vis apparere sanctus ? Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus.*

2ª. Pro venialibus et mortalibus remissis passim injungitur levis satisfactio.

Regula 2ª. Pro culpis venialibus aut mortalibus remissis passim non injungitur nisi pœnitentia levis, ut brevis oratio, levis abstinentia aut parva eleemosyna. Cæterum, ut dicit S. Alphonsus, n. 517 : « Si per accidens peccata illa venialia valde disponerent pœnitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere pœnitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter, et tunc tenebitur pœnitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. Præterea censeo, quod, si pœnitens pro mortalibus confessis condignam non egerit pœnitentiam, tunc si iterum eadem peccata clavibus subjiciat, bene poterit confessarius gravem injungere pœnitentiam, et pœnitens, si acceptet, tenetur eam implere. »

3ª. Pro uno aut altero mortali non enormi sufficit in se

Regula 3ª. Pro uno aut altero peccato mortali, non admodum gravi seu enormi, regulariter sufficit aliqua pœnitentia in se gravis. Porro « advertendum puto, inquit S. Alphonsus, n. 510, quod, extra casum gravissimæ infirmitatis, aut vehementissimæ contritionis,

non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus gravis. injungeret pœnitentiam per se levem, quæ levem inferat obligationem. Licet enim, si expedierit, imponatur opus, quod respective ad peccata sit leve, tamen regulariter semper injungenda est aliqua pœnitentia gravis, quæ gravem inducat obligationem. »

Id ita exponit Gury, n. 405 : « Censenda est pœnitentia *gravis,* saltem ex praxi hodierna Ecclesiæ , ea quæ respondet operi quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Hinc pœnitentia gravis erit, et pro peccato gravi ordinario sufficiens, Missam audire, jejunare, recitare rosarium (etsi quinque tantum decadum), Officium parvum B. Virginis, litanias Sanctorum,et alia similia : non autem gravis censeretur pœnitentia, si psalmus *Miserere* tantum imponatur. »

Regula 4ª. Nunquam sunt imponendæ pœnitentiæ perpetuæ, quia inducerent periculum oblivionis vel nimiæ anxietatis, et quia secus tales forte pœnitentiæ a variis confessariis eidem pœnitenti imponerentur, et hic innumeris vinculis, simul et pro tota vita obstringeretur. Imo, ut ad mentem S. Alphonsi hic pergit Gury, nec ordinarie sunt imponendæ pœnitentiæ ad diuturnum tempus, v. g. ad annum, aut ad quinque menses. 4ª. Non imponendæ pœnitentiæ perpetuæ.

Regula 5ª. Cavendum est ne pœnitentiæ accumulentur; inde enim fieri natum est, ut pœnitentes vel earum obliviscantur, vel ex tædio et negligentia eas omittant ; nec imponendæ sunt pœnitentiæ multis operibus diversis implicatæ, quia idem subest periculum oblivionis, et diversi satisfactionis sacramentalis fines sine illa multiplici diversitate obtineri possunt. 5ª. Cavendum ne accumulentur.

Regula 6ª. Non imponendæ sunt, ordinarie saltem, pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes, v.g., inquit Gury, signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc.; nec unquam imponendæ pœnitentiæ, quæ pœnitentem ludibrio aliorum exponerent, ut esset, inquit cit. auctor, v. g. recitare in media ecclesia quinque *Pater,* brachiis extensis, in regionibus ubi sic orare moris non est, etc.; nec a fortiori imponi possunt pœnitentiæ, quæ adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio facile subsequatur. 6ª. Non nimis repugnantes naturæ.

Demum adscribimus illud S.Alphonsi, n.511 :« Commune est apud DD. non posse imponi in pœnitentiam ingressum in religionem.... An autem possit alicui imponi, ut recipiat Sacramentum matrimonii ? Affirmat Leand. cum quibusdam, casu quo confessarius noverit matrimonium esse illi remedium necessarium. Sed melius hoc reprobant Laym., et Escob.,cum Fagund., quia matrimonium omnimodam requirit libertatem. »

Assigna aliquos casus in quibus a confessario potest imponi pœnitentia justo minor, seu immĭnui pœnitentiæ gravitas peccatis debita.

Casus in quibus pœnitentia justo minor imponi potest : 1.° si pœnitens sit valde contritus ; 2.° si lucraturus sit indulgentiam plenariam ; 3.° si sit infirmus corpore ;

R. Assignamus quinque sequentes, pro quibus potissimum videri potest S.Alphonsus, in *Hom. Apost.*, n. 49 et 50.

Primus : Si pœnitens accedat valde contritus , aut prius multas pœnales actiones patraverit; his enim fines ob quos satisfactio imponitur, pro parte obtenti sunt.

Secundus : Si pœnitens jubilæum aut indulgentias plenarias lucraturus sit ; per eas enim satisfit pro pœnis temporalibus ex peccato restantibus.

Tertius : Si pœnitens sit infirmus corpore. Quod si infirmus sit constitutus in periculo mortis, usu sensuum et rationis destitutus, sine ulla pœnitentia absolvi potest ; alias secundum proportionem virium aliquid pro pœnitentia indicari potest, v. g., ut osculetur crucifixum, aut invocet SS. nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Quod si morbus remissior sit, et spes adsit convalescentiæ, ex circumstantiis aliquando expedire videbitur, ut satisfactionis pars indicetur tantum implenda post convalescentiam.

4.° si sit infirmus spiritu ;

Quartus : Si pœnitens sit infirmus spiritu, seu talis, cui ob fragilitatem seu infirmitatem spiritualem compatiendum sit, et prudenter timeatur, ne in pœnitentia condigna adimplenda deficiat ; quandoquidem in hoc Sacramento magis intendatur salus et emenda pœnitentis, quam omnimoda satisfactio.

D. Antoninus, p. 3ª, tit. 17, cap. 20, de hujusmodi pœnitente dicit : *Si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quod liberatum a gehenna transmittat ad purgatorium.* Et iterum : *Confessor nullo modo debet permittere, peccatorem desperatum*

recedere a se, sed potius imponat ei unum Pater noster, *vel aliud leve.*

S. Carolus Borromæus cit. apud S. Alph., n. 510, ita confessarium instruit : *Si ita expedire viderit, illum* (pœnitentem) *interroget, an possit, anne dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere ; alioquin eam mutabit et minuet.*

S. Alphonsus, n. 509, etiam laudat illud Gersonis : « Tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur et verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum. »

Quintus : Si judicetur pœnitens ita majori erga pœnitentiam studio afficiendus esse, seu sæpius confessurus, sicque paulatim vitam devotam amplexurus. 5.° si ideo sæpius confessurus ;

His recte aliqui auctores addunt casum *sextum*, si nempe pœnitens solitus sit multa bona opera facere ; hæc enim pro parte satisfactionis a confessario assumi possunt. 6.° tandem si soleat multa opera bona facere.

Sapienter monent auctores cum S. Thoma et S. Carolo Borromæo, ut, quando confessarius leviorem pœnitentiam imponit propter pœnitentis fragilitatem, hunc simul moneat, non esse sufficientem satisfactionem illam, ipsumque quod superest, soluturum in hoc vel in altero sæculo ; ne forte ex levitate pœnitentiæ sumat occasionem liberius peccandi.

N.° 121. De qualitate operum quæ pro pœnitentia sacramentali imponi possunt.

Quotuplicis generis sunt opera quæ in satisfactionem pœnitentibus injungi possunt ?

R. Triplicis generis opera communiter assignari solent : oratio, jejunium, et eleemosyna. Non ita tamen numerantur hæc tria opera in rigore ac proprie sumpta, quin aliis etiam satisfacere possimus ; unde Conc. Trid., sess. XIV, can. 13, jejuniis, inquit, orationibus et eleemosynis, *vel aliis pietatis operibus,* nos posse satisfacere. Hinc theologi nomine jejunii comprehendunt cæteras corporis afflictationes ; nomine eleemosynæ quælibet opera misericordiæ ; nomine orationis ea omnia Triplicis generis opera satisfactoria :

quæ spectant ad Dei cultum. Hic recensemus aliqua ex iis quæ a confessariis frequentius injunguntur.

oratio, *Oratio :* Recitare quinque *Pater* et *Ave* in memoriam quinque vulnerum Christi, idque etiam flexis genibus, brachiis extensis, ante crucifixum ; — legere psalmum *Miserere* vel omnes psalmos pœnitentiales ; — recitare rosarium aut ejus partem, vel litanias B. M. V., vel Sanctorum, etc. ; — legere aliquid ex pio libro, v. g. caput ex libro de Imitatione Christi ; — visitare ecclesias, orare coram sanctissimo Sacramento ; — statutis horis renovare actus, imprimis charitatis et contritionis, saltem per orationes jaculatorias, dicendo v. g. : Amo te, Deus meus, super omnia ; detestor peccata mea ; nolo amplius peccare ; Jesu crucifixe, miserere mei, etc. ; — statuto tempore confiteri, nisi ob periculum prævaricationis satius esset valida exhortatione id urgere, quam in pœnitentiam sacramentalem præcipere.

jejunium, *Jejunium :* Jejunare jejunio perfecto, vel usque ad meridiem, vel abstinere a jentaculo ; — abstinere a vino vel cerevisia ; — non bibere nisi in prandio et cœna ; — minus manducare in prandio vel cœna ; — citius e lecto surgere ; — certo tempore silentium observare ; — abstinere a lusibus aliisve recreationibus, etc.

eleemosyna. *Eleemosyna :* Pauperibus largiri certam pecuniæ summam, cibos, vestes, etc.; — pauperibus vel ægrotis adjutoria personalia præbere, eis inserviendo, etc.; — alia demum opera misericordiæ exercere, sive corporalia, sive spiritualia.

Quoad Missas, si confessarius eas opportune imponat, juxta monitum S. Caroli Borr., non potest eas ipse acceptare, ne avaritiæ suspicionem incurrat. Cfr. tract. *De Sacrif. Missæ*, N. 14.

An imponi possunt opera aliunde jam debita seu præcepta ?

Injungi possunt opera aliunde debita ; R. Affirmative ex communi sententia contra nonnullos ; quia sicut ista opera possunt esse meritoria et satisfactoria ex opere operantis, cum præceptum nec tollat libertatem, nec bonitatem, nec pœnam, ita absolute loquendo possunt injungi in satisfactionem sacramentalem. Sic ergo injungi potest, atque ob fragilitatem

pœnitentis aliquando expedit, ut jejunium, ad quod tenetur, similemque Missæ auditionem, ad finem satisfaciendi referat. Non tamen facile sola talia imperanda sunt, ne peccator videatur non fieri deterioris conditionis, quam qui non peccavit.

Quod si confessarius non exprimat se injungere tale opus præceptum, neque ex circumstantiis id colligatur, censendus est imperasse opus diversum ab opere aliunde præcepto. Unde jussus simpliciter in satisfactionem semel jejunare, non satisfacit jejunando eo die quo tenetur ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ. Similiter jussus simpliciter audire Missam, non satisfacit unicam audiens die festo. Quod si vero confessarius dicat pœnitenti, ut duas Missas audiat die festo, censetur ex loquendi modo comprehendere Missam alias jam præceptam.

An in pœnitentiam sacramentalem injungi possunt preces pro aliis?

R. Videtur simpliciter affirmandum ; quia nihil videtur impedire, quominus tales orationes prosint aliis ex opere operantis, et præterea ex opere operato ipsi pœnitenti, ex præcepto confessarii oranti v. g. pro iis quos continue ægre fert, aut quos in peccata induxit, et imprimis pro defunctis. item preces pro aliis ;

Explicatur : licet in casu satisfactio operis præcepti applicetur defunctis, adhuc tamen satisfactio correspondens illi bonæ voluntati et actui charitatis proximi, quo pœnitens ob præceptum confessarii vult orare et orat pro defunctis, remanet ipsi pœnitenti ; qui proinde non destituitur omni fructu satisfactionis proveniente ex tali pœnitentia virtute clavium elevata.

Busembaum, dub. IV, de satisf., n. 6, dicit : « Utrum licite imponantur preces recitandæ pro defunctis, dubitari potest. Vega et Joan. Sanc. negant ; affirmant probabilius Turr., Card. Lugo. »

Catechismus Romanus nullum dubium innuit ; nam agens de satisfactione, circa finem, simulque quodammodo generalem modum satisfactionis assignans, hæc habet plurimum ponderanda : *Igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit pœnitentibus præscribere, ut*

certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut sæpe eadem satisfactionis opera a sacerdote indicta, ultro suscipiant ac repetant.

An pœnitenti imponi potest satisfactio conditionata, puta sub hac conditione : si iterum labatur ?

item satisfactio conditionata ;

R. Affirmative, modo semper imponatur præterea pœnitentia proportionata pro peccatis commissis ; quia secus nulla reipsa foret, si pœnitens non relabatur ; eo quippe spectare debet diligens cura confessarii et firmum pœnitentis propositum, ut relapsus omnino evitetur. Cfr. S. Alphonsus, n. 524, ubi sic contra nonnullos tenendum esse cum Suarez, Laymann, et Salm. docet, simulque etiam monet : « Id tamen intelligendum, modo imponatur proportionata pœnitentia pro peccatis confessis. »

An pœnitentia imponi potest sub consilio tantum ?

non autem sub consilio tantum.

R. Non potest tota pœnitentia imponi sub consilio tantum, sed debet imponi sub præcepto, saltem secundum aliquam partem. Ita colligitur ex Conc. Trid., cit. sess. XIV, cap. VIII, ubi habetur : *Debent ergo sacerdotes Domini... satisfactiones injungere... nam claves sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent.* Inde Illsung, disp. 6, q. 5, art. 1, § 2, sic argumentatur : « Unde contra Navarrum, Suarez, Laymann, colligunt DD. non posse totalem pœnitentiam imponi sub consilio, sed debere imponi sub præcepto, saltem aliquam partem ; eam vero quæ imponitur sub consilio, non dependere a confessario, ut judice, neque causare remissionem ex opere operato, ut docent Vasquez, Coninck, Lugo, et alii plures. »

Ad quid prodest pœnitenti hæc precatio, quam confessarius subjungit absolutioni : Passio Domini nostri Jesu Christi, *etc. ?*

De oratione : *Passio Domini*, etc.

R. Quamvis ad *formam* Sacramenti non pertineat, ab Ecclesia tamen in ore sacerdotis ponitur, adeoque maxime prodest pœnitenti tanquam pia et paterna precatio, et oratio sacerdotalis ; an vero et quomodo ulterius prosit, non ita constat. Exscribimus legendas quasdam

theologorum sententias. La Croix, n. 1250, in hanc rem dicit : « Quamvis probabilius sit quod cum multis aliis docet Busembaum, per illa verba : *quidquid boni feceris*, etc., non elevari omnia opera secutura pœnitentis ad satisfaciendum ex opere operato ; tamen videtur probabile, quod verba illa aliquid operentur, uti præter citatos a Busemb., docent Sporer aliique ; quia licet non a Christo, tamen sunt instituta ab Ecclesia, quæ potest concedere indulgentias ; neque sunt mere deprecativa, sed possunt per modum auctoritativæ sententiæ a confessario proferri. Et hæc videtur esse mens S. Thomæ, *Quodlib. 3*, art. 13, ubi dicit opera hominis per hoc accipere vim expiandi peccata ; item S. Antonini, et S. Thomæ a Villanova. »

S. Alphonsus, n. 507, habet tanquam *longe probabilius*, quod per præfata verba *omnia bona opera pœnitentis eleventur ad effectum satisfactionis sacramentalis*. In hoc sensu præiverat Suarez, disp. 38, sect. 6, dicens : « In re pia et favorabili non contradicam. » Restringit tamen et addit : « Ne autem possint inferri aliqua absurda, existimo intelligendum hoc esse quoad satisfactionem pro peccatis in illa confessione confessis ; quia de illis tantum fertur judicium, et ita postquam illa plene fuerint remissa (nempe quoad pœnam), ille effectus cessabit. »

Billuart id quod in illis sententiis favorabile est admittit, eo tamen pacto, ut confessarius intendat præfatis verbis bona opera pœnitentis futura elevare ad effectum satisfactionis *sacramentalis*, idque etiam pœnitenti indicet.

Hæc sententia inservire potest imprimis dum pœnitenti, cui ex justa causa imponitur satisfactio justo minor, a confessario dicitur, quod quotiescunque v. g. audiet Missam, jejunabit, aut aliud bonum opus præstabit, istud valebit per modum satisfactionis etiam sacramentalis, dum eo fine eaque intentione illa perficiet. Item dum in confessione pœnitentis infirmi ei dicitur, molestias et afflictiones morbi, patienter ex amore Christi toleratas, ipsi vi Sacramenti suscepti valituras in satisfactionem, ac si sibi pro pœnitentia sacramentali impositæ fuissent. Interim pro pœnitentia

præcipere seu imperare, ut morbum patienter ferant, periculosum imo nocivum est ; quia istud piis anxietates creat, et aliis adfert periculum transgressionis.

N.° 122. Quo tempore satisfactio a confessario imponenda, et quo tempore et quo modo a pœnitente implenda.

Quandonam confessarius debet imponere satisfactionem sacramentalem ?

Quando satisfactio sit imponenda,

R. Moraliter eodem tempore cum administratione Sacramenti, ante vel post absolutionem : convenientius autem injungitur ante absolutionem ; quia expressa acceptatio ejus confert ad majorem dispositionem, et melius evitatur inconveniens, quod locum haberet, si pœnitens forte recusaret. Et, ut dicit Suarez, disp. 38, sect. 2, n. 5 : « consuetudo jam fere obtinuit, ut pœnitentia prius imponatur ; quod licet non cadat sub obligationem, tamen consultius videtur, ut materia, quoad fieri commode possit, supponatur formæ, et ut pœnitens saltem voto et proposito satisfaciat priusquam absolvatur ; sic enim melius ratio justitiæ servatur. »

Quo tempore pœnitens debeat implere pœnitentiam, dictum est N. 117 ; adhuc tamen respectu pœnitentis, et præsertim respectu confessarii apte hic peti potest, scilicet :

An, quemadmodum confessarius convenientius imponit satisfactionem ante absolutionem, ita etiam cogere potest pœnitentem ad implendam pœnitentiam priusquam illum absolvat ?

quando implenda.

R. Negative, per se loquendo ; quia satisfactio non est pars essentialis Sacramenti, sed integralis tantum, sine qua ideo subsistere potest, et quæ illi jam constituto advenire potest ; et probatur ex præsenti Ecclesiæ disciplina, quæ si non semper viguit, saltem a pluribus sæculis viget, conferendi absolutionem ante adimpletam satisfactionem. Hanc autem Ecclesiæ praxim tanquam abusum inculpare, damnandæ imo damnatæ temeritatis est, ut constat ex N. 82.

Dictum est : *per se loquendo ;* quia si aliquoties pœnitentiam neglexisset pœnitens, aut aliunde merito

timeretur neglecturus, aut crederetur necessarium ad deprehendenda veri doloris verique propositi signa, posset illum ad prævíam satisfactionem, saltem partialem, obligare ; quod præsertim contingere potest in recidivis.

Similiter docet Suarez, loc. cit., n. 7, et rationem affert : « Quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro temporali pœna. Unde illud præceptum a confessore positum, non tam est nova impositio quam declaratio alicujus obligationis, quam pœnitens de se habet, ut possit de illius dispositione et firmo proposito vitandi peccata moraliter constare ; et ad summum videtur sacerdos tunc modum, seu medium determinare. » Incidenter hic notamus praxim, quam describit Gury, n. 534 : « Si pœnitens, ad eamdem confessionem perficiendam, pluries accedat, et confessarius pœnitentiam singulis vicibus imponat, ex hac intentione ut minor ultima vice imponenda sit. »

An pœnitens debet satisfactionem sacramentalem implere per seipsum, an vero potest per alium ?

Pœnitens debet eam implere per seipsum,

R. Debet eam implere per seipsum, adeoque nec potest per alium ; tum ob propositionem ab Alexandro VII proscriptam sub n. 15 : *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat ;* tum quia ex Trident. materia hujus Sacramenti sunt actus ipsius pœnitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio ; ergo sicut unus non potest pro altero conteri vel confiteri, ita nec satisfacere : aliunde æquum est, ut qui per seipsum peccavit, per seipsum pœnam sustineat.

nisi confessarius per alium implendam concesserit.

Excipe, adjicit Scavini, casum, quo confessarius id pœnitenti concedat, ut dicit Suarez cum D. Thoma. Dicit igitur Suarez, ubi supra, sect. 9, n. 4 : « Quando pœnitentia imponitur per alium implenda, semper intelligitur facienda ex motione et petitione ipsius pœnitentis, et sic est aliquo modo illius ; ergo, ut sic etiam potest esse aliquo modo pars Sacramenti ab illo suscepti. » Paulo ante modo observaverat, quod non debeat confessarius sine justa et necessaria causa hunc modum satisfactionis imponere ; quia nec est adeo in

Ecclesia usitatus, nec ad finem hujus Sacramenti adeo expediens, quia talis satisfactio non deservit per modum medicinæ.

Infertur, confessarium, quandocunque nihil explicat, sed absolute injungit pœnitenti, ut hoc vel illud faciat, v. g. jejunet, imponere obligationem personalem per ipsum et non per alium implendam : quia est rationabilis intentio confessarii, et hoc etiam sonant verba ejus. Porro nemine monente patet, quod si confessarius pœnitenti injungat eleemosynam, hic satisfaciat eam ex propriis erogando per suum servum tanquam per ministrum. Idem est de casibus similibus, in quibus nihil fit contra intentionem confessarii.

An qui existit in mortali peccato, potest implere pœnitentiam impositam ?

Pœnitens in mortali implens pœnitentiam,

Nota 1.° Agitur de eo qui absolutionem valide et fructuose percepit, sed postea in peccatum mortale relabitur, atque ita existens in mortali peragit opera satisfactoria a confessario imposita; si enim in casu particulari implenda esset pœnitentia ante absolutionem, ut olim erat frequentius, præsenti dubio non esset locus.

Nota 2.° Hoc dubium intelligi potest dupliciter : 1.° in ordine ad integritatem Sacramenti, ita ut satisfiat præcepto confessarii ; 2.° in ordine ad effectum satisfactionis. Hinc ad solvendam quæstionem, apud auctores plus minus obscure tractatam, distinguimus, et

satisfacit præcepto confessarii,

R. 1.° Universe affirmamus tanquam probabilius, pœnitentem in casu implere pœnitentiam impositam, id est, hujusmodi pœnitentiam sufficere ad integritatem Sacramenti ita, ut satisfiat præcepto confessarii, seu obligationi a confessario impositæ ; atque hinc inferimus, quod confessarius non debeat cogere pœnitentem ad hujusmodi satisfactionem iterandam.

Nititur responsio ratione theologica infra ex S. Alphonso proferenda ; item hac : quia confessarius tantum præcipit opus quoad substantiam, et non quoad modum. Quod si confessarius injunxisset communionem, et pœnitens sacrilege communicaret, eum nullo modo implere hanc pœnitentiam impositam, per se patet, quia non est peracta secundum substantiam operis præcepti. Responsio etiam nititur auctoritate

gravissima auctorum, qui longe majori numero universe seu simpliciter et sine distinctione docent, existentem in mortali implere pœnitentiam injunctam, et vel expresse, ut plures, vel tacite, ut reliqui, relinquunt concludendum, pœnitentem ad satisfactionis impositæ iterationem a confessario non esse obligandum.

Ut diversæ sententiæ, et signanter illa, quam tenet S. Alphonsus, n. 522, aliqualiter innotescant, exscribimus responsionem ejus ad quæstionem ipsis ejus verbis supra propositam.

Respondet igitur S. Auctor : « *Prima* sententia negat, et hanc tenent Tabiena, Alens., Archid ,apud Salm., et citant pro se D. Thomam, qui *Suppl.*, q. 14, art. 2, ad 2, sic ait : *Oportet... quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat iis charitas, et ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Ratio hujus sententiæ est, quia peccator injuriam irrogat Sacramento, dum obicem ponit satisfactioni in Sacramento impositæ. *Secunda* sententia, quam tenent Tournely, Juenin, Antoine, etiam negat implere, si impleat habens actualem affectum ad peccatum mortale ; secus, si tantum existat in mortali ; ita præfati auctores. Ratio, quia ad satisfaciendum Deo non requiritur status gratiæ sanctificantis, sed sufficit voluntas Deum placandi ; quæ contra deest in eo, qui habet actualem affectum ad peccatum. *Tertia* sententia communis et probabilior universe affirmat, et hanc tenent Suarez, Nav., Salm., Conc., Roncag., Lugo, etc. Ratio, quia ad implendum præceptum satisfactionis sufficit ponere opus præcepti, licet præcepti finis non obtineatur. Respondetur autem ad textum D. Thomæ, quod ibi S. Doctor non loquatur de adimpletione satisfactionis injunctæ, sed tantum de ejus merito, quod non potest haberi sine charitate. »

Dum S. Auctor supra dicit : *habens actualem affectum ad peccatum mortale,* procul dubio intelligit illum qui, licet eo pietatis sensu ducatur ut pœnitentiam impositam adimplere velit, tamen affectum habet ad peccatum mortale, quatenus versatur v. g. in odio fraterno, aut in voluntaria consuetudine, vel occasione proxima peccati mortalis, consentanee ad mentem illorum quos ibi citat, et cum quibus inter alios sentit Billuart.

sed effectum satisfactorium non obtinet,

R. 2.° Universe etiam affirmamus cum multis contra plures, præsertim Scotistas, existentem in mortali non implere satisfactionem ita, ut hæc statim effectum habeat quoad remissionem pœnæ temporalis ; probabile tamen esse, hanc satisfactionem habere effectum, recedente fictione, ut dici solet, seu remoto peccato mortali per adventum gratiæ sanctificantis.

Ratio primæ partis responsi est, quia existens in mortali indignus est remissione pœnæ, cum sit Dei inimicus. Hanc rationem evolvere et alias afferre non vacat.

nisi recedente fictione.

Ratio secundæ partis est, quia cum Suarez considerandum est, opus illud satisfactorium, licet, ut est opus operantis, sit mortuum, et ideo nunquam habeat effectum ; tamen ut est opus sacramentale, et applicatio meritorum seu satisfactionis Christi, semper esse opus ex se vivum, quodammodo tamen mortificatum ratione subjecti, ut non possit in eo habere effectum secundum præsentem dispositionem. Sicut autem opera mortificata reviviscunt, et operantur, recedente fictione, ita opus illud incipit habere effectum, ablata fictione.

An peccat pœnitens implens pœnitentiam in mortali?

Non peccat graviter.

R. Non peccat graviter; quod autem peccet venialiter, videtur clarum, inquit Suarez, quia recipit partem Sacramenti indigne, et ponit obicem effectui Sacramenti. Plures tamen graves theologi, ut dicit Gury, non improbabiliter tenent cum De Lugo, illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa soli pœnarum remissioni obicem ponere. Cfr. Alphonsus, n. 523.

N.° 123. De cessatione obligationis implendi pœnitentiam sacramentalem, et mutatione unius in aliam.

Quænam sunt causæ seu rationes ob quas cessat obligatio implendæ satisfactionis impositæ?

Cessat obligatio implendæ satisfactionis 1.° ob nullitatem absolutionis ;

R. *Prima* est nullitas absolutionis; si enim absolutio ex quocunque capite invalida fuerit, sententia est nulla, nec adeo pœnitens tenetur pœnam impositam subire. Imo in hoc casu nequidem locus est commutationi proprie dictæ. Hinc si inter opera satisfactoria, per sententiam nullam injuncta, quædam fuissent imposita tanquam

omnino necessaria ad cavendum relapsum, ad ea non teneretur pœnitens vi sententiæ judicialis, sed vi juris naturalis, quo unusquisque tenetur uti mediis ad peccata vitanda necessariis.

Nota peccatum contra conscientiam, si pœnitens, nullitatem absolutionis ignorans, pœnitentiam omiserit.

2.° propter impossibilitatem eam implendi.

Secunda est impossibilitas, sive physica, sive moralis, ut si quis non possit implere pœnitentiam injunctam sine sui diffamatione.

Si dividua sit pœnitentia, eam partem implere debet pœnitens, quam potest. Si pœnitentia nimis difficilis, sed tamen moraliter possibilis sit, patet aditus ad confessarium in sacro tribunali. Porro per se patet, cessare obligationem illius pœnitentiæ, quæ legitime in aliam commutata est.

An in casu quo adimpletio satisfactionis impositæ facta est impossibilis, pœnitens prorsus liber est, an vero tenetur aliam pœnitentiam postulare ?

An in hoc casu teneatur pœnitens aliam postulare.

R. Quamvis expediat aliam postulare, aut in proxima confessione confessarii judicium exquirere, nihilominus insistendo principiis generalibus quoad cessationem obligationis in materia legum et præceptorum, nobis dicendum videtur, pœnitentem tunc esse liberum, nec stricte teneri aliam pœnitentiam postulare. Ratio mox datur cum verbis Suarez, disp. 38, sect. 10, n. 1.

Dicit igitur eximius auctor: « Si pœnitentia a principio fuit juste imposita, postea vero pœnitens factus est impotens, vel suborta est sufficiens causa quæ illum excuset, tunc locum habet interpretatio ; et quando causa, seu impotentia revera est sufficiens ad excusandum, non tenetur pœnitens commutationem postulare ; quia nulla est ratio talis obligationis, ut in aliis præceptis et votis patet : nam, quia obligatio cadit in talem actum vel materiam, et ille actus jam non est moraliter possibilis vel conveniens, cessat obligatio. » Similiter, sed confidentius loquitur Laymann, *De satisfact.*, cap. 14, n. 17 : « Si constet, inquit, clavem ab initio errasse, seu pœnitentiam injuste impositam fuisse, tunc certum etiam est, pœnitentem ad eam non obligari, seu omnino liberum esse, ut commutatione nulla opus sit. Eademque ratio est, si pœnitens implendæ

pœnitentiæ impotens efficiatur ; non enim tenetur loco illius aliud bonum opus præstare : cum non alia, sed ea determinata actio, v. g., jejunium , aut eleemosyna a confessario imperata fuerit. » Ita ille. Nobis tanta asseveratione opus non est. At certe, nostro judicio, nimia confidentia verbis præcedentibus immediate hæc subjicit : « Cognoscere autem, ac declarare, utrum confessor imponendo pœnitentiam errarit, ad quemvis virum probum et doctum, ideoque etiam ipsum pœnitentem, si judicio polleat, pertinere potest. »

S. Alphonsus cum aliquibus, priusquam tractet de commutatione pœnitentiarum , præmittit hanc quæstionem :

An si pœnitens oblitus sit pœnitentiæ injunctæ, teneatur repetere confessionem, ut aliam pœnitentiam accipiat ?

Quid si oblitus sit pœnitentiæ impositæ.

Et respondet n. 520 : « *Prima* sententia, quam tenent S. Anton. et Bonac. cum Sylv. et aliis, dicit, hunc teneri saltem præcipua repetere peccata, ut condigna pœnitentia sibi imponatur : quia pœnitens curare debet, quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum ; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. *Secunda* vero sententia communis, quam tenent Lugo, Sporer.. cum Suar., Vasq., Laym., Conc.,... negat obligationem hanc, etiamsi pœnitens culpabiliter oblitus fuerit pœnitentiam ; ut specialiter notant Salm., Sporer... Ratio, quia ex una parte non tenetur amplius ad pœnitentiam, cum illius impletio facta sit ei impossibilis, ex altera non videtur extare hanc obligationem repetendi confessionem, ut integretur Sacramentum, cum nemo videatur teneri repetere sua peccata , semper ac ipsa directe fuerint remissa : hoc enim gravissimum esset onus. Utraque sententia est probabilis. Merito autem advertunt Coninck.... et Salm.... quod talis pœnitens teneretur utique, cum commode posset, adire confessarium suum, si putaret illum adhuc memorem esse pœnitentiæ, quam injunxit ; tunc enim ejus impletio est ei adhuc moraliter possibilis. » Cfr. Gury, n. 530.

Quis potest commutare pœnitentiam sacramentalem, et ob quas causas ?

Quis possit commutare

R. ad 1um. 1.° Pœnitens propria auctoritate non potest commutare pœnitentiam injunctam, etiamsi velit mutare

in opus evidenter melius; nec alium substituere qui loco sui satisfactionem impleat. Hoc posterius constat ex condemnatione propositionis N. præc. allatæ. Ratio autem prioris est, tum quia reus non potest mutare sententiam judicis ; tum quia opus, a pœnitente substitutum, non elevaretur virtute clavium, utpote earumdem virtute non injunctum. pœnitentiam,

2.° Pœnitentiam commutare potest confessarius, tum ipse qui imposuit, tum quilibet alius ad audiendas confessiones approbatus, modo non obstet reservatio, de qua infra ; id constat ex communi praxi, et facile intelligitur quoad illum qui pœnitentiam imposuit ; quoad alium vero confessarium, ratio est, quia alius confessarius potest ejusdem causæ esse judex, si pœnitens illius tribunali se submittat ; successor enim in eadem auctoritate potest quidquid potuit antecessor.

In hanc rem optime dicit Suarez, sect. 10, n. 5 : « Quod ministri hujus Sacramenti sint veluti materialiter diversi, per accidens est, hæc autem potestas semper est eadem ; unde, sicut ad perfectam potestatem ejusdem sacerdotis, et ad perfectum hujus Sacramenti usum, majusque remedium animarum pertinet, ut unus et idem sacerdos possit iterata confessione mutare medicinam, ita in diversis sacerdotibus æqualem potestatem habentibus idem existimandum est. »

R. ad 2um. Ne temere procedat confessarius commutans aut minuens pœnitentiam, requiritur aliqua justa causa, v. g. si pœnitentia videatur nimis difficilis ; si prævideatur pœnitens non esse ei satisfacturus ob nimiam repugnantiam, fragilitatem, aut oblivionem ; si cum minori peccandi periculo executurus sit hanc novam materiam ; uno verbo, causa justa commutandi aut minuendi pœnitentias est spiritualis profectus pœnitentis, quatenus illius statui, et infirmitati opportunior præberi potest medicina. ob quas causas.

An confessarius potest commutare pœnitentiam extra confessionem ?

R. Confessarius extra confessionem commutare nequit pœnitentiam, sive a se sive ab alio confessario impositam ; quia pœnitentia debet esse a sacerdote ut ministro Sacramenti, utente potestate clavium, et ut Mutanda est in confessione.

judice pœnitentis ; id quod non habet locum extra confessionem. Interim satis conveniunt theologi in hoc, posse nempe commutationem fieri post absolutionem intra tempus ita modicum ut idem judicium moraliter adhuc perseveret. S. Alphonsus prolixius hoc explicat n. 529, his verbis : « Dubitatur an confessarius possit commutare pœnitentiam extra confessionem ? Certum est, quod alter confessarius nequeat extra confessionem mutare pœnitentiam etiam injustam a primo impositam, ut cum communi sententia dicunt Diana, (contra Valer. et Victorell.) Salm., etc. Si vero sit idem confessarius qui pœnitentiam imposuit, censet Coninck, cum posse pœnitentiam commutare extra confessionem, sed non ultra quam infra eumdem diem ; Sporer vero cum Soto et Valent. extendit ad infra biduum ; Bus. et Dian. cum Henr., etc., extendunt ad hebdomadam... At verius puto dicendum cum sententia communiori, quam tenent Bon., Conc. et Salm. cum Suar...id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem antequam pœnitens discedat, quia tunc tantum videtur moraliter perseverare idem judicium. »

An pœnitentia pro reservatis injuncta, mutari potest ab eo, qui in reservata potestatem non habet ?

Quis mutare possit impositam pro reservatis.

R. Disputatur : *Prima* sententia communior negat cum Suarez aliisque citatis apud S. Alphonsum, n. 529, dub. 2 ; quia accessorium sequitur naturam principalis : sicut ergo reservatum erat superiori judicium in causa principali, scilicet in absolvendis reservatis, ita reservata manet impositio pœnitentiæ, quæ ad idem judicium pertinet.

Secunda sententia affirmat cum Sanchez, Elbel, etc., quia reservatio sublata est ab illis peccatis per præcedentem absolutionem, adeoque posterior confessarius, cujus sacramentali judicio illa iterum subjiciuntur, potest novum de iis formare judicium ac proinde pœnitentiam commutare. Cæterum S. Alphonsus, cui arridet prima sententia, monet, se probabile putare id, quod dicunt Bonac. et Renzi cum Suarez, etc., videlicet, quod secunda sententia posset locum habere, si gravis accederet causa, et non esset facilis accessus ad superiorem (aut ad alium a superiore auctorizatum) ; quia tunc

inferior licite posset pœnitentiam commutare ex præsumpta superioris conniventia.

An pœnitens optans pœnitentiam injunctam sibi commutari, tenetur confessionem factam repetere? An repetenda sit confessio,

R. S. Alphonsus, n. 529, quæstionem istam sic resolvit :

1.° « Si confitetur eidem confessario, non erit opus eam repetere, dummodo confessarius adhuc confuse recordetur status ejus conscientiæ. » 1.° si mutatio fiat ab eodem confessario,

2.° « Si vero confitetur alteri, duplex est sententia : 2.° si fiat a diverso confessario.

Prima sententia affirmat esse obligationem repetendi, et hanc tenent Laym., Lugo,.... Salm. cum Suarez, etc. Ratio 1ª, quia confessarius non potest pœnitentiam commutare, nisi in judicio sacramentali ; hoc autem judicium non potest exercere nisi pœnitens sua deferat crimina. Ratio 2ª, quia pœnitentia, ut docet Tridentinum, non solum debet esse punitiva, sed etiam medicinalis, nempe ut non tantum sit in vindictam vitæ anteactæ, sed etiam in custodiam futuræ ; nequit autem confessarius convenientem medicinam pœnitenti applicare, nisi culparum ejus notitiam habeat.» Addit vero : « Cæterum iidem auctores primæ sententiæ, ut Palaus, Salm... fatentur, eo casu non esse opus singula peccata repetere, sed tantum præcipua, quantum sufficit ad notitiam confusam habendam status pœnitentis. »

« *Secunda* vero sententia satis probabilis negat esse hanc obligationem, eamque tenent Nav.,Tolet., Bonac., etc. Ratio, quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione præcedenti, ubi judicium jam fuit efformatum , sed tantum agitur de pœnitentis impotentia sive imbecillitate ad pœnitentiam implendam, et sic respondetur ad primam rationem.Difficilius est respondere ad secundam ; sed responderi potest, quod confessarius commutando pœnitentiam in æqualem vel minorem, bene potest præbere medicinam peccatis alias confessis, vel imponendo pœnitentiam æquivalentem, vel pœnitentiam datam minuendo juxta dispositionem pœnitentis. »

Itaque, ut ex dictis patet, patroni secundæ sententiæ arbitrantur, confessarium ex cognitione prioris pœnitentiæ , ex rationibus quas affert pœnitens pro

commutatione obtinenda, et ex præsenti ejus dispositione et statu, satis posse colligere, qualem et quantam novam imponere, aut de priori remittere conveniat. S. Alphonsus, ut vidimus, secundam sententiam vocat satis probabilem ; Concina, *De satisfact.*, diss. 5, cap. 10, n. 19, eam vocat *penitus falsam*. Hujusmodi censuram doctissimi viri fervori tantum tribuimus et imputamus.

Facta commutatione, potest pœnitens priorem adhuc resumere.

An, facta commutatione pœnitentiæ, liberum est pœnitenti redire ad primam ?

R. cum Billuart, communius affirmative ; quia ista commutatio tota est in favorem pœnitentis, qui ei cedere potest ; et ea videtur intentio confessarii.

N.° 124. An confessarius injungere possit pœnitentias publicas.

Quæ pœnitentiæ dicuntur publicæ ?

Pœnitentia publica

R. Pœnitentiæ publicæ duplicis sunt generis : prima consistit in operibus externis, quæ coram aliis fiunt, adeo ut peccatum, ob quod imposita fuit, per eam ostendatur aut innotescat, vel saltem ejusdem suspicio oriatur aut concepta roboretur.

Alterius generis pœnitentia publica est, quæ per modum publicæ pœnæ vel publicæ correctionis imponitur, et cum quadam solemnitate peragenda est, v. g., stando ante fores ecclesiæ, detecto capite, etc. De hujusmodi pœnitentia hic non agitur in ordine ad tribunal Pœnitentiæ ; quandoquidem pertineat ad jurisdictionem fori externi.

An confessarius potest imponere pœnitentiam publicam pro peccatis occultis ?

a confessario imponi non potest pro peccatis occultis.

R. Negative ; quia esset improportionata, et contra bonam famam pœnitentis, et præterea esset aliquo modo contra sigillum confessionis. Insuper expresse id prohibet Rituale Romanum his verbis : *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.*

Steyaert in *Append. de Sacram. Pœnit.*, n. 28, illud Ritualis Romani statutum explicans, ait : « Quod non sic sane accipiendum est, quasi pœnitentia imponi non

possit quæ foris appareat ; sed *manifestam* intelligit, per quam peccatum manifestetur, vel saltem in suspicionem pœnitens veniat de gravi aliquo admisso delicto. Unde jejunium aliquod, auditio quotidiana Sacri, aliaque pietatis officia, etsi manifesta, fidelibus tamen ordinaria, et quæ etiam aliter quam pro pœnitentia usurpantur, haud dubie pœnitentibus imponi possunt. »

Cæterum quæ discretio, quæve ratio habenda rationabilis nonnunquam alicujus pœnitentis expostulationis, indicabunt circumstantiæ ; ut si hæc vel illa respectu alicujus in communitate degentis essent extraordinaria, quæ ab aliis ibidem non fiunt.

An confessarius potest imponere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis ?

Quatenus impo ni possit pro publicis.

R. Affirmative, modo pœnitentia, quatenus publica, limitetur ad id, ad quod pœnitens ratione peccati sub gravi modo obligatus est, v. g. ad publicam reparationem scandali. Ultra id non potest confessarius, ut nobis videtur, in satisfactionem sacramentalem pœnitentiam publicam imponere pœnitenti invito, ad cætera omnia, quæ necessaria sunt, parato, et bene disposito ; quia sacrum Pœnitentiæ tribunal ex natura sua secretum est, et moderna Ecclesiæ disciplina non exposcit pœnitentiam publicam ultra id quod dictum est. Atque hac ratione peccatum publicum publica medicina, quatenus necessaria, non caret.

Explicatur quoad partem : ratione peccati publici pœnitens aliquando sub gravi obligatur ad aliquid publice peragendum, puta ad scandalum publice reparandum, licet illa actio per se sit ostensiva peccati commissi. Hæc actio jure naturæ debita est, ejusque exequendæ obligationem declarare, et executionem urgere potest confessarius, etiam denegatione absolutionis. Porro hujusmodi opus, licet aliunde modo debitum, confessarius imponere potest in pœnitentiam sacramentalem, quatenus opera aliunde debita in satisfactionem sacramentalem imponi posse, jam ante dictum est.

Operæ pretium est hic exhibere, quid auctores afferant ad quæstionem inter eos aliquatenus controversam. Billuart, dissert. IX, art. 6, eamdem quæstionem : an confessarius possit imponere pœnitentiam publicam ?

sic resolvit : « Respondetur communius quod non possit vi hujus tribunalis Pœnitentiæ, quod ex divina institutione est secretum.; si tamen pœnitens ex ipso peccato obligationem publice satisfaciendi contraxit, puta ad reparandum scandalum, ad injuriam reparandam, restitutionem faciendam, deserendam occasionem proximam, etc., possit et debeat confessarius hanc obligationem illi declarare et ad illam cogere, sicque cogere concubinarium ad expellendam concubinam,usurarium ad deserendas usuras, publicum calumniatorem aut hæreticum ad retractandas publice calumnias aut hæreses. Ad hæc enim, independenter a præcepto confessarii, ipso jure naturæ tenetur, et ea adimplere debuisset, antequam tribunali se sisteret. »

In hanc rem adscribimus id quod habet S. Alphonsus, n. 512 : « Pro peccato publico autem dubitatur, an possit publica imponi pœnitentia ? Negant Nav., Sa, Reg., et Vega, quia hæc esset manifestatio confessionis, et violatio sigilli. Sed communiter posse affirmant Pal , Suar...., Salm., etc., idque expresse docuit D. Thom., in 4, d. 14, q. 1, art. 5, q. 1, ubi dixit, oportere, *ut peccatum publicum publicam habeat medicinam*... Nec obstat dicere, quod talis publica pœnitentia esset manifestatio confessionis ; nam, cum illa imponatur de consensu pœnitentis necessario præstando, si vult absolvi, manifestatio illa potius provenit ex libera actione pœnitentis, quam ex præcepto confessarii. Hinc dicunt Pal., Salm., Ronc., etc., confessarium non solum posse, sed etiam aliquando teneri hanc publicam pœnitentiam imponere. Hoc tamen recte advertunt Ronc.,Reg.... locum habere in solo casu, quo aliter non posset nisi per illam publicam pœnitentiam scandalum reparari, puta publice restituendo honorem alicui publice dehonorato. Cæterum, si publica pœnitentia non sit ita necessaria, merito dicunt præfati AA. non debere confessarium illam imponere reluctanti,cum aliter possit salus obtineri pœnitentis,et scandalum reparari,nempe per publicam frequentationem Sacramentorum, visitationes ecclesiarum, auditionem Missarum, ingressum in aliquam congregationem, ubi pietatis opera exercentur,et similia. Hinc Fagnanus, in cap. *Manifesta,* refert, quod S. C. noluit

declarare, an in foro sacramentali pro publicis peccatis publicæ pœnitentiæ essent imponendæ. »

N.° 125. De pœnitentia canonica.

Quæ pœnitentia dicitur canonica ?

Quid pœnitentia canonica.

R. Illa quæ secundum canones pœnitentiales magno cum rigore olim peragebatur pro delictis quibusdam gravioribus, præsertim ex quibus grave scandalum proveniebat. Hæc pœnitentia, utut rigorosa, quandoque sponte assumebatur a peccatoribus haud adeo manifestis, nec juridice convictis.

Canones pœnitentiales.

Erant autem canones pœnitentiales leges vel statuta Conciliorum, Episcoporum, aliorumve superiorum, quibus, pro exigentia temporum, certæ pro certis delictis pœnæ taxatæ fuerunt.

Canones pœnitentiales maximi rigoris initium sumpserunt sæculo III, occasione hæresis Montanistarum et Novatianorum. In Ecclesia Orientali post IV sæculum, in Occidentali post VII remissior fuit disciplina prior. Observantia illorum canonum proinde et usus pœnitentiarum canonicarum incepit desinere a sæculo IX, quo admissæ fuerunt earum redemptiones per eleemosynas, flagellationes, psalteria, etc. Postea, occasione expeditionum pro liberanda Hierosolyma et recuperanda Terra sancta, magis relaxatæ sunt istiusmodi pœnitentiæ ; ac tandem sæculo XIII earum observatio tota fere ubique desiit, per extensionem indulgentiarum quæ concedebantur ob eleemosynas, quibus ædificabantur ecclesiæ. Plura committimus lectionibus juris canonici et historiæ ecclesiasticæ.

Quum vero Catechismus Romanus, S. Carolus Borromæus, et Benedictus XIV, *De Synod., diœc.*, lib. XI, cap. 11, canonum pœnitentialium cognitionem confessariis utilem esse moneant, ut secundum circumstantias occurrentes hunc aut illum canonem ob oculos ponant pœnitentibus, sicque eos inducant, ut criminum admissorum gravitatem agnoscant, et ad implendas rationabiles pœnitentias fiant promptiores, in hunc finem aliquos hic indicamus :

Qui a fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem annos sequentes pœniteat.

Qui Deum vel B. M. V. vel Sanctos publice blasphemaverit, præ foribus ecclesiæ diebus dominicis septem in manifesto stet intra Missarum solemnia, etc.

Qui opus servile die dominico vel festo fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

Qui jejunium ecclesiasticum violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

Qui in quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos pœnitebit ; qui percusserit, annos septem.

Qui hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet.

Si quis per iram subitam aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

Qui turpiloquio aspectuque polluitur negligens... pœnitentiam aget viginti dies.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta ; qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui incestum fecerit, pœnitens erit annos duodecim ; qui adulterium, septem vel decem annos.

Qui monialem violaverit, pœnitens erit annos decem.

Plura ex canonibus pœnitentialibus collecta videre est inter alios apud Concina, S. Alphonsum, N. 530, et præsertim apud S. Carolum Borromæum, ex quo Concina collectionem, quam dat, transscripsit.

Notanda circa pœnitentiam canonicam.

Quædam de pœnitentia canonica in universum notat Perrone, tract. *De Pœnit.*, cap. 4, n. 217 et seqq., ex quibus ad hunc locum aliqua referimus :

1.° Non est permiscenda, prout passim permiscent Jansenistæ, pœnitentia *sacramentalis,* quæ a Christo præcepta ac proinde omnibus necessaria est, et pœnitentia *canonica,* quam theologi passim recte vocant *cæremonialem,* quæ, utpote disciplinaris, nec perpetua, nec constans, sed varia fuit pro diversitate temporum, locorum et circumstantiarum, ac denique antiquata est.

2.° Accurate secernenda est praxis et disciplina Ecclesiæ universalis circa pœnitentiam canonicam a praxi et disciplina ecclesiarum particularium, ac proinde canones et decreta Ecclesiæ universalis a canonibus et decretis alicujus Episcopi, vel Concilii, vel ecclesiæ particularis, et quidem ratione habita diversorum temporum. Hæc enim simul omnia permisceri non debent, ut plures solent ea confundere, ut inde statuant atque definiant, *Ecclesiæ veteris,* ut ipsi loquuntur, disciplinam ita se habuisse circa pœnitentias canonicas. Nam, si excipias Concilium Nicænum I, quod tres canones edidit, quibus pœnitentiæ addixit solos apostatas a religione christiana et lapsos in idololatriam, nullum aliud œcumenicum Concilium canones pœnitentiales condidit, et mira semper in ea re viguit varietas in Ecclesia.

3.° Fraudulentæ sunt Jansenistarum, Pistoriensium aliorumque nonnullorum in *modernæ Ecclesiæ* disciplinam et indulgentiam declamationes, quibus suspirant ad auream et intemeratam *Ecclesiæ veteris* disciplinam et praxim, quam adeo extollunt, ut eam dejiciant, quæ in præsentia obtinet. Hac enim ratione facilius sese expediunt ab utraque : a vetere quidem, quæ in desuetudinem abiit, a recentiori, quam ipsi contemnunt.

An pœnitentia canonica hodiedum a confessario interdum imponi potest ?

R. Negative ; maxime postquam Conc. Trid. determinationem pœnitentiæ sacramentalis reliquit prudentiæ confessariorum. Concilii textum N. 116 satis expendimus. Hodie a confessario imponi non potest.

Nota. Expletis iis quæ de diversis Pœnitentiæ partibus in hoc opere erant tractanda, superest ut de reservatione casuum dicatur : de qua in speciali tractatu agemus, ubi casus in diœcesi Mechlin. reservatos, secundum decreta Emin. ac Rev. Dom. Archiep. exponemus.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

INDEX

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PROOEMIUM. Pag. 1

Decretum Concilii Florentini. 3

Canones Concilii Tridentini. ibid.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

N.° 1 *De nomine et definitione virtutis pœnitentiæ.* 7

2 *De objecto et subjecto virtutis pœnitentiæ.* 8

3 *De actibus pœnitentiæ.* 10

4 *De gradibus quibus ad pœnitentiam pervenitur.* 13

5 *De motivis pœnitentiæ.* 15

DE EFFECTIBUS POENITENTIÆ.

6 *De effectibus actuum pœnitentiæ in generali.* 17

7 *De primo effectu pœnitentiæ seu remissione peccatorum : an omnia peccata, quantumcunque gravia, remitti possint per pœnitentiam.* 18

8 *De necessitate actus pœnitentiæ pro remissione peccatorum mortalium.* 23

9 *De necessitate actus pœnitentiæ pro remissione peccatorum venialium, et de mediis quibus eorum remissio obtineri potest.* 25

10 *De differentia inter pœnitentiam de peccatis mortalibus et pœnitentiam de venialibus.* 28

11 *De connexione peccatorum in ordine ad remissionem* 29

12 *De secundo effectu pœnitentiæ seu remissione pœnarum pro peccatis debitarum.* 31

13 *De reliquiis peccatorum et mediis quibus ab iis liberamur.* 35

14 *De reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum.* 36

15 *De tertio effectu pœnitentiæ, qui est reviviscentia meritorum et recuperatio gratiæ ac virtutum.* 38

DE PRÆCIPUO ACTU POENITENTIÆ SEU CONTRITIONE.

16 *De præcipuo pœnitentiæ actu seu contritione.* 43
17 *De proposito non peccandi de cætero.* 45
18 *Reflexiones practicæ circa propositum.* 48
19 *De qualitatibus contritionis.* 50
20 *De modo quo contritio circa singula peccata elicienda est.* 54
21 *De divisione contritionis.* 56
22 *De efficacia contritionis perfectæ et imperfectæ.* 70
23 *De necessitate et præcepto contritionis.* 75

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

24 *De nominibus ac definitione Sacramenti Pœnitentiæ.* 82
25 *De existentia Sacramenti Pœnitentiæ et tempore institutionis ejus.* 83
26 *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ a Baptismo.* 88

DE MATERIA HUJUS SACRAMENTI.

27 *De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.* 90
28 *De divisione materiæ remotæ in necessariam et liberam.* 92
29 *De confessione et absolutione peccatorum venialium et mortalium jam directe remissorum per Sacramentum Pœnitentiæ.* 95
30 *De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.* 99

DE FORMA.

31 *De forma Sacramenti Pœnitentiæ.* 104
32 *De sensu formæ Sacramenti Pœnitentiæ.* 105
33 *De forma deprecativa.* 108
34 *De forma conditionata.* 110
35 *An valida aut licita sit absolutio data sub conditione :* si es dispositus. 111

DE NECESSITATE, EFFECTIBUS, CÆREMONIIS.

56 *De necessitate et effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.* 114
57 *De iterabilitate Sacramenti Pœnitentiæ.* 116
58 *De cæremoniis Sacramenti Pœnitentiæ.* 118

DE CONTRITIONE, UT EST PARS SACRAMENTI.

59 *De contritione necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, et primum an requiratur perfecta.* 121
60 *De multiplici ratione qua contritio imperfecta esse aut videri possit.* 123
61 *De erroribus quibusdam præ oculis habendis ubi agitur de attritione seu contritione imperfecta in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.* 126
62 *Qualis contritio imperfecta seu qualis attritio requiratur in Sacramento Pœnitentiæ.* 130
63 *De modo et tempore quo elici debet contritio ad Pœnitentiæ Sacramentum requisita.* 140

DE CONFESSIONE ET PRÆCEPTO CONFITENDI.

64 *De institutione, necessitate ac utilitate confessionis.* 144
65 *De præcepto divino confessionis; quos et quandonam obliget.* 152
66 *De præcepto ecclesiastico confitendi et tempore quo obliget.* 155
67 *Quinam obligentur præcepto annuæ confessionis.* 158
68 *De pœnis annue non confitentium et de causis excusantibus.* 164
69 *De frequenti confessione.* 165
70 *An confessio aut Sacramentum Pœnitentiæ possint esse informia.* 167

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS ET MODO CONFITENDI.

71 *De conditionibus seu qualitatibus confessionis.* 172
72 *De fidelitate confessionis et defectibus ei contrariis.* 174

53 *De integritate requisita in confessione.* 177
54 *An propter integritatem confessionis liceat peccatum complicis vel tertii revelare.* 182
55 *De examine conscientiæ præmittendo confessioni.* 186
56 *De obligatione peccata confitendi secundum speciem et numerum.* 190
57 *De obligatione confitendi peccata mortalia dubia.* 194
58 *De circumstantiis exponendis in confessione.* 198
59 *De obligatione et modo monendi et interrogandi pœnitentem qui integre non confitetur.* 206
60 *Interrogationes præcipuæ circa præcepta Dei et Ecclesiæ, et obligationes diversorum statuum, pro opportunitate faciendæ.* 213
61 *De modo quo confessio sacramentalis facienda est.* 219
62 *De obligatione et modo repetendi confessionem peccatorum mortalium.* 225
63 *De confessione generali ejusque necessitate et utilitate.* 229
64 *De confessario eligendo et retinendo.* 232

DE MINISTRO, UBI DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE.

65 *Quis sit minister Sacramenti Pœnitentiæ.* 234
66 *De necessitate jurisdictionis ut sacerdos valide absolvat.* 236
67 *De divisione jurisdictionis et modis eam acquirendi.* 240
68 *De approbatione confessariorum.* 245
69 *In quibus locis confessiones excipere possint, qui jurisdictionem habent.* 252
70 *Quamdiu duret jurisdictio vel approbatio, et quibus modis cesset vel amittatur.* 254
71 *De jurisdictione ex titulo colorato et communi errore populi.* 258
72 *De potestate et obligatione absolvendi in articulo mortis.* 260

DE DOTIBUS ET OBLIGATIONIBUS CONFESSARII.

73 *De confessarii dotibus et obligationibus in genere.* 265
74 *De bonitate et scientia in confessario requisitis.* 267
75 *De prudentia in confessario requisita.* 270
76 *De obligationibus confessarii ut patris et doctoris.* 273
77 *De obligationibus confessarii ut medici spiritualis.* 275
78 *De obligationibus confessarii ut judicis sacramentalis.* 278

DE JUDICIO FERENDO CIRCA DISPOSITIONEM PŒNITENTIS.

79 *Quale judicium de dispositione pœnitentis formare debeat confessarius, ut possit ipsum absolvere.* 279
80 *De signis seu indiciis quæ denotant pœnitentem esse rite dispositum.* 283
81 *De signis quæ dispositionem pœnitentis suspectam reddunt.* 285
82 *An opera pœnitentialia prævia sint necessaria, ut confessarius possit pœnitentem prudenter judicare dispositum et absolvere.* 287

DE ABSOLUTIONE DANDA AUT NEGANDA.

83 *De absolutione sacramentali, et an omnibus danda.* 290
84 *De varia dilatione absolutionis.* 293
85 *Quandonam absolutio neganda sit ob defectum contritionis, et quæ sint signa istius defectus.* 296
86 *De iis qui nulla dant signa doloris, præsertim si sint moribundi.* 297
87 *De illis qui odia et inimicitias deponere nolunt.* 303
88 *De illis qui aliena restituere nolunt.* 304

DE OCCASIONE PROXIMA, RECIDIVA, ETC.

89 *Quid sit occasio proxima, et quibus modis dignoscatur.* 305
90 *Quid sit occasio remota, et an fugienda sit.* 309
91 *De divisionibus occasionis proximæ.* 310
92 *De obligatione deserendi occasionem proximam et quotuplici modo id fieri possit.* 311

93 *Quomodo procedendum cum eo qui versatur in occasione proxima.* 315
94 *De occasionibus quibusdam proximis sæpius occurrentibus.* 323
95 *De illis qui quinto loco designantur in Rituali ut incapaces absolutionis.* 335
96 *Quinam vocentur relapsi, recidivi, consuetudinarii.* ibid.
97 *An recidivi et consuetudinarii absolvi possint.* 336
98 *De iis qui publicum scandalum dederunt.* 344
99 *De iis qui ignorant scitu necessaria necessitate medii, et quomodo procedendum cum ipsis.* 345
100 *De iis qui ignorant scitu necessaria necessitate præcepti.* 348
101 *Quandonam et quomodo pœnitens interrogari debeat circa articulos fidei.* 350
102 *An confessarius teneatur instruere pœnitentes ignorantes, et quandonam possit illos in ignorantia relinquere.* ibid.
103 *An et in qua necessitate absolvi possit dubie dispositus.* 353

DE SIGILLO SACRAMENTALI.

104 *De sigillo sacramentali, quo jure et quam arcte obliget.* 358
105 *De peccato violationis sigilli et pœnis annexis.* 363
106 *Ex quali confessione oriatur sigillum.* 364
107 *De materia sigilli sacramentalis.* 365
108 *Quæstiones particulares circa manifestationem peccati ex confessione cogniti.* 369
109 *De testimonio confessionis dando aut negando.* 375
110 *Quinam obligentur sigillo sacramentali.* 376
111 *De licentia pœnitentis circa sigillum.* 378
112 *De obligatione confessarii ad servandum sigillum respectu ipsius pœnitentis, et de reparando errore in confessione admisso.* 381
113 *De usu licito vel illicito scientiæ ex confessione habitæ.* 385
114 *Casus et quæstiones practicæ circa usum scientiæ ex confessione acquisitæ.* 388

DE SATISFACTIONE.

115 *De satisfactione in generali.* 394
116 *Quid sit satisfactio sacramentalis, et an necessario imponenda a confessario.* 403
117 *An pœnitens teneatur acceptare et adimplere satisfactionem sacramentalem.* 404
118 *De fine et effectibus satisfactionis sacramentalis.* 408
119 *De qualitate et quantitate satisfactionis.* 410
120 *Regulæ circa modum aut quantitatem pœnitentiæ, et casus in quibus justo minor imponi potest.* 412
121 *De qualitate operum quæ pro pœnitentia sacramentali imponi possunt.* 415
122 *Quo tempore satisfactio a confessario imponenda, et quo tempore et quomodo a pœnitente implenda.* 420
123 *De cessatione obligationis implendi pœnitentiam sacramentalem, et mutatione unius in aliam.* 424
124 *An confessarius injungere possit pœnitentias publicas.* 430
125 *De pœnitentia canonica.* 433

FINIS INDICIS.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN — MDCCCLXXXIII.

4557

236.4
D434 (Pierre)

DENS, D.P.
AUTHOR Tractatus
Y De Sacramento Paenitentiae
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	[illegible]	JAN 6
	Koenig	OCT 6
	Buthel	

4557